# ACTA PONTIFICIA

ET

# DECRETA SS. ROMANARUM CONGREGATIONUM

**ANNUS IV. - VOL. IV.**

**FRIDERICUS PUSTET**
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
ROMAE
RATISBONAE – CINCINNATI – NEO-EBORACI
1906

For

C

# ACTA PONTIFICIA

## I. — EPISTOLA ENCYCLICA

**Sanctissimi Domini nostri Pii Divina Providentiae Papae X ad Archiepiscopos et Episcopos universumque Clerum et Populum Galliae.**

DILECTIS FILIIS NOSTRIS FRANCISCO MARIAE S. R. E. PRESB. CARD. RICHARD ARCHIEPISCOPO PARISIENSI, VICTORI LVCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI, PETRO HECTORI S. R. E. PRESB. CARDIN. COVLLIÉ ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI, IOSEPHO GVILELMO S. R. E. PRESB. CARD. LABOVRÉ ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI, CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ATQVE VNIVERSO CLERO ET POPVLO GALLIAE.

### PIVS PAPA X.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

VEHEMENTER Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causa, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres, quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accipere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quanto in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiam benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo, retinere in declivi,

atque ab incoeptis demum abducere.—At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat expugnavii. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officit sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est.—Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iuiuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis; causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas: « quaedam, ait, « intercedat necesse est ordinata colligatio, quae quidem coniun« ctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus « in homine copulantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, « citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut « curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere... « Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae exclu« dere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate dome« stica, magnus et perniciosus est error » (1).

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non

(1) Epist. Enc. *Immortale Dei*, data de 1 Nov., an. MDCCCLXXXV.

est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quae « sibi cum Apostolica Sede sit, Dei providentis numine, coniun« ctio, actiorem esse vetustioremque, quam ut unquam audeat « dissolvere. Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestis« sima decora profecta... Hanc velle turbari necessitudinem idem « foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gallicae » in populis non parum detrahi » (1).

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes popolorum mutuas, quam ut pacta publica sanctae inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam pars altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animarum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur

(1) In alloc. ad peregr. Gallos, hab. die XIII apr., an. MDCCCLXXXVIII.

causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum (1); id est societatem hominum in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate (2). Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc. Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur »; idque ait: « divina lege fundatum » (3). Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causa. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratia instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quanto-

(1) Ephes. IV, II seqq.
(2) MATTH. XVIII, 18, 20; XVI, 18, 19; XVIII, 17; Tit. II, 15; II. Cor. X, 6; XIII, 10 et alibi.
(3) S. CYPR. Epist. XXXIII (al XXVII, ad lapsos), n. 1.

pere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur; ipsum coercetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimenda solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit addicta pecunia in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum avertit. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod

ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratia; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futurum damno. Neque enim potest esse dubium quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumen velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus hereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus. Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas: quod maxima afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nulla hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. - Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent, maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam IESUS CHRISTUS ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causa. Divina est virtutis

eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humana maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis pubblicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias oportet, *induti arma lucis* (1), pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. - Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester; quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animarum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, « *gaudentes... quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* » (2). Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram dirigere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. - Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum

(1) Rom. XIII, 12.
(2) Act. V, 41.

ministrat, pacem tuetur traquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina: ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. - Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante MARIA IMMACULATA, in tranquillum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

---

## II. – ALLOCUTIO

**A SS.mo D.no N. Pio X habita in Consistorio secreto die 21 Februarii 1906.**

*Venerabiles Fratres,*

Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. — Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiae quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti illius regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae certisque illius promissis tuti adversa

quaeque miti animo tolerare nitimur ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. — Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Percipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiuganda civitate ab Ecclesia in Galliis sancita est. Quidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus, fusius iam ostendimus, quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeterivisse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro stricte persequi, graviterque confirmare.

Enimvero qui eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convinciat ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, cum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiamac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes ,quique illis praesunt, oportet publice. — Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fierit; in Gallis vero ingrate magis longeque perniciosius. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa, solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nulla, quod tamen iure gentium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nulla inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione, rescissa est.

Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla episcoporum incidit mentio:

e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo, religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus: prohibentur ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum consociationem multiplici ex capite debilitatur aut omnino intercipitur.

Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem. Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati adversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis infensissimam damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum: cum afflicta affligimur, cum flente flemus. Nullus esto, qui quod tam acerbe simus habiti caritatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patria sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur: Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribula-

tione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est, mitescente tempore praeclariora fore. — Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitates et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores: *Christus amat Francos.* Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam caritatemque suam desiderare nunquam permittet.

---

## III. — RELATIO

### Actorum in Consistorio secreto die 21 Februarii 1906.

SANCTITAS Domini Nostri Pii Pp. X. de mane Consistorium habuit secretum in Palatio Apostolico Vaticano, in quo tradita Bursa Emo Cardinali Respighi ut officio Camerarii Sacri Collegii iste hoc anno fungatur, et praemissa *allocutione* quam pag. 8 referimus, Ecclesias, quae sequuntur, assignare dignata est:

*Ecclesiam metropolitanam Auxitan.* (AUCH) favore Illmi ac Rmi D. Christophori Enard, translati a Sede Cadurcen. *(Cahors).*

*Ecclesiam metropolitanam Rhemen.* (REIMS) favore Illmi ac Rmi D. Ludovici Luçon, translati a Sede Bellicen. *(Belley).*

*Ecclesiam cathedralem Carnuten.* (CHARTRES) favore Illmi ac Rmi D. Ludovici Henrici Bouquet, translati a Sede Mimaten. *(Mende).*

*Ecclesiam episcopalem Adiacen.* (AJACCIO) favore Illmi ac Rmi D. Josephi Mariae Ollivier, vicarii generalis marsilien. *(Marsiglia).*

*Ecclesiam episcopalem Aturen.* (AIRE) favore Illmi ac Rmi D. Eugenii Francisci Touzet, vicarii capitularis forojulien. *(Frejus).*

*Ecclesiam episcopalem Bajonen.* (BAYONNE) favore Illmi ac Rmi D. Julii Gieurs, superioris Seminarii majoris aturen. *(Aire).*

*Ecclesiam episcopalem Valentinen.* (VALENCE) favore Illmi ac Rmi D. Joannis Victoris Aemilii Chesnelong, parochi ecclesiae S. Mariae Magdalenae Parisiis *(Paris).*

*Ecclesiam episcopalem Divionen.* (DIJON) favore Illmi ac Rm D. Petri Dadolle, rectoris Instituti catholici lugdunensis *(Lione).*

*Ecclesiam episcopalem Forojulien.* (FREJUS) favore Illmi ac Rmi D. Felicis Guillibert, ex-vicarii generalis aquensis *(Aix).*

*Ecclesiam episcopalem Vallis Vidonis* (LAVAL) favore Illmi ac Rmi D. Eugenii Jacobi Grellier, vicarii generalis andegavensis *(Angers).*

*Ecclesiam episcopalem Nivernen.* (NEVERS) favore Illmi ac Rmi D. Leonis Gauthey, vicarii capitularis augustodunen. *(Autun).*

*Ecclesiam episcopalem Maurianen.* (S.-JEAN-DE-MAURIENNE) favore Illmi ac Rmi D. Hadriani Fodéré, vicarii capitularis eiusdem dioeceseos.

*Ecclesiam episcopalem Mimaten.* (MENDE) favore Illmi ac Rmi D. Jacobi Gely, vicarii capitularis ruthenen. *(Rodez).*

*Ecclesiam episcopalem Veneten.* (VANNES) favore Illmi ac Rmi D. Alcimi Gouraud, canonici honorarii nanneten. *(Nantes).*

*Ecclesiam episcopalem Versalien.* (VERSAILLES) favore Illmi ac Rmi D. Caroli Gibier, parochi S. Paterni aurelianen. *(Orléans).*

*Ecclesiam episcopalem Ruthenen.* (RODEZ) favore Illmi ac Rmi D. Caroli de Ligonnés, superioris Seminarii majoris mimatensis *(Mende).*

*Ecclesiam cathedralem Agennen.* (AGEN) favore Illmi ac Rmi D. Pauli Sagot du Vauroux, canonici rupellensis *(La Rochelle).*

*Ecclesiam titularem episcopalem Hierapolitan.* (MEMBING) favore Illmi ac Rmi D. Aloisii Joannis Dechelette, vicarii generalis lugdunensis: deputati auxiliaris Emi ac Rmi D. Cardinalis Coullié, Archiepiscopi Lugdunensis *(Lione).*

*Ecclesiam titularem archiepiscopalem Sidensis* (ESKI-ADALIA) favore Illmi ac Rmi D. Leonis Astulphi Amette, translati a Sede Bajocen. *(Bayeux),* nominati coadiutoris cum futura successione Emi ac Rmi D. Cardinalis Richard, Archiepiscopi Parisien. *(Paris).*

*Ecclesiam metropolitanam Mechlinien.* (MALINES) favore Illmi ac Rmi D. Desiderati Mercier, antistitis urbani, mechliniensis archidioecesani, in philosophia ac s. theologia doctoris, praesidis Instituti philosophici S. Thomae Lovanii.

*Ecclesiam metropolitanam Goritien.* (GORIZIA) favore Rmi D. Francisci Sedej, eiusdem archidioeceseos, in s. theologia doctoris, canonici parochi Metropolitanae.

*Ecclesiam titularem Pentacomien.* (PENTACOMIA) favore Rmi D. Josephi Antonii Pimenta, dioecesani Diamantinae, parochi Theophili Ottoni, deputati coadiutoris cum futura successione Illmi ac Rmi D. Claudii Josephi Consalves Ponse de Leao, episcopi S. Petri Fluminis Grandensis *(Rio Grande).*

Dein Sanctitas Sua etiam publicare dignata est sequentes Ecclesias per Breve assignatas:

*Ecclesiam titularem archiepiscopalem Constantien.* (COSTANZA) favore Illmi ac Rmi D. Guilelmi O' Connel, promoti a Sede cathedrali de *Portland* ac deputati coadiutoris cum successione Illmi ac Rmi D. Joannis Josephi Williams, archiepiscopi Bostoniensis *(Boston).*

*Ecclesiam metropolitanam Brundusinam* (BRINDISI), *cui unita est administratio perpetua Ostunen.,* favore Rmi D. Aloisii Morando, dioecesani veronensis, rectoris S. Mariae de Miraculis de Urbe ac magistri emeriti theologiae moralis in pontificio Seminario Vaticano.

*Ecclesiam cathedralem Bosen.* (BOSA), *cui unita est administratio perpetua dioecesis Algheri,* favore Rmi D. Joannis Baptistae Vinati, placentini, in s. theologia ac iure canonico doctoris, Placentiae magistri sacrae scripturae in Seminario, archidiaconi Basilicae cathedralis ac vicarii generalis.

*Ecclesiam cathedralem SSmae Conceptionis in Chile* (CONCEZIONE) favore Rmi D. Aloisii Henrici Izquierdo y Vargas, S. Jacobi nati, gubernatoris ecclesiastici Valparaisi *(Valparaiso).*

*Ecclesiam cathedralem S. Hyacinthi in Chile* (S. HYACINTHE) favore Illmi ac Rmi D. Alexii Xisti Bernard, vicarii capitularis eiusdem dioeceseos.

Tandem postulatio facta est ad sacrum pallium obtinendum pro Ecclesiis metropolitanis *Rhemen., Auxitana, Mechlinien., Goritien.* et *Brundusina.*

Post Consistorium secretum Sanctitas Sua in aula Throni rochettum imponere dignata est Episcopis praesentibus in Curia ac praeconizatis in eodem Consistorio.

---

**IV. — Sanctissimi Domini Nostri Pii Pp. X litterae Apostolicae erectionis trium novarum paroeciarum videlicet Sancti Francisci ad Ripam Maiorem, Sanctae Theresiae ad Portam Salariam, Sancti Iosephi in via Nomentana.**

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

ROMANAS aequabilius distribuere et componere Paroecias, quemadmodum pro adaucta recens amplitudine et civitatis et Urbis exposcere animarum salus videbatur, superiore Nos quidem

anno ingressi sumus; quum, binis e paroeciarum numero expunctis, binas item earum loco instituimus, alteram scilicet ad Aedem, ut aiunt, Novam sive Sanctae Mariae in *Vallicella* et S. Gregorio I. dicatam, alteram Sancti Ioachimi in Pratis. Idem nunc persequi incoeptum, atque alium quodammodo gradum facere ad id quod Novis propositum est, quandoquidem huius rei sese dedit maturitas, his Litteris volumus. - Non igitur, de Apostolicae potestatis plenitudine, paroecias Urbis Romae duas, id est SS. Salvatoris *de Curte* et S. Bartholomaei in insula Tiberina, abolemus et extinguimus: simul autem in earum locum duas sufficimus et constituimus paroecias, id est Sanctae Theresiae extra pomoerium ad Portam Salariam, et Sancti Francisci vico Ripae Maioris. Ad has propterea novas paroecias omnia et singula extinctarum bona, reditus et iura transferenda erunt: atque ita, ut ad paroeciam S. Theresiae ea spectent, quae SS. Salvatoris paroecia obtinuit, ad paroeciam autem S. Francisci, quae S. Bartholomaei paroeciae fuerunt. Aliam praeterea paroeciam ex integro novam fundamus, Sancti Iosephi via Nomentana. - Ad fines vero quod attinet, quibus tres hae paroeciae contineri debeant, potestatem facimus Dilecto filio Nostro, Cardinali vice sacra Antistiti Urbis, eos auctoritate et nomine Nostro terminandi, itemque contiguarum paroeciarum terminos, si res postulaverit, definiendi.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris

et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero Tramsumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constituta munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino homibum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis erectionis et translationis derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationtm Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo sexto, VIII Idus Ianuarii, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. CARD. DI PIETRO PRO-DAT. — A. CARD. MACCHI.

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS.

*Loco ✠ Plumbi.*

*Reg. in Secret. Brevium.*

V. CVGNONIVS.

## V. — LITTERAE APOSTOLICAE — ANGELORUM

**Sedes episcopalis Tlascalen. ad Metropolitanam evehitur.**

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

PRAEDECESSORIS Nostri Leonis Papae Decimi tertii felicis recordationis vestigia sedulo prosequentes, ad Catholicam gubernandam Ecclesiam ab aeterno illius Auctore licet immeriti destinati, omnem curam sollicitudinemque Nostram ad ea intendimus, quae meliori animarum bono ac saluti magis in Domino

novimus profectura. Novas erigere dioeceses et ecclesiasticas provincias, quoties id spirituale fidelium bonum, quod in omnibus Ecclesia spectare debet, expostulare videbatur, fuit semper Apostolicae Sedis sollicitudo. Nec mirum; Episcopi enim a Deo positi sunt, ut regant ac pascant Iesu Christi gregem; iis proinde in regionibus, in quibus territorii amplitudo, vel populi numerositas. aut itinerum asperitas difficiles reddit fidelium ad suos pastores accessus, opportunum, imo et necessarium est, ut novae constituantur Episcopales Sedes, atque ita promptior et efficacior fiat cura et vigilantia pastoralis. Verum, aucto dioecesium numero, Archiepiscopales Sedes et ipsae augeantur oportet, ut facilior pateat Episcoporum ad Archiepiscopum aditus, et Ecclesiasticae causae, matrimoniales praesertim, ea qua par est sollicitudiue discutiantur et dirimantur. Cum itaque, sicut accepimus, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Tlascalen. seu Angelorum in Mexicana Republica, occasionem nactum quod in eadem Republica anno elapso, Litteris Apostolicis sub plumbo, quarum initium « Apostolica Sedes », septimo calendas Maii datis, disiunctis ex territorio dictae Tlascalensis seu Angelorum dioecesis aliquibus civitatibus, nova ex iisdem constituta fuerit Episcopalis Sedes de Mixtecas, enixis precibus apud hanc Apostolicam Sedem institisset, ut Episcopalis Ecclesia Tlascalensis seu Angelorum ad dignitatem et honorem Ecclesiae Metropolitanae attolleretur, cum assignatione in suffraganeam noviter erectae dioecesis de Mixtecas: et idem Leo Praedecessor, prout rei gravitas postulabat, totum negotium Sacrae Congregationi negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae expendendum commiserit: cumque, re mature perpensa, fuerit compertum expostulatam novae ecclesiasticae provinciae in civitate Angelorum erectionem ob auctum Suffraganearum dioecesium numerum esse necessariam ac in spirituale fidelium bonum cessuram, dictus Leo Praedecessor Noster ad eiusdem constitutionem deveniendum Apostolica sua auctoritate statuit et ordinavit. Verum, ita disponente Divina Providentia, morte interceptus, prohibitus est quominus, quod Ipse statuerat, ad optatum exitum perduceret. Nos igitur, omnibus quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt perpensis ac de omnibus certiores facti, omnia quae a dicto Leone Praedecessore decreta fuerant debitae exequutioni demandanda esse existimavimus. Itaque Nos, omnes et singulos, quibus dictae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventés et absolutos fore censentes, Motu proprio deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac attento consensu, quem in novae huius provinciae ecclesiasticae erectionem praestiterunt Venerabiles Fratres Nostri, sive Ioseph Maria Alarcon, hodiernus Archiepiscopus Mexican,, sive Eulogius Gillow, hodiernus etiam Archiepiscopus de Antequera, Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem a iure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Mexican. Apostolica auctoritate exsolvimus atque eximimus, et praevia in ea eiusque Cathedrali Capitulo necnon Civitate et dioecesi, status, tituli ac Sedis Episco palis dignitatis suppressione et extinctione, ex certa scientia et matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine ad gradum et dignitatem Ecclesiae Archiepiscopalis et Metropolitanae evehimus atque extollimus, atque in ea Archiepiscopalem et

Metropolitanam Sedem, non amplius Tlascalensem, sed Angelorum tantum nuncupandam, eadem Apostolica auctoritate erigimus et instituimus. Huic autem, ut supra erectae, Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, omnia et singula iura, privilegia et praerogativas a Sedibus Archiepiscopalibus et Metropolitanis in Mexicana regione haberi solita et consueta plenarie attribuimus et assignamus; ac deinde Venerabili Fratri Nostro Iosepho Raymundo Ibarra, qui actu Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem obtinet, Archiepiscopi titulum, ita ut postea Archiepiscopus Angelorum sit nuncupandus, una cum delatione Pallii et Crucis, nec non una cum aliis insignibus honoribus, iuribus et privilegiis, gratiis quoque et indultis, quibus ceteri Archiepiscopi de iure, usu et consuetudine in Mexicana regione legitime fruuntur et gaudent, eodem pariter modo et absque ullo discrimine, tam ipsi, quam etiam futuris eius in Archiepiscopali Sede Angelorum legitimis Successoribus, pari Apostolica auctoritate impertimur, concedimus atque conferimus. Cum vero nova dioecesis de Mixtecas, anno superiore erecta, Sedi Apostolicae *immediate subiecta* fuerit constituta donec aliter de ea disponere eidem Apostolicae Sedi visum fuerit, dictam dioecesim de Mixtecas ab immediata subiectione erga dictam Apostolicam Sedem eximentes, eandem in suffraganeam Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum attribuimus et accensemus, ac eius Episcopum pro tempore existentem, in Archiepiscopi Angelorum Suffraganeum, qui iuri ipsius Archiepiscopali et Metropolitico subsit, constituimus et adscribimus; quodque Clerus et populus dictae dioecesis de Mixtecas sicut quoad Episcopalem suo Episcopo, ita praedicto Metropolitanae Ecclesiae Angelorum quoad Archiepiscopalem et Metropoliticam iurisdictionem sint subiecti iuxta canonicas sanctiones volumus et mandamus. Huic autem Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, ut supra erectae, pro sua dioecesi idem territorium eandemque regionem, quam Episcopalis Sedes Tlascalensis seu Angelorum sibi peculiarem et propriam obtinuit, servatis nempe iisdem limitibus et finibus, qui Episcopalis dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, ut in praemissis suppressae, territorium et ambitum huc usque efformarunt atque constituerunt, adscribimus atque assignamus. Canonicam autem taxam memoratae Ecclesiae Angelorum in Mexicana Republica, ad dignitatem et gradum Archiepiscopalem et Metropoliticum, ut praefertur, erectae, in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni similis parte taxari constituimus, atque hanc taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi mandamus. Demum ad huiusmodi erectionem in Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem et ad praemissorum omnium et singulorum effectum, quorumcumque in hac erectione et dismembratione interesse quomodolibet habentium consensui, quatenus opus sit, de Nostra et dictae Sedis Apostolicae potestatis plenitudine supplemus. Nobis autem et eidem Sedi novas circumscriptiones aut dismembrationes in hac nova ecclesiastica provincia libere peragendi, quandocumque id in Domino magis expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitum et Capitulorum consensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem attribui necesse sit, reservavimus facultatem. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa quamtumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo

quod causae propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invalididatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quoquam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inescogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali, quae ad affectum validitatis earundem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illum et illas quandocumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque Litteras et Constitutiones aut Cancellariae Apostolicae Regulas etiam consistorialiter ex quisbusvis causis et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis (etiamsi in eis de iisdem partibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat) quandocumque editas, vel edendas, minime comprehendi, seu comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari. Quocirca, ut haec omnia a Nobis superius constituta suum etiam sortiantur effectum, memorato Venerabili Fratri Nostro Prospero Mariae Alarcon Archiepiscopo Mexican. per ipsas praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, omnes singulas facultates ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo, facta eidem insuper potestate quamcumque aliam personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam, subdelegandi, ita tamen ut ipse Prosper Maria Archiepiscopus vel eius Subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus (quatenus opus sit) Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula « De iure quaesito non tollendo » ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis ac Litteris Apostolicis, quibusvis supe-

ribus vel personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Prosper Maria Archiepiscopus intra sex menses authenticum exemplar actorum omnium, quae ad commissam exequutionem explendam ipse erit emissurus, ad memoratam Congregationem S. R. E. Cardinalium Rebus Consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in tabulario eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam et normam custodiantur. Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exsolutionis, exemptionis, suppressionis, extinctionis, evectionis, erectionis, institutionis, declarationis, subiectionis, constitutionis, assignationis, impertitionis, concessionis, indulti, praecepti, reservationis, mandati, voluntatis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, quinto idus Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

---

**VI. — Pontifex societatem a S. Caecilia coloniensem valde commendat.**

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER ARCHIEPISCOPO COLONIENSI. - COLONIAM AGRIPPINAM

PIVS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SOCIETATEM Caecilianam iamdudum apud vos ex instituto id agentem, ut cantus gregoriani scientiam peritiamque in usum sacrorum late promoveat, merito tu quidem ac iure Nobis commendasti. Dignum enim omni commendatione studium est ho-

minum, in re elaborantium, quae quum ad sanctissimas caeremonias, ea qua par est religione, peragendas conferat, magnopere ad fovendam pietatem publicam valet. Ex istorum autem a S. Caecilia sodalium sollertia industriaque fructus evenire, ubicumque germanicus sermo obtinet, laetos atque uberes, quamquam non ignotum Nobis erat, iucundum fuit ex tuis quoque litteris cognoscere. Nominatim didicimus libenter, ipsorum operam in finibus dioecesis tuae proficere et valere plurimum. Itaque non potest esse dubium, quin Caeciliana ista Societas aeque probetur Nobis, ac decessoribus Nostris Pio IX et Leoni XIII fel. rec. probaretur: nec Nos minus habemus certum, fore ut illa novis praescriptionibus, quas in hoc genere dandas censuerimus, eadem voluntate et fide obsequatur, qua obsequi Sedis Apostolicae mandatis consuevit. Eidem interea non exiguas nec vulgares laudes, quas meretur, Nostro etiam nomine tribuas volumus: simulque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem habe tibi, dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, quam laudatae quoque Societati universae et clero populoque tuis curis credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

---

**VII. — Pontifex Episcopis Austriae animum addit ministerio pastorali cum zelo exercendo.**

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO IOSEPHO TIT. S. MARIAE ANGELORVM IN TERMIS S. R. C. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSI CETERISQVE AVSTRIAE EPISCOPIS.

PIVS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QVAS e Vindobonensi conventu vestro litteras, communi sententia a vobis datas, accepimus, mirum quantum habuimus gratas quantaque animi iucunditate perlegimus. Nihil in illis officii, nihil voluntatis desideravimus, quod Pontifici Maximo, recens ad Petri Cathedram evecto, Episcopos par est exhibere. Quamobrem gratias a Nobis habetote meritas. Quod attamen in vestris litteris cum maxime adamavimus illud est, Venerabiles

Fratres, quod quae bona, quaeve mala in vestris dioecesibus occurrunt et vos agnoscitis penitus et Nobis candide aperuistis. Prodest hoc quidem Nobis ut, pro cura dominici gregis, fidelium vestrorum securitati prudenter prospiciamus; nec vobis minus est utile, ut norit quisque quae provehenda sint quaeve emendanda. Profecto quae, caritate deficiente tantaque errorum grassante lue, ubique dolemus damna, apud vestrates etiam reperiri necesse est. Quid vero, Venerabiles Fratres? An idcirco despondendum animos vel spe labendum? Memoria ne excidat hortamur, quos qualesque inter gentes Christus apostolos miserit. Idem porro Christus, qui heri et hodie et in saecula, posuit vos omnes regere ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Quod Ipsi Nobis animose proposuimus, et vos, Venerabiles Fratres, vobismet proponite: toto videlicet pectore, totis viribus persequi ut istaurentur omnia in Christo. Quae tanto operi perficiendo potissima sunt adiumenta, habetis affatim in encyclicis Litteris Nostris. Ea ut a clero et laicis studiose teneantur efficite. Nihil plane minus a vero abest, quam quod de Ecclesia patriaque vestra vos ipsi asseritis: illum nimirum inter utramque esse nexum, ut proficiant pariter deficiantque. Id vos genti vestrae persuadere penitus contendite. Ament nempe omnes patriam; verum hoc simul meminerint, nihil patriae bono efficacius conducere quam Christi religionem sancte inviolateque retentam. Ceterum Venerabiles Fratres, de studio benevolentiaque Nostris ne dubitetis unquam. Caritatis autem, qua Vos complectimur, testis esto Apostolica Benedictio, quam auspicem divinorum munerum, vobis, clero, populoque vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

---

**VIII. — Hac Epistola Pontifex gratulatur cum fundatrice egregiae sodalitatis " Opera delle Campagne ".**

A SVA ALTEZZA REALE ENRICHETTA DVCHESSA DI VENDÔME PRINCIPESSA DEL BELGIO-NEVILLY.

*Altezza,*

Il filiale omaggio, che Ci ha reso Vostra Altezza Reale in quella che implorava da Noi una testimonianza di benevolo animo verso la egregia *Opera delle Campagne,* Ci è giunto vivamente

accetto non pure per i sensi che l'Altezza Vostra esprimeva al Vicario di Cristo, ma eziandio per la caritatevole pietà, di cui Ella ci appariva insignita. Lunghi anni, ed essi non iscevri di qualche amorevole fatica, spendemmo anche Noi in pro degli umili abitatori dei campi, ed a vantaggio delle derelitte Chiese, dove è l'istesso Iddio dei magnifici Tempii che da povero Clero riceve culto disadorno. Poichè pertanto anche Vostra Altezza nella Presidenza di così benemerita Opera ha bellamente consacrato tanta parte delle elette sue industrie, Noi siamo ben lieti di felicitarci con lei. Per significarle poi nella più grata maniera la sincera brama, che Noi nutriamo, di vedere prosperare il sullodato Sodalizio, di tutto cuore gli preghiamo l'assistenza del Cielo, ed all'Altezza Vostra, del pari che a quanti gli son larghi di aiuto, impartiamo paternamente l'Apostolica Benedizione.

Dato in Roma presso S. Pietro il 16 Dicembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X.

---

**IX. — Pontifex gaudet de coetu Eucharistico ex omni natione habendo Engolismae.**

VENERABILI FRATRI FRANCISCO ERNESTO EPISCOPO ENGOLISMENSIVM. - ENGOLISMAM.

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PRIMVM post impositum Nobis universae pondus Ecclesiae, cogi brevi contingit eucharisticum ex omni natione coetum, ac delectam illi habendo scimus urbem pastoralis officii tui Sedem, Engolismam, nobilem profecto civitatem ac piam. Tibi, sollerti religiosoque Praesuli, ceterisque celebrandi conventus auctoribus, libet e credita Nobis Pontificatus Supremi Cathedra illos aperire sensus, quibus paucos ante annos Ipsi incendebamur, quum Venetiis congressum Italiae XV celebraremus ad cultum Sacramenti Augusti exaugendum. Equidem praeclarum eventum, pro ea quam inde expectamus, ubertate fructuum, omni animi laetitia gratulamur, Iesumque Sacramento latentem, cuius ad amplificandum honorem undique ac plurimi profecto convenietis, adprecamur vehementer velit Ipse vestris adspirare consiliis, coetusque salubria opera coelestis gratiae rore fortunare. Vobis autem ad deliberandum aggressuris versetur illud in mente, communem

populorum pietatem in pietatem intueri vestram, ab eaque quarere et exemplum imitationi propositum et incitamentum perficiendae virtuti destinatum. Haereat etiam illud in animis, gratiam eucharistici conventus talem omnino esse existimandam, ut commoti eius efficacitate homines ac meliores effecti, iam non videantur, in re christiani cultus praecipua, posse ullo modo in posterum reprehendi. Iis praesertim qui adversario ausu in Eucharistiam feruntur, religione sensuum, voluntatum concordia, caritate denique verborum atque operum exemplo sitis, multosque ad adhibendam sacramento venerationem atque ad concipiendum divini alimenti amorem allicite. Haec si in conventu spectaveritis, Deumque in primis si prece magna rogaveritis vobis uti ex altari adsit, in quo sacris tectus speciebus, amoris caussa, latitat, erunt procul dubio frugiferi coetus vestri labores. Nos autem coelestium gratiarum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi atque omnibus, qui in congressu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

**X. — Pius PP. X gratias agit augustissimo Guilelmo Germaniae imperatori, Borussiae regi, ob sibi oblatum primum operis volumen ab Ernesto Steinmann confectum ad illustrandum Sacrarium Xistinum.**

PIVS PP. X

AVGVSTISSIME ET SERENISSIME IMPERATOR, SALVTEM ET FELICITATEM.

PRIMVM operis volumen, quod ad Xystinum illustrandum sacrarium Ernestus Steinmann, doctor, edere est aggressus, pergate a Maiestate Tua dono suscepimus, gratiasque Eidem quam plurimas de praeclaro munere agimus. Novum inde haurire placet argumentum humanitatis urbanitatisque, quae in praenobili ac munfico Maiestatis Tuae animo elucent ac splendent, libetque gratulari etiam vehementer quod ad rem tanti tamque explorati decoris favorem omnem ac liberalitatem Tua Maiestas contulerit. Id interea gaudemus, doctoris Germanici studio novum artis monumentum e Vaticanis aedibus fuisse profectum, semperque id genus opera in eruditis Germaniae viris laudabimus, quum non minus eadem ad Nostram illustrandam Sedem, quam ad comparandam Imperio isti gloriam conducant. Maiestati Tuae omni-

que Augustae Ipsius Domui faustissima quaeque exoptamus, deumque adprecamur ut Maiestatem Tuam incolumem diutissime servet.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

---

**XI. — Pontifex Episcopos Aequatorianos hortatur ad potestatis civilis hostiles ausus strenue substinendos.**

VENERABILIBVS FRATRIBVS ET DILECTIS FILIIS EPISCOPIS CETERISQVE LOCORVM ORDINARIIS IN REPVBBLICA AEQVATORIANA.

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

ACRE nefariumque bellum ab iis, qui rempublicam Aequatorianam temperant, iamdudum adversus Ecclesiam susceptum, tantum abest ut diuturnitate defervescat, ut flammam potius concipiat in dies maiorem. Iam horum consilia huc spectare, ad religionem catholicam non modo iniustis vinculis impediendam sed ever tendam funditus, clare indicant istae quae rogantur et sanciuntur leges; si tamen leges ea sunt decreta nominanda, quibus civilis auctoritas perperam de rebus, a ratione et potestate sua remotis, quid statuerit.

Apostolica quidem Sedes, pro paterna sua in civitatem vestram benevolentia, per multis perque magnis testata exemplis, quum nihil praetermisit quod hostiles mitigare animos posset, tum de reliquo facilitatem indulgentiamque omnem paratissima est ad redintegrandam pacem adhibere. Interim vero Apostolici sanctitas officii, quemadmodum Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII impulit, ut, datis ad vos litteris, violata Dei et Ecclesiae iura vehementer expostularet, ita nunc, quando novae maioresque dolendi causae in hoc genere existunt impellit Nos, ut illatas religioni iniurias eo magis conqueramur.

Sane haec talia deplorare satis non possumus, de quibus iam nonnulli vestrum, valde se Nobis probantes, questi sunt: sanctitudinem stabilitatemque matrimonii christiani inique attentam; exturbatum bonorum possessionibus Clerum; disiectas religiosorum familias, nativamque potestatem sollemnia Deo vota nun-

cupandi coaugustatam improbe; varia perfunctioni sacri ministerii allata impedimenta. Atque ad ista onmia, quae quidem maximo Nobis moerori sunt, vobisque, quotquot estis sacrorum antistites, intolerandam rerum conditionem creant, cumulus quidam accedit ex eo, quod pleraeque dioeceses diutius iam Episcopos suos desiderant. Iamvero huic ipsi incommodo, singularem in modum gravi, quod multorum causam malorum continet, ne fiat remedii cunctatione gravius, sentimus mature ratione aliqua medendum esse.

Sed alia praeterea est cura, quae Nos magnopere sollicitat: veremur quippe, nec sine causa, ne istorum qui in civitate praesunt, exempla sensim in iis qui subsunt, tantum possint, ut veterem exploratamque istorum cum Romano Pontifice coniunctionem extenuent. Quapropter vestrum erit, Venerabiles fratres et dilecti filii, omnem operam diligentiamque conferre in populum, et efficere, ut catholici homines, arctius in dies vobis et per vos Apostolicae Sedi adhaereant: iidemque, vobis auctoribus, concordi nisu et salva verecundia civili auctoritati debita, contendant quavis legitima ope sarcire damna quae religioni publice importata sint.

In primis vero excitate omnes et hortamini ad officia rite servanda christianae vitae, illa praesertim, quorum custodiam praesens rerum perturbatio difficiliorem facit. Quibus ex officiis duo nominatim commendanda sunt. Alterum, ut ista direptione ecclesiasticorum bonorum quidquam deminui de sacrosanto iure dominioque Ecclesiae ne pubent, ideoque religiose videant obtemperandum esse sacrorum canonum in hac re praescriptis, nisi statutas subire poenas, adversus huius sacrilegii reos gravissimas, velint. Alterum, ut quoniam divini cultus necessitatibus consulere, redacta ad inopiam, Ecclesia non potest, subsidio huic veniant catholici, uti par est, ac sumptus eiusmodi, pro sua quisque facultate, suppeditent.

Ceterum nolumus, propter has temporum acerbitates despondeatis animum. Adspicite in auctorem fidei et consummatorem Iesum; qui cum, ipse tentatus per omnia, Ecclesiae suae similia perpetienda fore denuntiavit, tum, quod ipse vicisset mundum, in se confidere eam iussit. Hac igitur fiducia subnisci, vos alacres, Ecclesiae sanctae causa, contendite; Nosque interea Deum implorabimus, ut et vobis opportunam det opem, et meliorem Reipublicae istius moderatoribus mentem iniiciat. Horum auspicem bonorum et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Vene-

rabiles Fratres et dilecti filii, et clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Maii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

**XII. — Epistola ad Rmum D. Antonium Fiat, qua Congregationem Sacerdotum a Missione Pontifex laudat praesertim ob initum consilium suppeditandi Episcopis sodales, qui in seminariis rectorum doctorumque munere fungantur.**

DILECTO FILIO ANTONIO FIAT, MODERATORI GENERALI SACERDOTVM A MISSIONE. - PARISIOS.

PIVS PP. X

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SODALITATEM sacerdotum a Missione, cuius summum obtines magisterium, multa Nobis ad benevolentiam commendant. Est enim illi cohaerentium Nobiscum sensuum custodia sollers: eadem vehementer nititur exemplum bonorum operum, vitae praesertim sacerdotalis integritate, et clericis impertire et laicis: tum etiam egregio, a quo nuncupari gaudet, nomini respondens, sacrarum expeditionum incremento fructuique studet, optimis assidue emissis Evangelii praeconibus, cultusque religiosi et humani prolatis beneficiis. Hanc tibi laudem ceterisque e sodalitate universis gratulari libet enixe, quum e studio gloriae divinae, quo vobis animus ardet, nec pauca hauserimus nec ea communia laetitiae argumenta. Ipse vero permultam Nobis ad voluptatem significasti sodales a Missione libenter te Episcopis Italiae suppeditaturum ut in sacris Seminariis aut moderatorum officio aut doctorum munere perfungantur. Gratam tibi voluntatem de praestantissimae utilitatis consilio profitemur, nihilque putamus ambigendum non minora extitura sodalium tuorum in Seminariis excolendis promerita, quam in propositis antea coetui bonis assequendis fuere. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam Benedictionem tibi et sodalitati universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

**XIII. — Pontifex Augustissimae Imperatrici Sinarum gratulatur de septuagesimo ab ea ineundo anno eique mittit donum.**

PIVS PP. X

AVGVSTISSIMA ET POTENTISSIMA IMPERATRIX,
SALVTEM ET PROSPERITATEM.

Nvnciatvm est Nobis Maiestatem Tuam proximo Octobri mense inituram septuagesimum aetatis annum, felicemque hanc rem ingenti gaudio futuram universo Sinarum populo. Quod eiusmodi faustitas expleat Tuam gentem laetitia, intelligimus inde immo etiam confirmatum agnoscimus quanto et quam merito amore antiqua et nobilis Sinarum natio Maiestatem Tuam complectatur. Aequum autem praesentisque celebritatis dignum illud etiam censemus ut, quotquot sunt amicitia Tecum aut beneficiis coniuncti, hunc Tibi eventum gratulentur omnes. Quapropter Nos etiam Religionis Catholicae Antistes Summus, qui probe exploratum habemus de Religione Nostra Te bene meruisse, tum ob permissam catholicis istis potestatem cultus profitendi, tum etiam ob demonstratam iisdem benevolentiam, properamus gratulationes Maiestati Tuae maximas ac laetissima felicitatis omina offerre. Ad huius autem iucundi eventus memoriam, donum etiam placet adiicere, tenue quidem illud per se ac sane modicum, propensissimi tamen studii argumentum. Quae interim vota pro Tua Maiestate concepimus, illa compleat Deus, quem enixe deprecamur ut Te Tuamque Domum Augustam caelesti omni munere atque in primis tranquillitate et pace longum in aevum tueatur.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Iulii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

---

**XIV. — Pontifex gratulatur de Conventu Mariali habendo Barcinone ob praeclaros fructus inde obventuros.**

DILECTO FILIO BENEDICTO DE POMES, EQVITI PRAESIDI CONVENTVS SODALITATVM MARIALIVM EX HISPANIA ET AMERICA. – BARCINONEM.

PIVS PP. X

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Barcinonem conventuris propemodum ex Hispania et America filiis ad solemnem habendum coetum Sodalitatum Marialium, Noster iucundissime fertur animus non ad expectationem modo,

quam positam in eorum consiliis fovemus, aperiendam, sed ad gratulationem quoque significandam. Placet enim praeeuntem coetui, qui Romae proxime cogetur, celebrari istic honori Deiparae Immaculatae congressum, in quo, apud nobiles Hispaniae et Americae gentes, religionis provehantur commoda, Marialium Sodalitatum amplificetur decus, earumque incrementis rerum apte consulatur, quae ad instaurandam christiane vitam et ad popularem catholici nominis actionem commendandam conducant. Nobis certe dubium non est plurimum vos utilitatis ex hac tali congressione laturos; cuius quidem referendi copiose fructus non solum Nobis spes firma affulget ex propositi consiliique vestri gravitate, aut e vestra sollertia operis, sed ex illibata quoque voluntate ac fide, qua, Ignatii Loiolaei symbolum secuti, maiorem in dies gloriam Supremo Numini quaeritis. Benignissimum propterea Deum eiusque magnam sine labe Matrem, uti studia laboresque coetus fortunent, adprecamur, testemque animi Nostri tibi et omnibus, qui e conventu erunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI Novemb. MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

---

**XV. — Pontifex merita honestat laude Coetum Filiarum Fidei hortaturque ut in dies numero excrescat.**

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE ELISAE O'BRIEN LVMMIS, SOCIETATIS FILIARVM FIDEI MODERATRICI. – NEO-EBORACVM.

PIVS PP. X

DILECTA IN CHRISTO FILIA, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QVAE de istius Societatis a te institutae rationibus, deque optimis ex ea perceptis fructibus significasti, Nos quidem cum suavi consolationis sensu cognovimus. Sane non possumus quin valde laetemur, quum videmus probatissimas foeminas, nominatim quae vel gratia, vel facultatibus, vel commendatione nominis plurimum in civitate valeant, consociatas inter se ob eam causam, ut maxime in suo ipsarum ordine, laus christianorum morum reviviscat integra; easque, pro viribus opibusque suis, obniti contra invalescentem hodie *naturalismum,* qui, deliciarum voluptatumque amorem spirans, mollit atque enervat animos, sensimque officiorum vel sanctissimorum in ipsis catholicis conscientiam delet.

De quibus officiis haec praecipue memoramus: prohibere a matrimonio christiano divortiorum labem ac dedecus; institutioni liberorum intra domesticos parietes atque in litterariis ludis recte consulere; illas cohibere convictus humani pestes, probrosam spectaculorum licentiam, librorum obscoenitatem, colloquiorum ac coetuum mollitiem futilem, inverecundam in ornatu cultuque corporis luxuriam. — Itaque quod opus tu, dilecta in Christo Filia, non sine coelesti consilio auspicioque inivisti, quodque, probante dioecesis Antistite, persequuta adhuc es, id ipsum volumus ut posthac, praesidio auctoritatis Nostrae freta, pergas animosior. Simul confidimus fore, ut tuis tuarumque sociarum exemplis excitatae, multo plures inducant animum instituto vestro dare nomen, ac pia ista Societas, te duce, ad alias quoque dioeceses diffundatur, atque etiam viris catholicis incitamento sit ut, simili pacto inter se coeuntes, ad simile propositum contendant. Interea divinorum munerum auspicem, ac paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecta in Christo Filia, Societati tuae universae, iisque omnibus, qui eandem quoque modo iuverint, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Novembris, festo S. Caeciliae Virginis Martyris, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

## XVI.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE BARONI DE HAXTHAVSEN, PRAESIDI SODALITATIS GERMANICAE FEMINARVM PVELLARVMQVE SACRIS EXPEDITIONIBVS ADIVVANDIS. - FVLDAM.

PIVS PP. X

DILECTA FILIA, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ad suppetias expeditionibus sacris ferendas convertere vos, coniunctis viribus, animos, atque interea obsequium praestare Illi, qui, personam quum gerat Christi, universos, ad quos expeditio quaevis sacra pertinet cura et cogitatione complectimur, gratum mirifice est. Quapropter non modo vestrum vehementer probamus amplificandae divinae gloriae studium, exemplumque laudamus, unde publice, ad avitae propagationem fidei, enitetis, sed memorem quoque voluntatem de oblata oratorii sacri supellectili testamur, munusque sic esse a Nobis exceptum profitemur,

quemadmodum coniunctionis argumenta excipere par est, quae ab optimis quibusque filiis exhibeantur. Auspicem caelestium donorum Nostraeque dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem tibi singulisque sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

---

**XVII. — Pontifex laude prosequitur Episcopos Oceaniae ob conventum habitum.**

DILECTO FILIO NOSTRO PATRITIO FRANCISCO TIT. S. SVSANNAE S. R. E. PRESB. CARD. MORAN, ARCHIEPISCOPO SYDNEIENSIVM, CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS OCEANIAE. — SYDNEIVM.

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

HABITVM a vobis haud ita pridem conventum et consulta prudenter in eodem complura, non humane minus, quam grate communi epistola nunciastis. Equidem certe plenos vos divini spiritus, eosdemque officii apostolici diligentissimos in eiusmodi coetu impendistis, ea maxime in re quum, non modo creditarum incremento ovium, sed eorum etiam, qui foris sunt, invitationi suavi dedistis operam. His quidem caritatem, quae a Christo fortiter urget, demonstrare omnem curae fuit: pietatem vero commendare illis, et catholici nominis suadere omne genus opera studuistis. O utinam, quemadmodum pastoralem in vobis sollicitudinem Nos laude prosequimur, sic efficacitate Dominus ditet! Id sane sperare bene iubet vestra in Immaculatam Virginem religio, cui uberius provehendae multum sane sollertiae in congressu impendistis. Virgo propterea Deipara consiliis ac laboribus vestris propitia prece obsecundet, vobisque caelestes gratias conciliet, quarum auspicem, Apostolicam Benedictionem et vobis et gregibus vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Decembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

---

**XVIII. — Litterae apostolicae ad Episcopos Reipubblicae Peruvianae quibus, occasione cujusdam ipsorum conventus, episcopales conventus laudantur et urgentur.**

VENERABILIBVS FRATRIBVS EMMANVELI, ARCHIEPISCOPO LIMANO, CETERISQVE EPISCOPIS REIPVBBLICAE PERVVIANAE.

PIVS PP. X.

VENERABILES FRATRES, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Magnopere Nos vestra vel in pastorali officio diligentia, vel sanctarum praescriptionum custodia, vel studiosa erga Jesu Christi Vicarium observantia delectat, confirmata a vobis proxime, quum una simul convenistis, ecclesiarum vestrarum causa, quumque, conventu habito, certiores Nos de rebus communiter actis per amantissimas litteras fecistis. Equidem persuasum habemus, hos Episcoporum conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione aut provincia Regnum Dei; conferendo enim inter se consilia sacrorum Antistites, non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates populorum, et, quae sint magis opportuna factu, statuant, sed etiam ut cohaerescant invicem coniunctius: quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Quare legis instar sanctissimae illud servari velimus, quod est in Plenario Americae Latinae Concilio praescriptum, ut exacto quoque triennio, episcopales in singulis nationibus vestris habeantur coetus. Huic vos quidem praecriptioni obsecuti estis: neque est dubium, quin semper in posterum obsecuturi sitis diligenter.

Nostis horum iniquitatum temporum, quantumque adhiberi studium oporteat, ut et disciplinae integritas apud Clerum in tuto sit, et fides moresque probi vigeant in populo, et ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est, Ecclesia vindicetur. Ista vero vobis esse curae, consulta et decreta demonstrant conventus vestri: quem Nos, vobis adnitentibus, iuvante Deo, salutares laturum fructus, qui expectantur, confidimus. Auspicem divinorum munerum ac testem effusae benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, ac vestro cuiusque gregi Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Septemb. anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

# SECRETARIA STATUS

**Litterae apostolicae ad comitem Benitum Sylvain, fundatorem operis "Relèvement social des noirs."**

*Très honoré Monsieur,*

Le Saint-Père a trouvé hautement digne du noble esprit et des sentiments généreux q ui vous animent, l'œuvre que vous avez conçue et décrite sous le beau nom de « Relèvement social des Noirs ».

Vous dites fort bien et vous rappelez très à propos que la proclamation solennelle et si précieuse de l'égalité et de la fraternité entre tous les hommes est due à Notre Seigneur Jésus-Christ, qui, pour le salut de tous, comme un aîné à l'égard de ses frères, fit le sacrifice de sa vie.

Avec non moins de vérité et d'opportunité vous rappelez les incessantes protestations formulées par les Souverains Pontifes contre la continuation de cette ignominieuse plaie qui s'appelle l'esclavage.

C'est pourquoi le Saint-Père voit avec une satisfaction toute particulière que Votre Seigneurie illustrissime, revêtue de l'honorable qualité de délégué général de l'Association panafricaine vient d'ouvrir un nouveau champ à son zèle et à celui d'autrui en fondant ici, à Rome, l'œvre sus-mentionnée du relèvement social des noirs, laquelle se propose le noble but de combattre l'injuste et déraisonnable *préjugé de couleur*, de sauvegarder vis-à-vis des colons européens les droits légitimes des indigènes africains, et de fournir aux noirs eux-mêmes l'occasion de monter par leurs propres forces à la hauteur de la civilisation chrétienne, prouvant ainsi à la face du monde entier qu'il n'est conforme ni à la charité, ni à la justice. de voir leur race assujettie pour toujours à des services nécessairement subalternes.

En conséquence, Sa Sainteté, voulant unir sa voix à celle de ses vénérés prédécesseurs, félicite vivement Votre Seigneurie pour la noble entreprise à laquelle vous vous consacrez, et de tout cœur Elle fait des vœux pour que toutes les personnes qui sont pénétrées du principe de fraternité prêché par l'Homme-Dieu, vous donnent largement leur coopération, leur assistance et leur appui.

Enfin, pour que la grâce divine féconde la chrétienne initia-

tive de Votre Seigneurie, Sa Sainteté vous accorde avec une affection spéciale la bénédiction apostolique, et appelle en outre les faveurs célestes sur tous ceux qui voudront bien seconder efficacement la mise à exécution de votre noble projet.

En portant cette information à votre connaissance, je profite avec plaisir de l'occasion qui m'est offerte pour me dire, avec la plus haute estime, de Votre Seigneurie illustrissime, le très affectionné serviteur

Rome, 28 juin 1905.

R. Card. MERRY DEL VAL.

## SECRETARIA BREVIUM

**I. — Breve quo suam Pontifex erga Romanam a S. Thoma Aquinate Academiam gratiam testatur, et cultum doctrinae thomisticae catholicis orbis scholis commendat.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

IN praecipuis laudibus Leonis XIII fel. rec. Decessoris Nostri quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus. Sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis instaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis sacrorum impenderet; eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consectandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque philosophiae christianae ac theologiae Ducem Magistrumque suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaborasset ad tuendam veritatem, multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos perquam idonea: siquidem quae, nati ad utilitatem omnium temporum, Sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thoma aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit. Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit; quin imo, ratus cle-

ricos non posse digne suum tenere locum, nisi apparatiore quodam doctrinae commeatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit. Iamvero ad fovendam, quam Encyclicis litteris « *Aeterni Patris* » indixerat, instaurationem disciplinae Thomisticae, subinde in Urbe Roma, utpote quae catholico orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a Sancto Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim de philosophia Angelici Doctoris. Academiam ipsam annuis reditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem, quae ceteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad doctoris in philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo laudabile scientiae specimen sollemni periculo dedissent. Denique anno MDCCCXCV statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges, quas diuturnum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit.

Ad Nos quod attinet, quando Pontificatus Noster incidit in tempora, traditae a patribus sapientiae inimica fortasse magis, quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae Decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque Thomisticae constituisset, ea religiosissime servanda atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratia, romanam a S. Thoma Accademiam, quae in ceteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari quadam Leonis floruit, similiter Nostra posthac florere providentia volumus.

Equidem novimus, ex eo coetu sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex pincipiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutina pensando recentiorum placita philosophorum; proptereaque gratulamur eis libenter, quod germanas philosophiae progressiones non mediocriter adiuvent. Verum ne nobilissimae contentioni diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus, ut voce et auctoritate Nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tanquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes, quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt: nimirum curae habeant, a via et ratione Aquinatis nunquam discedere, in eandemque quotidie studiosius insi-

stant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut sollertiam laboresque suos conferant maxime ad coercendam pro virili parte communem illam rationis fideique pestem, quae longe lateque serpit: *neorationalismum* dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

Ceterum statuta, bona, privilegia, iura, quae Decessor Noster Academiae romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea Nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII mensis Ianuarii, festo S. Raymundi de Pennafort, anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri primo.

A. Card. MACCHI.

---

**II. — Litterae apostolicae in forma Brevis quibus territorium de Joliette separatur e dioecesi Marianopolitana et erigitur in distinctam dioecesim.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

PASTORALE Romani Pontificis officium postulat, ut in regionibus potissimum peramplo terrarum marisque spatio a catholici orbis centro disiunctis ea sedulo studio decernantur, quae christiano nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti curandae bene, prospere, ac feliciter eveniant. Iamvero cum Archidioecesis Marianopolitana in Canada amplitudine territorii et catholicorum numero conspicua regionem quandam ad Septentrionem amplectatur, quae colonorum numero in dies percrebrescente peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, atque ipse Archiepiscopus Marianopolitanus Nos enixis precibus flagitaverit, ut regionem illam e sua Archidioecesi detractam in peculiarem Episcopalem Sedem erigere de Apostolica Nostra Auctoritate dignaremur, Nos, collatis consiliis cum Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memorati Antistitis votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa

scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium vi ab Archidioecesi Marianopolitana territorium separamus, quod amplectitur tres Comitatus vulgo nuncupatos *de Joliette, Borthier,* et *Montcolm,* nec non quatuor parochias existentes in Comitatu vulgo de l'Assumption cum actualibus limitibus, quae respective nuncupantur *ab Epiphania, S. Rochi de l'Achigan, S. Henrici de Mascouche.* et *S. Lini des Laurentides.* Ex hoc territorio novam effingimus Dioecesim distinctamque, eiusque sedem Episcopalem erigimus in civitate *Joliette* appellata, eique Joliettensi nomen facimus, et Marianopolitanae Archidioecesi suffraganeam volumus. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Ianuarii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**III. — Breve apostolicum quo hierarchia catholica in insula Terrae Novae constituitur.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

In hac B. Petri Cathedra divinitus collocati in id potissimum curas cogitationesque Notras intendimus, nimirum ut christiana res potiora capiat in dies, Deo favente, incrementa. Iam vero cum in Insula Terrae Novae Americae Borealis, in quam iamdudum catholica religio invecta fuit, duae iam floreant dioeceses atque unus existat Vicariatus Apostolicus, feliciterque ita res catholica adoleverit, ut ad maiora fidei incrementa in illa Insula promovenda atque ad decus catholicae religionis amplificandum peropportunum consilium visum sit ut Ecclesiastica ibidem erigatur Hierarchia; Nos collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt, decernenda existimavimus. Quae cum ita sint, omnes

et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine praesentium vi Dioecesim S. Ioannis quae ceteris vetustate et Catholicorum numero antecedit, in Sedem Metropolitanam constituimus. Vicariatum vero S. Georgii in Dioecesim ab eodem S. Georgio denominandam erigimus Apostolica similiter Nostra auctoritate praesentium vi, eamque novam Dioecesim a S. Georgio sic per Nos erectam una cum iam existente Dioecesi Portus Gratiae, quae etiam Labradoriae oram in proximo continenti complectitur, tamquam suffraganeas haberi volumus novae Sedis Metropolitanae S. Ioannis. Decernentes praesentes Literas, firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscunque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII Februarii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**IV. — Breve apostolicum quo dividitur dioecesis Providentiensis et erigitur nova dioecesis Riverormensis.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SVPERNI apostolatus officium Nobis divinitus commissum postulat, ut ea sedulo studio praestemus, quae in catholici nominis incrementum exploratamque christianae plebis utilitatem cedunt. Iam vero cum Venerabilis Frater Matthaeus Harkins, Episcopus Providentiensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, enixe postulaverit a Sancta Sede, ut ad incrementum religionis et ad maius bonum animarum nova dioecesis erigeretur per divisionem dioeceseos commissae sibi, cumque Venerabiles

Fratres Archiepiscopus Bostoniensis et Episcopi comprovinciales eiusdem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis attentoque gravissimo suffragio Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Delegati Apostolici in praefata regione, oblatis precibus annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus hae Literae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum e Dioecesi Providentiensi eam partem distrahimus, quae sita est in Statu vulgo *Massachussets* appellato, atque ex ea novam Dioecesim instituimus cum Episcopali residentia in civitate *Fall-River*, a qua ipsa nomen *Riverormensis* habebit, et cum Cathedratico pro sua mensa Episcopali discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**V. — Breve quo Praefectura Apostolica Insularum Novarum Ebridarum in Oceania erigitur in Vicariatum.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

ROMANI Pontifices, qui suprema sibi divinitus commissa in universam Ecclesiam auctoritate pollent, Catholicas Missiones, quibus incrementum fidei concreditur, alacri iugiter studio provehere, et iis, quas aucto christifidelium numero praestare ceteris norint, peculiaria iura et honores pro re ac tempore addere

consueverunt. Cum vero Praefectura Apostolica haud pridem erecta in insulis Oceaniae, quae Novae Ebridae appellantur, opitulante Deo, felices progressus habuerit, Nos ad eiusdem Missionis decus augendum, eiusque incrementum magis magisque promovendum, omnibus rei momentis attente perpensis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memoratam Apostolicam Praefecturam in Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus. Quare ommes et singulos quibus hae Nostrae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis plenitudine praesentium vi Praefecturam Apostolicam Insularum Novarum Ebridarum in Oceania in Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, privilegiis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent, eique idem imponimus nomen. Decernentes has Nostras Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**VI. — Breve quo Operi Propagationis Fidei patronus caelestis datur S. Franciscus Xaverius huiusque solemne ad ritum duplicem maiorem evehitur.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

IN Apostolicum sublecti munus, atque in ipso christiani sacerdotii vertice divinae clementiae dono collocati, longe maiorem profecto sollicitudinem sustinendam suscepimus, quam quae Romani vigilantia gregis contineatur. Excessurus enim e terris Christus Apostolos iussit, et in his Petrum praecipue, quem non modo

dignitate, sed etiam caelestis gloriae studio praelucere ceteris voluit, gentes edocere universas, salubremque doctrinae novae praedicationem ad remotissimas quasque aut immanissimas orbis partes afferre. Porro divinis praeceptis obsequentes Decessorum-que Nostrorum clarissima exempla sectantes, nihil esse magis officio Nostro consentaneum arbitramur, quam ut, si quae ad patefaciendum Evangelii lumen atque ad proferendos Ecclesiae terminos videantur cònducere, iis voluntatem omnem gratiamque impertiamus. Inter haec autem utilitate atque opera praestat opus illud, summa laude dignum, quod a *Fidei propagatione,* nobile nomen accepit. Huius origo operis divino plane instinctu in medios homines profecta videtur. Nam fidelis Ecclesiae populus, quum non in praedicanda Christi doctrina haberet sibi demandatam provinciam, consultum Dei providentia est ut stipe ac subsidiis Evangelii praecones iuvaret. Suasit hac de causa caritas, qua in Redemptorem Christum optimorum hominum pectora urgebantur, fideles ex omni gente ac natione coalescere in unum, conferre ex opibus aliquid in expeditiones sacras submittendum, sociata etiam prece administris sacrorum succurrere, atque ita id assequi quod votorum summa esset, divini nempe regni in terris incrementum. Compertum autem apud omnes est id genus sodalitatem praeclare de propaganda christiana fide meruisse. Quod enim suppeteret unde catholicae doctrinae nuntii ad dissita ac barbara loca contenderent, beneficia illuc Religionis nostrae humanique cultus allaturi, tam nobilis coetus tribui largitati debet. Hinc initia salutis innumeris populis parta; hinc fructus animarum comparati tanti, quantos nemo aestimet rite, nisi qui effusi per Christum sanguinis virtutem pernorit, hinc, contra quam expectari a disiunctis hominum viribus posset, Evangelii evulgadi nlegi mire obtemperatum. Haec Nobiscum sodalitatis promerita reputantes, nullo non tempore sensimus in coetum insignem Nos studio ferri, nec vero illi pro tenui adiumenti parte defuimus, maiora tamen animo spectantes, si facultas, Deo propitio, daretur. Iam quoniam id Nobis Omnipotentis Dei benignitas dedit, ut ex hac Petri Cathedra spiritualia fidelibus commoda dispertire possemus, praetermittere nolumus, ut, quem supra laudavimus coetum peculiari quodam benevolentiae argumento honestemus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Auctoritate No-

stra Apostolica, praesentium vi, ut cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, Sanctum Franciscum Xaverium caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui caelestibus Patronis, competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae ampliorisque liturgiae accessio ne desit, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ritum Duplicem Maiorem, servatis rubricis, apud universam Ecclesiam provehimus. Est huic Caeliti cum Opere *Fidei Propagandae* ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret, tanto animum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Quapropter spes Nos bona tenet, coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium, omniumque, qui stipem conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet, sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita *Sodalitatem Fidei Propagandae* esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen affulgeat. Quam quidem ad rem multum procul dubio proficient Cathoiicorum voluntates, etsi disiuncte ac privatim liberales se praebebunt ad munera: verum nihil erit ad utilitatem praestantius quam si decuriati Catholici viri conferant quemadmodum est prudentia summa provisum. Scilicet quae minus inter se vires cohaerent, minus valent ad caussam; valent vero quamplurimum coniuncta et colligata ordine studia. Illas recte facere dicemus, ista etiam rite. Servator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propagando nomini coetus incumbit, tegat gratia praesidioque opus: qui enim non auro vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine redempti vivimus, divinam imprimis spem contendere cum magna prece debemus. Haec mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosqoe plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut praesentium Lit-

terarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exibitae vel ostensae. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv Martii MDCCCIV, Ponticatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**VII. — Breve quo Praefectura Apostolica Insularum Annobon, Corisco et Fernando Póo erigitur in Vicariatum Apostolicum.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

ECCLESIAE universae divinitus commissa Nobis cura postulat, ut quae in spirituale christiani gregis bonum atque emolumentum cedant, Apostolica Auctoritate interposita, praestare maturemus. Iam vero cum nuper expositum Nobis fuerit Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo,* cui modo magnum continentale territorium adnexum fuit, *ita* opitulante divina gratia, floruisse, ut conveniens existimetur eam in Vicariatum Apostolicum erigere; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec, quae infra scripta sunt, statuenda idcirco censuimus. Nimirum omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium tenore perpetuum in modum Praefecturam Apostolicam insularum *Annobon, Corisco* et *Fernando Póo,* servatis confiniis quibus in praesens ipsa continetur, in Vicariatum Apostolicum evehimus *de Fernando Póo* appellandum, cura eiusdem relicta Missionariis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis Mariae. Decernentes praesentes Literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quos-

cumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**VIII. — Litterae apostolicae in forma Brevis quibus seiunguntur nonnulli comitatus e diœcesi Helenensi et in novam diœcesim Greatormensem coguntur.**

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

VNIVERSALIS Ecclesiae procuratio Nobis, licet immerentibus, divinae Providentiae credita consilio Nos admonet, ut novas in orbe Catholico Dioeceses constituamus, quum id ad maiorem dominici gregis utilitatem cedere videatur. Cum vero bo. me. Ioannes Baptista Brondel, Episcopus Helenensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, nuper defunctus, enixe ab hac Apostolica Sede postulavisset, ut, ad incrementum religionis et ad maius animarum bonum, nova Dioecesis in Provincia Ecclesiastica Oregonopolitana erigeretur per suae Dioeceseos divisionem, cumque Venerabiles Fratres Archiepiscopus Oregonopolitanus et Episcopi comprovinciales eandem petitionem unanimi consensu commendaverint; Nos, omnibus rei momentis attente perpensis, ac de consilio etiam DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in hoc suffragiis suffulto Venerabilis Fratris Diomedis Falconio, Archiepiscopi titularis Larissensis et illius praedictae regionis Apostolici delegati, huiusmodi preces benigne excipiendas censuimus. Quare ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque plenitudine Apostolicae Auctoritatis praesentium vi, Motu proprio, e Dioecesi Helenensi sequentes regiones, seu, uti vocant, Comitatus Choteau, Cascade, Fergus, Seweetgrass, Yellowstone, Carbon, Rosebud, Custer, Dawson, Valley et Park, qui in parte orientali status Montana siti sunt, seiungimus ac dismembramus, eosdemque in veram ac

proprie dictam Dioecesim erigimus et constituimus, cuius Episcopalem Sedem sitam volumus in Civitate cui nomen « Great-Falls » atque exinde novam hanc Dioecesim « Great-ormensem » nuncupari mandamus, cum cathedratico, pro sua Episcopali mensa discreto arbitrio Episcopi imponendo. Hanc porro Dioecesim Great-ormensem suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Oregonopolitani, atque honoribus, privilegiis et iuribus frui, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Decernentes has Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV Decessoris Nostri Constitutione super Divisione Materiarum, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII Maii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. MACCHI.

---

**IX. — Breve quo praefectura apostolica Transvaalensis in Africa australi erigitur in Vicariatum Apostolicum.**

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

QVAE catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Itaque, cum ad Nos relatum fuerit valde expediens fore pro rei catholicae utilitate, si praesens Praefectura Apostolica Transvaalensis in Africa Australi erigeretur in Apostolicum Vicariatum, Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, eandem Praefecturam in Vicariatum erigendam esse censuimus, eo quod, restituta nuper in eadem regione publica tranquillitate, rerum materialium profectus maius exigit operum Missionis incrementum. Quae cum ita sint, motu-proprio atque ex certa scientia et matura delibera-

tione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi Praefecturam Apostolicam Transvaalensem in Africa Australi in Vicariatum Apostolicum Transvaalensem similiter nuncupatum erigimus et constituimus, illique eadem pristinae Missionis supramemoratae confinia adsignamus. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI.

---

**X. — Litterae in forma Brevis quibus dividitur dioecesis Peter-Boroughensis in provincia ecclesiastica Kingstoniensi in Canada atque e territorio inde seiuncto nova dioecesis effingitur quae nomen sumit Sanctae Mariae Ormensis.**

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, in omnes, vel longo terrarum marisque intervallo seiunctas, christiani orbis regiones mentis Nostrae oculos convertimus, et quae in catholici nominis incrementum cedant, suprema Nostra auctoritate interposita, exsequi satagimus. Iamvero cum Dioecesis Peterboroughensis, provinciae ecclesiasticae Kingstoniensis in Canada, ex territorii amplitudine pateat, eaque feliciter susceperit incrementa, ut ex eius divisione nova Dioecesis opportune efformari posse videatur; Nos, collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo melius prospiciatur utilitati fidelium in remotiores dioecesis eiusdem Peterboroughensis partes commigrantium, haec, quae infrascripta sunt, decernenda in Domino

existimavimus. Nimirum motu-proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi e Dioecesi Peterborughensi territorium ex quo nova dioecesis constabit, seiungimus sequentibus limitibus definiendum. Ad Septentrionem, per lineam Aequatori parallelam, quae inter gradus 50 et 51 lat. Sept. ducta ab arcu meridiano constituente limitem conventionalem orientalem Districtus olim « Keewatin », nunc vulgo Runy River, circa gradum 91 long. occ. a Greenwich et orientem versus protracta, pertingit supra lacum Nipigon ad ita dictam Altitudinem Terrarum, quae dividit aquas fluentes in fretum vulgo Iames Bay ab aquis fluentibus in magnos lacus, quibus provincia Ontariensis a Statibus Foederatis dividitur; tunc per continuationem eiusdem Altitudinis Terrarum usque dum perveniatur ad Septentrionem lacus Tamagamingue. Ad Orientem, per lineam rectam, quae descendens inter lacum Tamagamingue et lacum Wapoosi et transiens ad Orientem lacus Nipissing pertingit ad flumen Wistiwasing, per limitem inter loca (townships) nuncupata Ferris et Himsworth, et deinde flumen Wistiwasing usque ad lacum Nipissing. Ad meridiem: ab ostio fluminis Wistiwasing per lineam, quae transit per lacum Nipissing et attingit aditum fluminis French, deinde flumen French usque ad sinus Georgian Bay; ab ostio fluminis French per lineam, quae transit per sinus vulgo Georgian Bay et attingit promontorium vulgo Cabots Head, et tunc pertransit lacum Huron et lacum superiorem, ita ut ad Septentrionem relinquat omnes insulas, quae ad Canadense dominium pertinent, quaeque inter fines novae Dioecesis proinde comprehenduntur; quae porro linea perveniat ad ostium fluminis Arrow, ubi dominium Canadense a Statibus Foederatis separatur; tandem per limitem inter hos Status et ipsum Canadense dominium usque ad Districtum olim Keewatin, nunc vero vulgo nuncupatum Rainy River. Ad Occidentem; per arcum meridianum, qui constituit limitem orientalem Districtus Rainy River usque ad punctum, in quo initium sumit limes septentrionalis novae Dioecesis, uti supra descriptus. Itaque ex hoc territorio, quod e Dioecesi Peterboroughensi seiungimus, novam Dioecesim similiter per praesentes, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, efformamus, fundamus, cuius Episcopalem Sedem in urbe, quae vulgo nuncupatur « Sault S. Marie » provinciae Ontario, constituimus, atque exinde ut *Sanctae Mariae Ormensis* nomen sumat praecipimus. Haec vero mandamus, decernentes praesentes Literas firmas, validas, et ef-

ficaces existere et fore, suosque, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non ceteris, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Septembris MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. MACCHI.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO CONCILII

**I. — Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. iure resoluta in generalibus comitiis diei 16 decembris 1905.**

*Per summaria precum:*

I. — BERGOMEN. — CIRCA PIA RELICTA FIDUCIA (*Reservata*).

II. — ROMANA. — DE COMMUNIONE EUCHARISTICA QUOTIDIANA (*Reservata*).
R. (*Videant lectores pagg. 57-61*).

*In folio:*

3774/5

I. — CARTAGINEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

ISAVRA PAVL 16 annos agens rite matrimonium inivit die 7 iulii 1892 cum Rodulpho Murié annorum 36 in Ecclesia paroeciali loci " *Bizerte* „ Carthaginensis dioeceseos. Eiusmodi vero matrimonium infelicissimum sortitus est exitum, cum mulier in id con-

senserit haud libenter, sed a matre omnino coacta, quae, propositi tenax atque in familia supremum exercens imperium, nihil intentatum reliquisse videtur, cum suas res familiares in peius ruere cerneret, ut misera puella in oblatas nuptias consentiret.

Verum postquam prima nuptiarum nocte marito ab ea expetenti coniugale debitum nonnisi coacta cessit, postero mane ipsum reliquit atque ad suos divertit parentes, et exinde quamvis ad maritum reverti coacta fuerit cum eoque communem per quinque annos egerit vitam, diverso tamen lecto ac cubiculo usa fuisse videtur, nec amplius coniugale explevit debitum.

Tandem cum maiorem adepta fuisset aetatem, relicto iterum viro, apud parentes se recepit non amplius ad virum reversura, qui, petito atque obtento a laico tribunali divortio, concubinariam cum alia foemina instituit vitam communem.

Actrix vero die 28 ianuarii anni 1904 supplicem Carthaginensi Archiepiscopo obtulit libellum expetens ut nullum suum matrimonium propter metum reverentialem gravem sibi a matre incussum declararetur.

Precibus exceptis ac tribunali constituto, processus confectus est, recepta tum uxoris tum plurium ex parte eius iurata testium depositione. Vir citatus comparere renuit, ideoque contumax declaratus fuit, nec testes exhibuit. Omnibus de iure peractis ab eadem carthaginensi Curia die 27 iulii eiusdem anni sententia prolata est qua nullum idem matrimonium declaratum est.

Ab hac sententia, prouti de iure, appellavit vinculi Defensor, quare H. S. C. quaestio definienda proposita fuit.

Tota patroni actricis defensio in duas dispescitur partes quarum in prima, principiis recensitis iuridicis, demonstrare nititur matrimonium sub metu reventiali gravi contractum nullum esse, in altera vero probare satagit revera Isauram actricem metu reverentiali gravi coactam fuisse ad nuptias ineundas cum Rodulpho.

Ex tabulis processualibus, ex testium depositionibus desumit facile patronus satis aperte constare actricis matrem eiusmodi voluisse matrimonium, ac contra totis viribus Isauram oblatas nuptias abhorruisse ac respuisse. Et facile, advertit patronus, firma matris voluntas explicatur, si attendatur utilitas qua ad idem matrimonium perficiendum ipsa impellebatur, nam hoc modo conabatur restaurare suam oeconomicam positionem quae magis in dies in peius ruere conspiciebat. Nec omitti debet, prosequitur, de virgine agi, quae cum coactio incoepit, vix quindecim

agebat annos, cuius precibus, lacrymis ac querelis non perpecit infelix mater, quae contra omnia egisse videtur, ut vinceret repugnantiam ac odium quae filia in propositum virum manifestabat et manifestavit usque ad ultimum diem.

Deinde patronus, ut magis magisque ostendat coactionem fuisse super Isauram exercitam, perpendere satagit circumstantias quae idem matrimonium antecesserunt, comitatae ac subsecutae sunt. Postremo, refutatis difficultatibus a defensore vinculi motis, concludit, cum demonstratum fuerit actricem nonnisi precibus instantissimis, importunis et repetitis suasionibus, imo minis et verberibus, id est metu reverentiali coactam Rodulpho nupsisse, spem fovere ut favorabilis eidem mulieri Archiepiscopalis sententia Carthaginensis supremo Patrum Concilii iudicio confirmetur.

Ex adverso Vinculi defensori non satis perspecta factum atque entitas adserti metus videntur, et primum argumentum ad suam thesim substinendam desumit ex capite, uti vocant, procedurae, cum scilicet desit depositio viri; alterum deinde repetit ex eo quod mulieris enarratio haud sibi talis videtur quae rationes de ea dubitandi non excludat.

Alia autem argumenta ad suam substinendam sententiam desumit ex depositionibus quorundam testium, et praecipuae parochi qui matrimonium benedixit, advertens defensor vinculi hunc sub iuramento edixisse nihil de illata vi puellae audivisse, nullumque scrupulum fovisse quominus eam ad matrimonium admitteret, cuius rei in favorem argumentum augescit iuxta vindicem, si attendatur nihil Isauram in celebrationis momento peregisse quod intimam sui animi conditionem panderet. Quare orationi suae finem imponit vindex sacramenti putans oportere, ut per dilatorium decretum comperendinetur causa, ut scilicet, exscusso viro aliisque sedulo investigatis, clarius eniteat veritas.

Tamen Emi Patres ad dubium:

« *An sententia Curiae Archiepiscopalis Carthaginensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* »,

respondendum censuerunt:

« *Sententiam esse confirmandam.* »

---

II. — MEDIOLANEN. — MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Ad 1um providebitur in* 2.° *Ad 2um Affirmative ad cautelam; vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione* ».

2713
5

III. — MEXICANA. — NULLITATIS MATRIMONII.

Die 24 novembris anno 1899 in ecclesia vulgo dicta « *de la Soledad* » Mexicanae dioeceseos Salvator Calapiz et Anna Jurado rite matrimonium inter se contraxerunt.

Verum antequam dictum matrimonium celebraretur, ferunt Salvatorem cum germana Annae sorore, Angela vocata, aufugisse cum eaque in quodam diversorio civitatis « *Puebla de los Angelos* » per unum fere mensem perfecta copula mansisse.

Postea facti poenitens sororem sponsae parentibus restituit, veniaque ab istis ac sponsa obtenta, cum hac matrimonium contraxit: sed prima hebdomada ab initis nuptiis vix transacta, denuo cum dicta Angela sponsae sorore aufugit, cum eaque maritaliter adhuc vivit, qua ex coniunctione quatuor etiam nati sunt filii.

Quapropter eadem Anna a viro relicta adulterinos cum alio viro amores fovere coepit, ex eoque prolem suscepit.

Rebus sic stantibus, de nullitate matrimonii ob impedimentum affinitatis coniuges edocti, iudicium apud Curiam Mexicanam instituerunt, quae Curia quinque post annos ab instituto iudicio sententiam prodiit « non constare de nullitate matrimonii ».

Cum autem ad Curiam *de Puebla* appellatum fuisset, haec eamdem confirmavit sententiam iubens simul ut novus fieret processus.

Re insuper a partibus ad Apostolicam Delegationem delata ac processu tandem expleto, Archiepiscopus Mexicanus per eamdem ipsius causae acta ad S. Sedem transmittere curavit.

Consultor cui traditus fuit munus de hac re mentem suam aperire quoad irregularitatem processuum iam confectorum, putat sanationem petendam esse actorum in causa non de gratiosa dispensatione super rato, sed de matrimonii nullitate ex capite affinitatis in primo gradu collaterali ex copula illicita.

Ad meritum vero quod attinet quaestionis fatetur ex sola speciei facti enunciatione iam liquido patere matrimonium Calapiz Jurado nullum omnino fuisse et esse ob impedimentum affinitatis de quo supra; quod insuper desumit non tantum ex praesumptione,

sed etiam ex explicita confessione omnium in hac causa excussorum.

Ipsi delinquentes cuius depositionem alii confirmant testes, ore pleno confiteri non erubescunt criminoso commercio operam navasse; et hoc quidem non uno aliove momento, sed per tres continuas hebdomadas tanquam coniuges vixisse.

Comprobata igitur existentia copulae perfectae virum inter et sponsae sororem antequam ille cum Anna contraheret, quin necessaria petita fuerit dispensatio Apostolica ab impedimento affinitatis, facillime deducitur omnino tuto procedi posse ad nullitatem matrimonii in casu declarandam.

Optimus autem Vinculi Defensor omnino adhaeret conclusioni R.mi Consultoris, petens tamen ipse quidem actorum sanationem.

Et E.mi Patres, omnibus sedulo perpensis argumentis, ad propositum dubium:

« *An sententia Curiae Mexicanae et Curiae Angelopolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu* »

respondendum censuerunt:

« *Attentis omnibus constare de nullitate matrimonii, facto verbo cum SSmo super sanatione actorum* ».

---

IV. — ROMANA. — NULLITATIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Sententiam esse confirmandam* ».

2776
4

V. — DERTHONEN. — DISMEMBRATIONIS BONORUM PAROCHIALIUM.

Acta haec causa fuit in generali conventu diei 26 augusti anni proxime elapsi, et proposito dubio: « *An et in qua quantitate sit locus detractioni alicuius partis bonorum a beneficio parochiali S. Petri loci Silvano d'Orba favore paroeciae S. Sebastiani in casu* », Emi Patres rescribere censuerunt « *Dilata* », instante patrono parochianorum S. Petri pro causae comperendinatione.

Quaestio revera agitata fuit denuo in comitiis diei 16 decembris anni elapsi, sed eius relationem omittimus, cum placuerit Emis Patribus respondere ad propositum supra relatum dubium « *ad mentem* » quae mens vero non cognoscitur.

3397/4

## VI. — MELEVITANA. — PENSIONIS.

PAROECIA pagi vulgo *La Musta* Melevitanae dioeceseos Bulla Apostolica anno 1876 onerata fuit perpetua pensione Libellarum italicarum 125 *pro pio loco nominando,* quae pensio anno 1886 alia Apostolica Bulla assignata fuit favore Vicendarii seu Rectoris pro tempore ecclesiae vici *Migiarro,* iurisdictioni Archipresbyteri Cathedralis subiecti quamvis eius incolae quoad sacramenta de facto dependebant a parocho loci *La Musta,* cui proinde primitiae aliaque cedebant emolumenta, Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis reservata tantum benedictione domorum tempore Paschatis.

Paroeciae *La Musta* anno 1895 vacanti per obitum eius pastoris, praefectus est actualis parochus Joannis Sarreo, qui dictam pensionem Rectori loci *Migiarro* adamussim persolvit usque ad annum 1898, quo Episcopus pagum *Migiarro* quinque alios finitimos vicos amplectentem novam constituit paroeciam in Ecclesia loci Migiarro, cuius cura in administrationem concredita fuit usque ad definitivam provisionem Sacerdoti Vicendarii Hieronymo Chetcuti.

Pro dotatione novae paroeciae praeter primitias et alia emolumenta ab incolis dictarum regionum tribuenda, duae assignatae sunt pensiones, quarum una in libellis anglicis 15 super redditibus Ecclesiae Cathedralis et altera in libellis italicis 125, quam parochus loci *La Musta* rependere adstrictus erat vi Bullae Apostolicae ab anno 1886 favore Vicendarii seu Rectoris dictae Ecclesiae.

Tamen parochus loci *La Musta* ratus est se exoneratum esse a persolutione praefatae pensionis, tum quia redditus suae paroeciae per factam dismembrationem valde imminuti erant, tum quia, ut ipse ait, sibi data fuit ab Episcopo fides hanc pensionem cessare per secutam novae paroeciae erectionem, quare Vicarius novae paroeciae per recursum rem detulit Episcopo, qui, partibus auditis, votoque habito Vicarii Generalis ac Adsessoris, iuxta hoc votum quaestionem diremit statuens decreto diei 24 ianuarii 1902 pro continuatione solutionis praefatae pensionis.

Ab hoc decreto appellavit Parochus loci *La Musta* ad Apostolicam Datariam, quae acta transmisit ad H. S. C. pro opportuna solutione:

Agitur in casu de pensione perpetua, quae nonnisi improprie, iuxta conceptum canonicum, pensio nuncupatur, et ut perpetua spectari nequit uti personalis retributio concessa favore Vicendarii pro aliquo servitio praestito in Ecclesia quondam filiali; et consequenter etiam post huius Ecclesiae erectionem in paroecialem perdurare dicenda est.

Quod autem eo fortius in casu firmandum est quia dicta pensio constituta est tanquam pars dotationis seu congruae pro novo parocho, hinc eam delere vel imminuere constitueret beneficii paroecialis diminutionem, quod est contra legem canonicam.

Hae sunt praecipuae rationes favore pensionis.

Ex altera vero parte extra dubium est parochum loci *La Musta* grave persensisse damnum ab elevatione Ecclesiae filialis pagi *Migiarro* in paroeciam ob primitiarum amissionem aliorunque incertorum, quae prius lucrabatur ex incolis illius pagi. Praeterea favore parochi instantis habetur promissio Episcopi esentionis dicti oneris, quam promissionem dum parochus invocat aiens confirmari posse testimonio duorum sacerdotum, nec Episcopus eam impugnat, quin imo implicite videtur eam recipere dum refert sese institisse apud Vicarium Curatum novae paroeciae ne nimis urgeret dictae pensionis solutionem.

Tamen omnibus hinc inde allatis sedulo perpensis ac consideratis, placuit Emis Patribus ad dubium:

« *An decretum Episcopi Melevitani diei 24 ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu* »

respondere:

« *Decretum esse confirmandum* ».

---

3397
4

## VII. — SALISBURGEN. — ALIENATIONIS ET IURISDICTIONIS.

MAXIMILIANVS GANDVLPHVS Archiepiscopus Salisburgensis in Austria anno 1679 Ecclesiàm Parochialem S. Petri in oppido vulgo *Seekirchen* extantem, absque Sedis Apostolicae beneplacito ad dignitatem Ecclesiae Collegiatae erexit. In eodem oppido quinque etiam aliae institutiones habentur, nempe duae ecclesiae filiales, cum tribus Confraternitatibus, quarum rector est ipse canonicus Praepositus Collegiatae S. Petri, et quarum bona distincta quidem sunt a massa communi Ecclesiae Collegialis, sed eodem modo

ac bona Collegiatae administranda videntur. Modo in primis dubitatur num canonici Collegiatae S. Petri verum ac proprie dictum Capitulum iuxta sensum iuris constituant, uti contendunt canonici ipsi contra Archiepiscopum, an vero simplicem efforment commumitatem: deinde quinam sit verus administrator bonorum tum ad massam Capitularem, tum ad ceteras quinque pias causas pertinentium.

Interea anno 1897 Archiepiscopus, ut aes alienum pro novae paroeciae S. Andreae Salisburgi aedificatione contractum solveret, consentientibus canonico Praeposito - tanquam parocho Collegiatae S. Petri in *Seekirchen* et rectore duarum Ecclesiarum filialium triumque Confraternitatum - nec non canonico oeconomo pro hisce omnibus administrandis bonis deputato, quotannis erogare statuit duo millia florenorum per quatuordecim annos solvenda ex redditibus superfluis quinque dictorum entium. Huiusmodi vero solutio plus minusve regulariter facta fuit usque ad. a. 1901, quam deinceps novus electus canonicus Praepositus nec non novus oeconomus aliique omnes canonici Collegiatae Ecclesiae impugnare coeperunt ex defectu consensus sive Sanctae Sedis sive ipsius capituli, sive demum civilis Gubernii. Tamen anno 1902 quaedam inita est conventio inter Canonicos et Archiepiscopum, vi cujus conventionis, loco 2000 florenorum, dumtaxat 2040 coronas, seu dimidia circiter pars prioris summae, quotannis solveretur.

Porro actualis Archiepiscopus, quin canonicorum Collegiatae Ecclesiae consensum expertus fuerit, die 18 aprilis an. 1902, ad cautelam petiit obtinuitque praefatum Apostolicum beneplacitum. Sed iidem canonici, obtentum S. Sedis indultum - utpote consensum eorum quorum interest destitutum - tanquam irritum habentes, prius ad ipsum Archiepiscopum Salisburgensem, deinde ad H. S. C. rem dirimendam detulerunt, sub adnotatis superius tribus dubiis, quibus et quartum addiderunt circa iurisdictionem, qua ipsi gaudere putant in animarum cura.

Favore canonicorum in primis asseri posse videtur revera ipsos constituere proprie dictum Capitulum Collegiatae, non autem communitativum, cum Archiepiscopus Gandulphus in tabulis fundationis Ecclesiam paroecialem S. Petri « in ecclesiam Collegiatam » erexerit, et nomine *Collegiatae* iuxta sensum communem intelligitur Collegiata proprie dicta, nunquam simplex Comunitas. Nec haec erectio in Collegiatam infirmari potest ob defectum beneplaciti Apostolici, quod necessario requiritur in Collegiatarum Ecclesiarum erectione, nam attenta veteri disciplina hae

erectiones fieri poterant sola ordinarii auctoritate. Praeterea Leo XIII litteris Apostolicis *Revocaturas* 6 maii 1878 institutionem Collegii in praefata Ecclesia non solum confirmavit auctoritate Apostolica, sed et eidem titulum Collegiatae insignis elargitus est; et si Summus Pontifex institutionem Collegiatae S. Petri confirmat, supponit et ipse Collegiatam iam in suo esse extantem. Eandem insuper insignem nuncupat, quod non fecisset, nisi Ecclesia esset vera ac proprie dicta Collegiata. Ceterum, etiamsi ecclesia in casu Collegiata veri nominis non extitisset, Pontifex citato Brevi eam uti talem erexit, quum statuat ipsam appellari et habere tanquam Collegiatam insignem, quinimo frui omnibus iuribus ac privilegiis, quibus gaudent aliae omnes insignes Collegiatae.

Quoad secundum propositum dubium observari potest quod in alienationibus bonorum ad quinque pia entia pertinentium requiratur etiam consensus Collegiatae S. Petri in *Seekirchen*, nam ambigendum non videtur quod Sedes Apostolica in alienationibus peragendis suum beneplacitum non concedit, nisi praecesserit consensus eorum quorum interest, inter quos in themate procul dubio accensendi videntur etiam Canonici Collegiatae S. Petri.

Relate vero ad tertiam quaestionem favore canonicorum affirmandum videtur solutiones in casu pro aedificatione ecclesiae S. Andreae non amplius in posterum esse peragendas, nam ad obtinendum rescriptum, quo concessum fuit a S. Congr. Concilii sub die 18 Aprilis 1902 indultum applicandi per 14 annos duo millia florenorum ex redditibus quinque piarum causarum, necesse erat consensus interesse habentium, sed in casu consensus praestitus non fuit, uti iam ostensum est, ergo rescriptum obreptione laborat, et proinde irritum habendum est rescriptum.

Tandem quoad ultimum dubium iurisdictionem canonicorum in cura animarum exercendam respiciens, notandum est in tabulis fundationis Collegiatae statutum esse: « Praeter Decanum sex canonicos..., atque horum tres Curatos, reliquos vero tres Incuratos deputari volumus. Curatis canonicis incumbet cura animarum, et ea, quae illuc referuntur, mutato ordine, administrare... » quare videtur Capitulum iurisdictione quoque parochiali pollere, quae proinde cum ipsa collatione canonicatus demandata dici debet.

Ex alia vero parte, favore Archiepiscopi in primis asserendum videtur ecclesiam S. Petri, de qua agitur, Collegiatam veri

nominis dici non posse, sed tantum communitativam, nam in iure solae ecclesiae Cathedrales et Regulares praesumuntur Collegiatae; caeterae vero vel simplices ecclesiae aut saltem parochiales reputantur.

Omnibus refutatis argumentis favore Capituli quoad primam quaestionem, patronus Archiepiscopi quoad secundam, nempe quoad necessitatem consensus canonicorum S. Petri in alienandis bonis quinque piorum entium, advertit nullum adesse dubium ex iure communi in alienationibus bonorum Ecclesiarum Collegiatarum requirendum esse consensum Capitularium, at in casu, cum Ecclesia Collegialis iure prorsus singulari regatur, sequitur canonicos in alienationibus aliisque contractibus massae communis perficiendis non videri recensendos esse inter eos qui aliquod interesse habere possunt, ac proinde eorum consensus non est necessario exquirendus.

Quae quidem de bonis Capituli dicta nuper sunt a fortiori videntur repeti posse quoad administrationem bonorum trium Confraternitatum duarumque ecclesiarum filialium. Canonici enim quoad hujusmodi bona nec revisores dici possunt, cum haec bona sint omnino distincta a bonis massae Collegiatae.

Quoad vero tertium attinet dubium affirmandum videtur nullam sufficientem adesse rationem, cur annuae solutiones quinque entium in posterum fieri non debeant, praesertim si consideretur expressam Gubernii licentiam in promptu esse, et consensisse in solutionem peragendam interesse habentes nempe parochum et ratiocinatorem, et ipsum Archiepiscopum specialem a S. Sede facultatem ab initio impetrasse.

Demum relate ad quartam et ultimam quaestionem quae sequuntur adnotari possunt. Relate ad canonicos curatos et incuratos Archiepiscopus Tarnoczy aliquatenus immutavit dispositiones hisce verbis: « Discrimen inter utramque (canonicorum « nempe seniorum et iuniorum) categoriam in posterum non « nomine Curatorum vel Incuratorum exprimitur, sed refertur « ad praecedentiam tantum senioribus prae iunioribus et qui« dem in choro, in eligendo canonicali domicilio et ad diversita« tem officiorum, quae unicuique categoriae sunt propria ».

Hac tamen non obstante dispositione, verosimilius canonici iuniores permanserunt curati, dum seniores adhuc incurati. Hinc Archiepiscopus non renuit ut ordinaria iurisdictio ad curam animarum iunioribus seu curatis cum ipsa canonicatus collatione pro toto tempore officii in posterum concedatur. Eo vel magis

quod ipsi et extra parochiam invitati confessiones recipere saepius solent. E contra pro Incuratis delegata iurisdictio videtur potius necessaria, sicuti evenit in aliis sacerdotibus parocho coadiuvantibus in sacerdotali ministerio.

Hisce omnibus perpensis Emi Patres ad dubia:

I. « *An presbyteri insignis Collegiatae Ecclesiae oppidi* SEEKIRCHEN *Capitulum Collegiale in sensu iuris constituant in casu* ».

II. « *An in alienandis bonis duarum ecclesiarum filialium et trium Confraternitatum ibidem extantium necessario requiratur consensus eiusdem Capituli in casu* ».

III. « *An annuae solutiones pro Ecclesiae S. Andreae Salisburgi a praedictis quinque piis causis licite in posterum continuari possint in casu* ».

IV. « *An si omnibus saltem canonicis curatis iurisdictio ad curam animarum necessaria cum ipsa collatione canonicatus pro toto tempore officii demandetur in casu* ».

respondendum putarunt:

« Ad 1um *Negative.* Ad 2um *Negative.* Ad 3um *Affirmative.* Ad 4um *Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi, praevio examine idoneitatis ad tramitem iuris in collatione beneficiorum et firma conditione ut tres canonici curati habeantur uti coadiutores parochi eique subsint* ».

---

## II. — DE QUOTIDIANA SS. EUCHARISTIAE SUMPTIONE. DECRETUM

SACRA Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (*Sess. 22, cap. 6*) ait: ***Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.*** Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Chistifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Cuiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: ***Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres***

nominis dici non posse, sed ...tantur ... et
solae ecclesiae Cathedrales ... et
giatae; caeterae vero vel simplic...
les reputantur.

Omnibus refutatis argume...
quaestionem, patronus Arch...
quoad necessitatem consen...
bonis quinque piorum ent...
iure communi in alienati...
rum requirendum esse c...
clesia Collegialis iure...
nicos in alienationib...
perficiendis non v...
interesse habere ...
necessario exqui...

Quae quide...
dentur repeti ...
fraternitatum ...
quoad huju...
bona sint ...

Quoa...
lam suff...
entium
expre...
solu...
rat...
fa...

't hunc pa...
...le cibi a...
...at, q...
...'rt...

...ata, q...
...autem praec...
nec ut sumentibus ...
...virtutum (S. August. *Serm.* ...
Unde S. Tridentinum Concilium
...n *quo liberemur a culpis quotidia-*
...*us praeservemur* (*Sess.* *13, cap.* 2).
...n priores Christifideles probe intelligentes,
...e ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant*
*doctrina Apostolorum et communicatione frac-*
...*ct.*, II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum
...e magno perfectionis ac sanctitatis emolumento. Sancti
...que ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

...efervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianse-
...ana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de disposi-
tionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem ac-
cedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tam-
quam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effe-
cerunt ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie
sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus hau-
rirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis
mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo
severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri
coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent ma-*
*trimonio coniuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbi-
trati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne
dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato

…su aliena, …uotidiana praesertim in religiosis
…bant, … …veatur; pro quibus tamen firmum
…cta … 17 mensis Decembris 1890 a
…m latum. Quam maxime quo-
…arii, quorum alumni altaris
…s omne genus ephebeis.
…um solemnium sive sim-
…nibus, vel etiam calen-
…ae et in iis iussae repe-
…e non tamquam *prae-*
…munionum numerus
…n pietate. Idcirco
…ticam mensam li-
…uperius in hoc
…ansen… …eligiosi huius
…ie honoris a… …arum domo-
…anuit. Quaestio d… …a lingua in
…ac legitime Communionem… …risti.
…pervixit: quo factum est ut nonnu… …es eccle-
logi, raro et positis compluribus conditi… …isposi-
munionem fidelibus permitti posse censuer… …nt.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pie… …per
ciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoq… …m-
docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae pra…
circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad …
dariam aut menstruam Communionem; fructus vero ub…
longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomad…
aut mestrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SS.mo D.no N. Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus popolus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur

eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Decembris 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° Cum vero Sacramenta Novae legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praepatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quenquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (*Part.* II, *c.* *63*), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7° Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminarii, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere ***directivae*** non tamquam ***praeceptivae*** putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SS.mum D. N. PIUM Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Decembris 1905, Sanctitas Sua hoc E.morum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 Decembris 1095.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus

*Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

## III. — DE SEMINARIORUM ALUMNIS.

### DECRETUM.

VETVIT S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. 1. Sess. 24, de reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto debitam Praepositis « obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam « cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere digni« tatem; ei qui ascensus ad sacros ordines a suo Prelato ex qua« cumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam « extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu « gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla « contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se pro« moveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates « sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique

sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei XVI mens. Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

1° Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2° Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipsi huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3° Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire e cuius Seminario dimissi fuerint.

4° Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit « *A primis* » die XX m. Iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23, de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes

a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 m. Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus
*Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

## S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### I. — DECRETUM.

MARIANNENSIS ET GOYASENSIS IN BRASILIANA REPVBBLICA NOVAE FINIVM DESIGNATIONIS.

SPIRITVALI fidelium regimini quam maxime interest, ut praesulum, qui dioecesibus gubernandis praeficiuntur, auctoritas et iurisdictio certa omnino sit nullisque obnoxia dubiis. Ex iurisdictione enim rectorum ecclesiarum, actorum ac legum pendet validitas ipsorumque Sacramentorum administratio. Cum autem Episcopi ad certum populum regendum mittantur, sicut in ipsis apostolica requiritur missio, quae totius spiritualis iurisdictionis fons una et origo extat a Christo Domino instituta; ita pariter clare pateat oportet, quem in locum ipsi eam, quam acceperunt, exercere possint ac valeant iurisdictionem. Dioeceses proinde certis circumscribi limitibus necesse est, eum etiam in finem, ne improbi, quas pro suis criminibus luere debent poenas, effugere possint. Quare cum RR. PP. DD. Silverius Gomes Pimenta et Eduardus Duarte Silva, ille Mariannensis, alter Goyasensis dioecesis in Brasiliana Republica Episcopus, ad viam dubitationibus praecludendam circa suarum dioecesium fines consilium inter se inierint easdem novis iisque certioribus et aptioribus limitibus circumscribendi, atque litteris die XVIII Octobris anno elapso datis, SSmum Dominum Nostrum Pium Papam X exoraverint ut novos a se descriptos fines apostolica auctoritate firmare vellet, Sanctitas Sua, cunctis, quae in huiusmodi negotiis inspicienda sunt, matura deliberatione examinatis atque perpensis, rei sacrae procurationi ac fidelium spirituali regimini meliori qua fieri potest ratione prospicere cupiens, dictorum Praesulum vota benigne ex-

cipere dignata est; et de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos, quibus praesens Decretum favet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis sive a iure, sive ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, suppressis limitibus, quibus hactenus dioeceses Mariannensis et Goyasensis ad invicem separabantur, utendo etiam facultate Sedi Apostolicae expresse reservata in Apostolicis Litteris *Ad universas Orbis Ecclesias* die XXVII Aprilis anno Domini MDCCCXCII, datis, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, peragendi quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, atque derogato, quatenus opus sit, quorumcumque hac in re interesse habentium, vel habere praesumentium consensui, supradictas dioeceses novis finibus circumscribendas decrevit in hunc, qui sequitur, modum: Montes continui vulgo Serra da Marcella, ut nunc, et Serra da Canastra, per iugum, quod vocant Espigão-Mestre unam ab altera duas dioeceses divident usque ad fluvium, quem Rio-Grande dicunt. Prope tamen pagum, cui nomen « Sancto João Baptista da Canastra », linea, quam praedicti montes describunt, in Orientem parumper deflectetur per fluvios, quorum unum Samburà et alterum a Sancto Antonio appellant, ita ut pagus ille, qui nunc partim Mariannensi partim Goyasensi subditur dioecesi, in posterum una cum territorio fluminibus Samburà et Sancto Antonio comprehenso totus ad solam pertineat Goyasensem dioecesim, cui pariter subiectae erunt regiones omnes, quae ad occidentem praedictorum montium Serra da Marcella et Serra da Canastra vergunt, dum Mariannensi Episcopali Ecclesiae addictae remanebunt reliquae omnes, quae Orientem versus existunt. Ceteris in partibus Mariannensis et Goyasensis dioecesium fines iidem erunt, ac nunc sunt. Documenta vero respicientia loca et personas, quae nova hac finium designatione ex unius dioecesis territorio et iurisdictione in alterius transierunt, iussit Sanctitas Sua a Tabulario dioecesis, in quo hactenus reposita fuerunt, extrahi, et Archivo alterius tradi, ut ibi pro opportunitate custodiantur et asserventur. In horum denique executorem Beatitudo Sua deputavit R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum titularem Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesia

stica dignitate constitutam, iniuncta eidem obligatione intra sex menses mittendi ad hanc Sacram Congregationem exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, iussitque praesens in hanc rem edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo super praemissis expeditae fuissent, et Decretum ipsum referri inter Acta Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die x Ianuarii, anno Domini MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO,
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

---

## II. — TRANEN.-BAROLEN. ET SIPONTIN. — DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS.

CVM R. P. D. Thomas de Stefano, Tranensis et Barolensis metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, litteris ad Apostolicam Sedem die 24 Octobris hoc anno datis, exposuerit paroeciam quandam suae Archidioecesis *Zapponeta* dictam, a tercentis fere incolis inhabitatam, atque prope Archiepiscopalis Sipontinae Ecclesiae fines sitam, a Metropolitana Tranensi civitate adeo longe abesse, ut pastorem inter et fideles necessaria commercia, hiemali praesertim tempore, ob viarum asperitatem difficilia admodum evadant; ideoque SSmo D. N. Pio PP. X humiles obtulerit preces, ut eandem paroeciam a sua archidioecesi separare et territorio Archiepiscopalis Ecclesiae Sipontinae, cui proxima est, cuiusque provinciae civilibus in negotiis subest, aggregare vellet; cumque R. P. D. Paschalis Gagliardi, Sipontinus Antistes, se memoratae paroeciae cessionem libenter excepturum declaraverit, idem SSmus Dnus Noster, de omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum certior factus, omnibus mature perpensis, ac probe noscens propositam paroeciae *Zapponeta* unionem Sipontine Archidioecesis territorio spirituali animarum saluti perutilem fore, attento Sipontini Praesulis consensu, votis Archiepiscopi metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis benigne annuendum censuit.

De Apostolicae itaque Potestatis plenitudine, Sanctitas Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse

habentium vel habere praesumentium consensu, paroeciam, cui nomen *Zapponeta,* cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, a territorio Metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis separavit et divisit, eandemque pariter cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus Sipontinae Archidioecesis territorio adiunxit et aggregavit, ita ut in posterum memorata paroecia iurisdictioni Archiepiscopi Sipontini pro tempore sit subiecta, prout hactenus subiecta fuit iurisdictioni Praesulum Ecclesiae metropolitanae Tranensis et Barolensis; cum clausulis opportunis et necessariis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ne quod autem detrimentum ex hac unione fidelibus paroeciae *Zapponeta* obveniat, praecepit eadem Sanctitas Sua, ut documenta omnia, eandem paroeciam eiusque incolas respicentia ab archivo metropolitanae Ecclesiae Tranensis et Barolensis extrahantur, atque, debita forma, Cancellariae Sipontinae Archidioecesis tradantur, in eiusdem tabulario in posterum servanda.

Ad praemissa demum exequenda, Beatitudo Sua deputandum censuit eundem Tranensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, nec non definitive pronunciandi super quacumque oppositione in executione peragenda quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem mittendi exemplar, authentica forma exaratum, peractae executionis, iussitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo, vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis asservari mandavit.

Datum Romae, hac die XXII Novembris, An. Dni MDCCCCIV.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI, S. Congr. Consistorialis
et Sacri Collegii *Substitutus.*

# SS. RITUUM CONGREGATIO

## I. — TERGESTINA ET IUSTINOPOLITANA.

**Absolutio in articulo mortis et officium divinum latine recitari debent. — Quidam abusus prohibentur.**

RMVS Dnus Franciscus Nagl, Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes quaestiones solvendas humillime proposuit, nimirum:

I. An fideles, absolutione in articulo mortis in lingua vernacula peracta, sicuti modo pluries fit, indulgentias lucrari queant?

II. In Missis de Requie post elevationem loco *Benedictus*, Litaniae uti ex Rituali Romano in ordine commendationis animae, vel Lauretanae, canuntur, et huiusmodi Missae fiunt lectae. Insuper in Missis cantatis de die, intonato *Credo* sacerdos prosequitur Missam uti lectam usque ad Praefationem. Quaeritur an haec tolerari possint?

III. An sacerdos lingua vernacula Officium divinum Brevairii Romani ex. gr. Nativitatis Domini, defunctorum, etc., cum populo peragens, vel Litanias Sanctorum in Processionibus Rogationum eadem lingua persolvens, teneatur has partes Breviarii Romani in lingua latina iterum recitare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Negative, quia haec benedictio in articulo mortis est precatio stricto sensu liturgica.*

Ad II. *Negative, et hos abusus omnino esse eliminandos.*

Ad III. *Affirmative; nam qui ad recitationem divini Officii et cuiusque partis Breviarii Romani sunt obligati, tantum in lingua latina haec recitare debent, alias non satisfaciunt obligationi.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Iunii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## II. — ORD. MIN. CAPUCCINORUM PROV. RHEGINENSIS.

**Regulares tenentur ad festa recolenda patronorum dioecesium.**

HODIERNVS Redactor Kalendarii pro Rheginensi Provincia Ordinis Minorum Capuccinorum, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit: in Decreto sa. me. Leonis PP. XIII, sub die 4 Decembris 1901, inserto in Breviario ejusdem Ordinis novissimæ editionis, ac incipiente *Qui primo*, inveniri hæc verba: « dimissis quibuscumque aliis officiis, sive diœcesanis, præter Officia Patroni præcipui loci, Titularis ac Dedicationis ecclesiæ cathedralis », etc. Hinc idem Orator sequentia dubia solvenda proposuit:

I. Utrum in illis locis ubi deest Patronus præcipuus loci, Fratres Capuccini teneantur ad officium Patroni præcipui diœcesis, et quidem cum onere audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus?

II. Utrum per præfatum Decretum abrogatum fuit Officium S. Januarii Episcopi et Martyris ac Patroni principalis totius regionis Neapolitanæ, cujus festum sub duplici præcepto celebratur?

III. Utrum adhuc censeatur vigere privilegium jam obtentum celebrandi supradicta officia prout extant in Propriis respectivarum diœcesium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad utramque partem.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 22 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

## III. — RHEMEN.

**Quibus in festis prohibeantur exsequiae defunctorum.**

SACRA Rituum Congregatio per decretum *Parentin. et Polen.* die 8 Ianuarii 1904, rescripsit dies quibus prohibentur exsequiae pro defuncto, cum effertur corpus, esse « omnia festa quae uti primaria sub ritu duplici I classis et quidem de praecepto celebran-

tur; et si non sint de praecepto, illae Dominicae ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur ». Exorta autem controversia de sensu quo intelligenda et dicenda sint festa de praecepto, Rmus Canonicus Calendarii Rhemensis ordinator, de consensu Rmi Dni Vicarii Capitularis, Sede vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festa de praecepto illa sint in quibus, praeter obligationem a parocho adimplendam, adest quoque altera et quidem duplex obligatio parochianis imposita, nempe tum Missam audiendi, tum ab operibus servilibus cessandi?

II. An exsequiae cum Missa, praesente corpore, fieri possint in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem non transfertur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative iuxta decretum n. 4003 Carcassonen., quaest. I ad II et III.*

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen , *Secretarius.*

---

**IV. — Decretum seu declaratio sacrorum rituum Congregationis.**

ANONNULLIS Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, diei XI Augusti MCMV, circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. Ad hanc autem quaestionem solvendam eadeam Sacra Congregatio, de mandato Santissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat:

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eandem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eandenque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes extent et coaequales. Ideoque signa quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tanquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## PATAVINA.

**Indulgentias stationales fideles lucrari possunt semel in die. - Indulgentia plen., pluribus in Ecclesiis lucrabilis, acquiritur pluries easdem visitando. - Ecclesia parochialis quoad indulgentiam plenariam lucrandam est ecclesia domicilii vel quasi-domicilii vel morae transitoriae.**

Ad S. Cong.nem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectae in Ecclesia Eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata:

I. - An qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi Indulgentias, quas Stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus?

II. - Quando conceditur plenaria Indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicuius Ordinis vel Dioeceseos, haec Indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur Ecclesiae eiusdem Ordini vel Dioeceseos?

III. - Cum diversi Ordines, ex. gr. Benedictini, Franciscales etc. pro uno vel altero festo gaudeant plenaria Indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias Ecclesias, huiusmodi Indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas Ecclesias

eorundem Ordinum, praesertim si haec Indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

IV. - Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur visitatio Ecclesiae parochialis, haec debetne esse Ecclesia parochialis propria illius qui vult Indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

V. - An sub nomine Ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii, vel etiam quasi domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris?

Et E.mi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita die 31 augusti 1905 respondendum mandarunt:

Ad I. - *Negative, iuxta Decretum « Delatae saepius » diei 7 martii 1678.*

Ad II. - *Affirmative, id est acquiri potest Indulgentia una vice tantum, sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis seu Dioeceseos.*

Ad III. - *Provisum in praecedenti.*

Ad IV. - *Affirmative quoad 1am partem: Negative quoad 2am.*

Ad V. - *Negative quoad 1am partem; Affirmative quoad 2am et 3am.*

De quibus facta relatione SSmo Dno Nro Pio PP. X in audientia habita die 13 septembris 1905 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Praepositae, SSmus Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 13 Septembris 1905.

L. ✠ S.

Al. Card. TRIPEPI *Praef.*

† DIOMEDES PANICI *Archiep. Laodicen. Secr.*

## S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

### LOJANA.

**Conceditur gratia altaris privilegiati quotidiani uni ex altaribus sive ecclesiae cathedralis sive paroeciarum.**

Beatissime Pater,

IOSEPHVS Antonius Eguiguren, administrator apostolicus dioecesis Lojanae, ad genua Sanctitatis Tuae provolutus, implorat supplex ut dignetur concedere gratiam altaris privilegiati quoti-

diani in uno ex altaribus ecclesiae cathedralis et paroeciarum, cuius gratiae, moerore cleri et fidelium, nullum extat exemplum. Et Deus, etc.

Ex audientia SSmi die 2 Ianuarii 1906. SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, benigne declaravit privilegiatum unum ex altaribus ecclesiae cathedralis dioecesis Lojanae, nec non unum ex altaribus in ecclesiis parochialibus eiusdem dioeceseos pro cunctis Missae sacrificiis, quae in eodem altari a quocumque Presbytero saeculari vel cuiusvis ordinis regulari celebrabuntur, dummodo nullum aliud altare simili privilegio decoratum in praedictis ecclesiis parochialibus reperiatur.

Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra.

L. ✠ S.

† PETRUS, Archiep. Caesarien., *Secretarius*.

# VICARIATUS URBIS

**Dies quibus hoc anno 1906 jejunium et abstinentia praecipitur.**

La Santità di Nostro Signore Papa Pio X, accogliendo benignamente la nostra domanda, si è degnato di concedere alla popolazione di Roma e suo Distretto, non compresi i Religiosi d'ambo i sessi astretti da voto speciale, l'uso dei condimenti di lardo, strutto e burro nei venerdì e sabati e negli altri giorni di vigilia del prossimo anno 1906. Da questa concessione si eccettuano: la vigilia della Purificazione di Maria Santissima, atteso il voto speciale cui Roma è tenuta: il giorno delle ceneri; i tre giorni delle tempora di Quaresima; il mercoledì, il venerdì e il sabato della Settimana Santa; le vigilie di S. Giuseppe, della SS.ma Annunziata, della Pentecoste, della Natività di S. Giovanni Battista, della festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, della gloriosa Assunzione di Maria SS.ma, di tutti i Santi e del Santo Natale di Nostro Signore Gesù Cristo.

Ferma la legge del digiuno, è concesso nell'unico pasto l'uso delle uova e dei lattacini nei venerdì e sabati dell'Avvento, non però nei tre giorni delle tempora e nella vigilia del Santo Natale.

Nei giorni di digiuno nei quali sono permessi, come sopra, i condimenti di lardo, strutto e burro, se ne può far uso anche nella piccola refezione.

Il Santo Padre inoltre ci ha autorizzati a dispensare, e noi dispensiamo, i fedeli di Roma e suo Distretto dall'astinenza dalle carni in tutti i sabati del prossimo anno 1906, eccettuati quelli nei quali corre l'obbligo del digiuno.

Per espresso volere della stessa Santità Sua ricordiamo ai Romani l'obbligo strettissimo di osservare fedelmente la legge dell'astinenza dalle carni nei giorni di venerdì, e li esortiamo ad osservarla per divozione specialmente a Maria SS.ma anche nei giorni di sabato. Qelli poi che vorranno usare dell' indulto, recitino almeno in compenso (benchè non se ne imponga loro l'obligo) una terza parte del Rosario Mariano.

Pubblicando le benevoli disposizioni del Santo Padre, incitiamo tutti i fedeli a gratitudine verso la Santità Sua, ed a provarla sincera mediante l'esatta osservanza dei precetti Ecclesiastici, la mortificazione dei sensi e la vita perfettamente conforme alle regole della Fede e della morale.

Dalla Nostra Residenza il 30 Dicembre 1905.

P. CARD. VICARIO

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

### Sacerdotis officia ex accepta confessione.

(Cf. *Acta Pontificia*, Vol. 3°, pag. 312).

b) *De honesto necessariove acceptae in confessione notitiae usu.*

Confessionis sigillum tum non violatur, sed acceptam confessionum notitiam gravi causa optimoque consilio in proprium usum converti potest debetve, quum confessionis arcana nequaquam revelentur et poenitenti nulla umquam ratione incommodum exinde redundet. Hinc sacerdos in acceptis ex confessione conscientiam suam investigare potest et debet et quae audiverit ut melior fiat, ut severitatem forte nimiam contineat, ut in posterum diligentius agat, ut melius alios interroget et doceat poenitentes, ut pro poenitentibus oret, ut de difficili et implicata quaestione probatos

consulat auctores, ut peritos sacerdotes, reticito nomine et omni amota suspicione, in consilium assumat, corporis aut animi pericula et damna praecaveat, ignaviam et dissolutum animum, cui adhuc usque forte dederat, ponat, diligentius pro sibi creditis ovibus vigilet. Sacerdos quae ex confessione acceperit quum hac ratione adhibeat, suae tantum conscientiae mandato obtemperat inepteque haud suo officio sacramenti ministrum fungi poenitens contenderet.

Nunquam tamen « ad gubernationem externam » accepta in confessione notitia usurpari potest quum poenitenti gravamen oriri possit, etsi eius conscientiae huiusmodi usus prodesset. Unde famulum domi, ut peccandi occasio tollatur, includere aut dimittere, torvis aspicere oculis, pristinam subducere benevolentiam, claves, ne rursum furetur, abducere, neque confessionis schedam, aut S. Communionem, nuptiis assistentiam, ad munus, beneficium, etc., suffragium negare, prorsus non licet; sed his in adiunctis poenitentem in confessione ut suo satisfaciat officio (occasionem vitet, matrimoninm nullum ne contrahat. petitione decedat etc.) moneatur oportet.

Sacerdos porro, illa quam in poenitentis confessionibus acceperit, notitia in eiusdem utilitatem uti potest et debet: summa tamen cautione ne inutiliter poenitenti confessio gravior fiat: praecedentes ergo confessiones non recta, sed potius ita per prudentes interrogationes revocentur, ut ex responsionibus iam pridem peractae confessiones noscantur. Notitiae, quas sacerdos ex aliorum confessionibus acceperit, nequeunt in suorum poenitentium confessione usurpari.

Novissima haec norma tum praecipue servanda est quum propinqui, consanguinei, coniuges, parentes et filii de alterius culpis et vitiis, de inter se discordia et dissentione in quotidiana consuetudine quidpiam in suis confessionibus revelant, quapropter sacerdos, qui alius confessionem audit, multa alius noscit vitia. Hic singularis est adhibenda prudentia ne per alterius confessionem alteri accepta peccata revelentur, aut certam ea ex alia didicisse confessione praebeat suspicionem. Ut ecce si sponsus ipsa nuptiarum die peccatum in sextum una cum sponsa patratum accuset, sponsa autem taceat. Sacerdos in primis longe sciscitando gravissimum nuptiarum diei momentum exponendo, ut altius cor perscrutet, ut diligentius vita adhuc acta, decalogum recensendo, investigata, digne poenitentiae et Eucharistiae sacramentis receptis, beatas sibi praeparet nuptias, viam inde sibi ita in poeni-

tentis conscientiam aperiat ut iam antea auditi peccati suspicionem summoveat. Ex gravioribus et communioribus sponsorum periculis interrogandi causam arripiat, sed « confessarius » sapiens inquit Ligorius, « non sit nimius in interrogationibus repetendis quia in hoc etiam esset periculum revelationis ».

Si vero sponsa ne huiusmodi quidem occursatione ad confessionem adduci queat, neque eiusdem absolutionem capacitatis dubitandae causa alia supersit quam sponsi confessio, probabiliter absolvi ad Eucharistiam admitti et matrimonio iungi licet. Sed S. Alphonsus cum aliis sacrilegium voluntate admittenti et confessionem iterandam esse scienti absolutionem denegandam, denegationemque, ne confessionis arcana violentur, aliquibus precibus celandam docet. Nec iure opponitur hac ratione sacramentum simulari quod nunquam omnino, ne « materialiter » quidem licet, non enim « ficta appositio formae ad materiam, neque ficta formae prolatio » hic admittitur. Cetera tamen Sacramenta, quae, salvo sigillo, denegari nequeunt, indigno poenitenti ministrari possunt et debent.

Simili ratione se sacerdos gerere debet quum mulier discordiam ex mariti ebriositate subortam accuset, simulque sacerdotem roget ut viro, qui forte ad eundem pro confessione accedet, iniuriam graviter obiciat. Mulier in primis monenda quae ex eius confessione audiverit cum aliis nequaquam agere licere; deinde cum viro qui ebriositatem non accuset, eadem quam supra diximus, ratione se gerat.

Extra confessionem sacerdoti de suorum poenitentium in confessione acceptis secretis tum tantum loqui licet, quum et quantum ei a poenitentibus sua omnino sponte et definite conceditur. Huiusmodi tamen concessio gravissima datur causa, dummodo sacramenti non periclitetur sanctitas, nec offensio aut iniuria metuenda sit.

In ipsius poenitentis peccatis, absque sufficienti causa aut prorsus per iocum data licentia, sacramenti violaret sanctitatem et sacrilegium utique foret. Sigillum sane poenitentis in primis commodo constitutum est, idque poenitens solvere valet, sed quatenus eorum, quae confessioni tradita sunt extra confessionem usus, propriae aliorumque saluti non modo damno ne sit, sed etiam ne a poenitente aut a sacerdote tam necessarii sacramenti sanctitas laedatur. Si ergo sacerdos illicite a poenitente concessam licentiam adhibeat, etsi sigillum non violaret, una tamen cum poenitente contra sacramenti religionem peccando, sa-

crilegium patraret. Idoneis etiam causis concessa licentia sacerdos non utatur si offensio exinde oriretur, vel etiam inutilis tantum usus fuerit.

Gravior offensio sacramentique profanatio et vera sigilli violatio facilius foret huiusmodi licentia quum, quae in confessione tradita fuerint, aliorum et praesertim sociorum culpa vulgarentur. Hic ideo est maior adhibenda circumspectio et in primis ne alii iniuria laedantur dispiciendum. Iniusta in hoc licentia nec valeret, nec, salvo sigillo, adhiberi potest, deficiente enim causa, alii infamia notarentur. In ipsa sui confessio de aliorum peccatis tangere modo poenitenti licet quantum, ut sua accuset, necesse est (ut socii); sed quantum possit, ne qui peccata admiserint revelentur, studeat oportet, ne apud sacerdotem mala fama notentur. Externa aliorum diffamatio in suis confessionibus poenitentibus tum licet quum gravis adsit causa (ut quum alius, cui ignotus sit culpae socius, sacerdos facile inveniri nequeat et confessionis integritati sit huiusmodi notitia necessaria). Sed quum poenitenti nunquam in sua confessione aliorum peccata, gravi deficiente ratione, revelare liceat, eo minus sacerdoti eorum, quae in confessione audiverit, cum infamiae periculo, gravissima non urgente causa, usus licet.

Communiores causae, quibus confessionis arcana extra sacramentum cum aliis communicare licet, sunt correctio fraterna et denunciandi officium.

Poenitens suo correctionis fraternae officio fungendi auxilio a sacerdote arcessere et exinde (ut illum sacerdos moneat, eiusque animi pericula avertat, corruptelarum illecebras arceat, etc.) alterius peccata revelare potest, si tamen tria occurrant: 1) gravis iam patrati aut admittendi peccati correctionis necessitas et reus nondum emendatus sit, neque aliter emendaturus provideatur; 2) poenitens ex se omnino non, aut non absque gravi incommodo correctionem utiliter suscepturus sit; 3) certa emendationis ex sacerdotis opera spes affulgeat. His deficientibus, culparum socii in correptione revelatio, ne dum inutilis, est formalis diffamatio omnino iniusta et prorsus inde poenitenti vetanda.

Poenitens ut grave malum impediat (ut si maleficium in civitatem ipse tantum noverit) denuntiare tenetur. Si nequeat, aut denuntiandi officio solvi, aut, urgente periculo, per alium denuntiare potest. Si sacerdotis auxilium, ut alium corrigat aut grave avertat malum, utilius sibi esse videatur, extra confessionum sedem alterius peccatum poenitens sacerdotem recta doceat.

# BIBLIOGRAPHIA

I.

FALCONE (Sac. Francesco). **Per la riforma dei Seminari in Italia.** — Roma, F. Pustet, 1906. — Lire 1.50.

Argumentum de seminariorum reformatione a multis hodie tractatum novam lucem obtinet in utilissimo opere nuper edito a cl. Falcone. Ipse, expertissimus in seminariorum directione, finem sibi proponit antiquas Ecclesiae normas, praesertim a S. Carolo Borromaeo datas, cum nostrorum temporum exigentiis coordinandi atque difficultates removendi quae rectam in pluribus seminariis institutionem praepediunt.

Valde mihi probantur capitula, optime exposita, de proscribendis seminariis mixtis, de hygiene et educatione clericorum deque omnibus mediis in sequentibus capitibus tractatis quae dum apprime favent spiritui ecclesiastico efformando in clericis, eisdem istitutionem omnino rationalem et modernam imprimere videntur.

Opus proinde cl. Falcone valde commendatur ob suam opportunitatem et gravitatem ipsumque omnino necessarium censemus omnibus qui in seminariis operam quocumque modo praebent, quia procul dubio restauratio Cleri a recta seminariorum directione pendet. D. Q.

II.

**Manuale Theoretico-Practicum pro Minoribus Poenitentiariis Apostolicis** nec non pro aliis privilegiatis confessariis pagellam S. Poenitentiariae praesertim habentibus confectum et ad mentem const. Apostolicae Sedis ac iuxta recentiora SS. Congregationum oracula redactum a P. ANDREA TARANI A SPALANNIS O. F. M. in Archibasilica Lateranensi Min. Poenitentiario. Volumen 680 pag. in-8 ab Emo Card. Seraphino Vannutelli Poenit. maiore approbatum.

Inter plurima, quae de re morali edita sunt opera nullum arbitramur Min. Poenitentiariis aliisque privilegiatis Confessariis *Pagellam* Facultatum S. Poenitentiariae praesertim habentibus, tantum utilitatis afferre, quantum Manuale hoc a R. P. Andrea Tarani pro illis redactum nuperque typis Friderici Pustet impressum.

Cooptatus Cl. Auctor inter Poenitentiarios Minores in Archibasilica Lateranensi, iam inde a principio ea omnia addiscere cupiens, quibus opus est ad perdifficile Poenitentiarii munus rite obeundum, omni studio, ut ipse ait, coepit inquirere fontes seu Auctores qui ad scopum inservire ei poterant. In hoc porro laudabili labore omne punctum tulisse atque non modo sibi, verum etiam omnibus aliis easdem facultates habentibus magnopere profuisse iam nobis compertum est. Et sane, quae de subiecta materia a probatis Theologis et Canonistis antiquae recentiorisque aetatis fuse et sparsim hucusque tradita sunt, ipse sapienter collegit, eaque in unum veluti corpus ordinatim redigens Manuale suum concinnavit; in quo nescis utrum magis admirare debeas eius summam eruditionem atque doctrinae soliditatem, an claram facilemque methodum commendare, quo omnia exponit. Lau-

datum Manuale in duas deducitur partes, quarum summam verbis ipsius Auctoris hic praestat referre.

« Prima pars, ait, quae Poenitentiariorum personam respicit « potissimum, de eorum natura seu institutione, praerogativis, « et dotibus agit. Secunda vero, quae potiorem partem se praestat « in Opere, tota circa eorundem facultates versatur. Maioris autem « claritatis ratione ista posterior in tres sectiones subdividitur, « et quelibet sectio in capita, capita vero in articulos, qui vicissim « paucis exceptis, in paragraphos abeunt. - In prima huius partis « sectione agitur de origine, natura et usu facultatum Min. Poe- « nitentiariorum. - In secunda de facultatibus, quibus ipsi Poe- « nitentiarii gaudent absolvendi a casibus et censuris sive Prae- « latis Regularibus, sive Episcopis seu locorum Ordinariis, sive « ipsi R. Pontifici reservatis; seu, recensitis singillatim dictis ca- « sibus et censuris, et difficilioribus etiam breviter explanatis, « ostenditur a quibus possint et a quibus non possint ipsi Poeni- « tentiarii absolvere, tradito insuper et modo quo iidem se valeant « et debeant in praxi gerere. In tertia denique sectione, eadem me- « thodo et ordine ac in praecedenti, agitur de Poenitentiariorum « facultatibus dispensandi a votis, in impedimentis matrimonii et « super irregularitate ».

Ast cum non solum facultates Poenitentiariorum propriae, sed illae quoque, quae a S. Poenitentiaria nonnullis Confessariis atque etiam Episcopis per respectivas *Pagellas* concedi solent sint in hoc Manuali solide et dilucide explanatae, hinc nobis persuasum est opus huiusmodi, quod meruit probari ab ipso Emo Cardinale S. Vannutelli Poenitentiario Maiori, non solum praedictis Poenitentiariis, sed aliis quoque privilegiatis Confessariis, imo omnibus indiscriminatim Sacramenti Poenitentiae ministris valde profuturum esse, quia omnes in eo quaecumque casus reservatos, censuras, matrimonii impedimenta et vota praesertim respiciunt, scite clareque exposita invenient. Et hoc quidem iudicium fuit Rmi Theologi D. Mannaioli, Correctoris S. Poenitentiariae, huiusce operis revisoris.

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Bainvel J. V.** — *De Magisterio Vivo et Traditione.* — Vol. in-8, pag. 158, L. 3.

**Bevilacqua Antonio.** — *Quaresimale.* — Vol. in-8, pag. 376. L. 3 —

**Bolo abate Enrico.** — *Contemplazioni eucaristiche.* — Traduzione italiana condotta sulla 19ª edizione francese da P. MARCELLO CASTELLI. Vol. in-12, pag. 328. L. 1.50

**Chargebœuf E.** — *La Bible Meditée* d'après les Saints Pères. — I. Livres historiques de l'ancien testament. Vol. in-12, pag. 438. L. 5 —
II. Livres didactiques de l'ancien testament. Vol. in-12, pag. 470. L. 5 —

**Devivier P. W., S. J.** — *Cours d'Apologétique chrétienne,* ou exposition raisonnée des fondements de la foi. — 18ª edizione. Grande volume in-8 di pag. 608. L. 3.50

# ACTA PONTIFICIA

## I. — EPISTOLA

**Pii PP. X ad Emum Archiepiscopum Parisiensem commendans " Opus a catechismis ".**

DILECTO FILIO NOSTRO FRANCISCO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD, ARCHIEPISCOPO PARISIENSI. — LVTETIAM PARISIORVM.

PIVS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

*Opus a catechismis* sollerti et actuosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressione, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse: eo magis quod ipsius nunquam fortasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usu venire istic dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibat. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi: simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habeant Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

## II. — CHIROGRAPHUS

**Pii Pp. X quo Collegium Cantorum Xistini Sacrarii rectius constituitur ac proprio statuto ornatur.**

PIUS PP. X.

MOTV PROPRIO.

Tutte le istituzioni umane, destinate al conseguimento di un dato fine, sono generalmente guidate da statuti e regolamenti i quali, nel disporre dei mezzi atti a raggiungere lo scopo prefisso, debbono adattarsi alle condizioni ed alle circostanze in cui gli statuti stessi sono elaborati e scritti. Ma coll'andar degli anni le condizioni, in parte od in tutto, vengono a variare; e le istituzioni medesime, pur tenendo fisso l'intendimento di chi le fondò, sono costrette a modificare gli statuti in tutti quei particolari divenuti incompatibili con le mutate esigenze.

Tali esigenze si manifestano per lo più o con le frequenti infrazioni ai regolamenti (infrazioni difficili ad impedirsi del tutto). ovvero per essere divenute intollerabili costumanze, comportevoli in altri tempi. Modificare gli statuti in questi casi, è non soltanto cosa opportuna, ma necessaria. E molto bene ciò intese per ciò che riguarda i cantori della Nostra Cappella il Nostro venerato predecessore Leone XIII il quale, non ostante che per la Costituzione di Paolo III *Romanus Pontifex* in data 17 novembre 1545, per la Costituzione di Sisto V *In suprema militantis Ecclesiae* in data 1 settembre 1586, per quella di Clemente XIII *Cum retinendi* in data 31 agosto 1762, e per altri atti pontifici, il corpo dei Cantori della Cappella Papale fosse costituito come un vero Capitolo ecclesiastico, pur tuttavia alla proposta insistente presentatagli dal Direttore della Cappella volentieri annuì, e con un regolamento approvato nel marzo 1891 concesse per coloro che non avevano gli ordini maggiori, la dispensa dal celibato. Con ciò venne dunque a cessare di fatto la partecipazione dei dispensati ad un Collegio canonicale, mancando per essi una delle qualità necessarie pel conseguimento di un benificio ecclesiastico.

Nè deve dimenticarsi inoltre che lo stesso Pontefice Leone XIII di s. m. con decreto del 3 febbraio 1902 volle stabilire che d'allora innanzi le parti per voci acute, fatta eccezione per i cantori ancora in carica, fossero, come è naturale, sostenute dai giovanetti.

Non volendo pertanto che perduri una posizione transitoria ed ambigua, ed un sistema non più conforme all'esigenze del tempo presente, e stando a Noi sommamente a cuore il decoro del canto ecclesiastico nel culto divino, abbiamo voluto dotare la Nostra Cappella Musicale di un nuovo *Regolamento* più consentaneo agli attuali bisogni, col quale tutte le precedenti costituzioni e tutti i precedenti privilegi vengono abrogati e soppressi.

A questo Regolamento pertanto, che pubblichiamo di moto proprio e di certa scienza, con la pienezza della Nostra Autorità Apostolica per mezzo del presente Nostro Chirografo ordiniamo che debbano d'ora innanzi i componenti la Cappella Musicale Pontificia esattamente attenersi.

## REGOLAMENTO *

### DELLA CAPPELLA MUSICALE PONTIFICIA

### I. — Della costituzione della Cappella.

Art. 1. La Cappella Sistina si compone di:
*a*) un Maestro Direttore,
*b*) di un Vice-maestro,
*c*) di due primi tenori e due primi bassi,
*d*) di tre secondi tenori e tre secondi bassi,
*e*) di tre tenori e tre bassi soprannumeri,
*f*) di trenta ragazzi,
*g*) di un segretario archivista,
Dovendo essere il coro composto sempre di voci fresche e nella pienezza dei mezzi vocali, le nomine dei cantori adulti si faranno con scrittura di cinque anni. Sulla riconferma per i quinquennii successivi delibererà un'apposita Commissione.

### II. — Dei concorsi ed esami per i cantori.

Art. 2. I posti della *Cappella Sistina* si conferiscono dietro concorso ed esame. La Commissione per gli esami e per le ricompense sarà composta dal Maestro Direttore, dal Vice-Maestro e da altri tre membri da eleggersi volta per volta da Mons. Maggiordomo, o dal Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, se a questi ne fosse deferito l'incarico.

Art. 3. I *sacerdoti,* gli antichi *alunni* della *Schola puerorum,* a parità di merito, avranno la precedenza.

Art. 4. Ogni concorrente al posto di cantore, oltre ad un saggio sulla estensione e qualità della propria voce, dovrà dare l'esame su le seguenti materie:
*a*) solfeggio cantato sul setticlavio e dettato musicale,
*b*) esecuzione a prima vista di un pezzo polifonico,
*c*) teoria ed esecuzione del canto gregoriano.

* Peculiaribus de cantis quaedam in hoc statuto edendo omittuntur.

Art. 5. Dovrà ogni singolo concorrente presentare la Fede di Battesimo e gli attestati di buona condotta, rilasciati dal Parroco e dal Sindaco.

III. — **Del Maestro Direttore.**

Art. 6. Il Direttore veglia al buon andamento morale ed artistico della Cappella; ed in caso di ripetute mancanze dei Cantori, riferisce per gli opportuni provvedimenti a Mons. Maggiordomo, o al Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici.

Art. 7. Dovrà il Maestro Direttore far eseguire, oltre alle melodie gregoriane, le migliori composizioni della polifonia classica; potrà tuttavia fare uso anche della musica sacra moderna, purchè scritta a voci sole.

IV. — **Del Vice-Maestro e « Magister puerorum ».**

Art. 8. È affidata in via ordinaria al Vice-Maestro la scuola dei ragazzi, che egli dovrà reggere ed istruire secondo uno speciale regolamento.

Art. 9. Dovrà dirigere la Cappella in assenza del Maestro, così nelle prove, come nelle esecuzioni, ed impartire la necessaria istruzione ai cantori.

Art. 10. Il Vice-Maestro deve trovarsi presente a tutte le prove ed esecuzioni dirette dal Maestro Direttore.

Art. 11. Sarà obbligo del Vice-Maestro, senza alcun compenso speciale, di ridurre in nota moderna le antiche partiture dell'archivio della Cappella, ora custodite nella Biblioteca Vaticana, che potessero occorrere per le esecuzioni o per le esercitazioni.

V. — **Dei Cantori.** — *a) Tenori e bassi.*

Art. 12. I cantori avranno il titolo di *cantori pontifici.*

Art. 13. I cantori hanno l'obbligo di intervenire a tutte le esercitazioni, prove ed esecuzioni indette per ordine del Maestro, e di astenersi dal prestare servizio in altre chiese durante gli otto giorni che precedono qualsiasi esecuzione.

Art. 14. In caso di assenza per malattia, dovranno presentare l'attestato del medico.

Art. 15. I cantori pontificî nelle funzioni indosseranno sottana, fascia, collare di seta pavonazza e cotta di soprariccio; del quale abito dovranno provvedersi a proprie spese.

Art. 16. Si permette e si consiglia ai cantori di esercitare altre professioni all'infuori di quella musicale.

*b) Dei ragazzi.*

Art. 17. Pei ragazzi provvede un apposito regolamento.

VI. — **Della disciplina da osservarsi durante le sacre funzioni.**

Art. 18. I cantori, ricevute le parti dal Segretario, si troveranno nella cantoria un quarto prima dell'ora fissata per le funzioni.

Art. 19. Osserveranno il più assoluto silenzio durante le funzioni.

VII. — **Del Segretario.**

Art. 20. Il Segretario ha cura dell'Archivio usuale della Cappella.

Art. 21. Distribuisce e raccoglie le parti durante le funzioni e le prove.

Art. 22. Intima le ore delle prove e delle funzioni.

Art. 23. Assiste a tutte le prove ed esecuzioni, ed in ogni tempo deve tenersi a disposizione del Direttore.

Art. 24. Il Segretario redigerà diligentemente il diario della Cappella, sottoponendolo alla fine di ogni anno all'approvazione dei Superiori.

VIII. — **Delle pensioni.**

Art. 25. I cantori che avranno potuto conservare la voce e prestare servizio per sei quinquennî, si ritireranno con la pensione corrispondente ai quattro quinti dello stipendio.

IX. — **Dei Cantori onorari.**

Art. 26. Gli amatori di canto sacro che avessero per tre anni prestato grazioso servizio nelle Cappelle, avranno, dietro esame, il titolo di cantore pontificio onorario.

X. — **Delle sanzioni.**

Art. 27. A Mons. Maggiordomo, o al Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, sono affidate le sanzioni in caso di qualsiasi trasgressione al presente regolamento.

XI. — **Elenco delle funzioni alle quali partecipa la Cappella Musicale Pontificia.**

Art. 28. La Cappella Musicale Pontificia presterà servizio nelle funzioni che hanno luogo nelle seguenti ricorrenze:

1. Immacolata Concezione di M. V.; 2. Natale di N. S. G. C.; 3. Circoncisione; 4. Epifania; 5. Purificazione della B. V.; 6. S. Giuseppe; 7. Annunziazione della B. V.; 8. Settimana Santa; 9. Pasqua di Resurrezione; 10. Ascensione di N. S. G. C.; 11. Pentecoste; 12. Corpus Domini; 13. S. Pietro; 14. Tutte le Domeniche dell'anno, eccetto le Domeniche dal 1° luglio al 31 ottobre, e la 1ª, 2ª e 3ª Domenica dopo Pasqua; 15. Anniversario della morte del Sommo Pontefice defunto; 16. Anniversario della Incoronazione del Sommo Pontefice; 17. Concistori pubblici; 18. Funerali dei Sovrani e degli Emi Cardinali; 19. Tutte le cerimonie solite a farsi prima, durante e dopo il Conclave; 20. Qualunque altra funzione, anche straordinaria, indetta per ordine di Sua Santità.

XII. — **Degli attuali componenti la Cappella.**

Art. 29. Gli attuali componenti la Cappella, dal giorno in cui sarà ad essi comunicato il presente Motu-Proprio, saranno sottoposti al nuovo regolamento (conservando gli onorarî fin qui percepiti) finchè spiri il trentennio del loro servizio; dopo il qual tempo godranno della pensione intera.

XIII. — **Propine e Cassa di sovvenzioni.**

Art. 30. Le propine, solite a percepirsi dai Cantori, saranno d'ora innanzi divise nel modo seguente: della somma in ciascuna circostanza dovuta alla Cappella, otto parti andranno alla scuola dei ragazzi, tre parti al Maestro Direttore, due parti al Vice-Maestro, due a ciascheduno dei primi tenori e primi bassi presenti, due al Segretario ed una per ciascheduno agli altri cantori pontificî presenti.

Art. 31. Mons. Maggiordomo, o il Prefetto dei Sacri Palazzi Apostolici, amministrerà il fondo della Cassa sovvenzioni già

esistente, e ne regolerà la distribuzione della rendita, come per il passato.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno 20 giugno 1905, del Nostro Pontificato anno secondo.

PIVS PP. X.

---

## IV. — EPISTOLA

**Qua Summus Pontifex Illmum ac Rmum D. Aemilium P. Le Camus, episcopum Rupellen., laudat, ob opus biblicum nuper ab ipso editum.**

PIO PAPA X.

VENERABILE FRATELLO, SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE.

GIUDICHIAMO che la recente pubblicazione del vostro lavoro sull'*Opera degli Apostoli*, in tre volumi, non potrebbe giungere meglio a proposito, e vi siamo riconoscenti di avercene fatto omaggio

Giacchè non è più permesso di conservare la minima illusione su un fatto ormai evidentissimo, che cioè il disprezzo, anzi l'odio contro la fede ed i costumi dei veri cristiani si accentuano sì tristemente ai giorni nostri, che in grandissimo numero purtroppo, Noi vediamo uomini sforzarsi di mettere in onore nella vita privata o pubblica, quanto fu l'onta dell'antichità pagana. Che si poteva immaginare di più efficace per reprimere un sì gran male che presentare ad un mondo che invecchia e va in decadenza, la descrizione della Chiesa nascente e risvegliare così nelle anime, mostrando ciò che i nostri padri hanno fatto e detto, il santo ardore che è necessario spiegare per rispondere agli attacchi diretti contro i saggi insegnamenti e le virtù della religione cristiana?

Questo è incontestabilmente lo scopo del vostro lavoro, nel quale voi studiate le origini cristiane per modo che vi dimostrate non solo uomo pieno di dottrina e di competenza chiaroveggente, ma anche completamente compenetrato di quella pietà che caratterizza i tempi antichi.

Ciò poi che nel vostro lavoro è specialmente degno di elogio, è, che nella vostra maniera di esporre i testi sacri, avete cercato di seguire, per rispetto della verità e per l'onore della dottrina cattolica, la via, dalla quale, sotto la direzione della Chiesa, non bisogna mai deviare. In quella guisa, infatti che si deve condannare la temerità di coloro, che, preoccupandosi molto più di se-

guire il gusto della novità che l'insegnamento della Chiesa, non esitano a ricorrere a dei processi critici di una eccessiva libertà, conviene parimenti disapprovare l'attitudine di coloro che non osano, in alcun modo, romperla coll'esegesi scritturale vigente fino a ieri, anche quando, salva l'integrità della fede, il saggio progresso degli studi li invita coraggiosamente a farlo.

Voi camminate felicemente fra questi due estremi. Coll'esempio che voi date, provate che non v'ha nulla a temere, per i nostri Libri Santi dalla vera marcia in avanti realizzata dalla scienza critica e che anzi si può aver gran vantaggio per essi Libri, ricorrendo ai lumi apportati da quella scienza. E, difatti, ciò accade tutte le volte che si sa utilizzarlo con prudenza e saggio discernimento, come Noi constatiamo che avete fatto voi stesso. Non v'ha dunque nulla di sorprendente nel grande successo che ottenne fino dalla sua apparizione nel mondo dei sapienti, il primo volume del vostro elaborato studio, e non v'ha dubbio che gli stessi giudici competenti renderanno giustizia alla vostra opera completa.

Quanto a Noi, venerabile Fratello, vi felicitiamo di tutto cuore e facciamo i voti più ardenti che molti lettori ritraggano dal vostro tanto importante lavoro tutti quei frutti che si ha diritto di attenderne. Come pegno dei favori divini e testimonianza del Nostro affetto, impartiamo, tenerissimamente nel Signore, a voi, al vostro clero e al vostro popolo, la Nostra Apostolica Benedizione.

Dato a Roma, in San Pietro, l'11 gennaio 1906, terzo anno del Nostro Pontificato.

PIO PP. X.

## V. — SERMO PII X PONT. MAX.

**Habitus die XXI Februarii MDCCCCVI ad electos episcopos quum insignia dignitatis imponeret.**

PASTORALI animo Nostro, acerba aegritudine iampridem affecto, opportunum sane solatium et quasi iucunditatem affert, hodierna die, conspectus vester; ipsis enim vos amantissimis Pauli Apostoli verbis consalutare libet: *Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea.*[1] *Gaudium* quidem

[1] *Philipp.*, IV, 1.

quia una Nobiscum ad sustinendos apostolici ministerii labores vocati, adiutricem Nobismetipsis operam strenue naviterque, Deo bene iuvante, praestabitis. *Corona* item; namque doctrinae laude, pietate, ceterisque virtutibus, quibus quisque vestrum praefulget, splendidum Ecclesiae Dei ornamentum affertis. — Ergo sic state in Domino, carissimi, et gaudete. Hoc enim divinae proprium est Providentiae efficere, ut quos ipsa animarum pastores instituat, ii etiam appareant et emergant divinitus confirmati, et tamquam induti ab alto incredibili quadam virtute, quae nullo unquam hominum impetu vel rerum vicissitudine frangi possit aut debilitari. — Verum quidem est, episcopale officium, angelicis humeris formidandum, innumeris sane, quovis tempore, tum laboribus tum curis tum anxietatibus obnoxium esse; in praesenti autem plura extare, quae huius ministerii muneribus augeant gravitatem. Est enim in luce atque in oculis omnium posita, cunctisque explorata et cognita, luctuosa Ecclesiae ac religionis conditio. Magna nimirum tristitiae caussa, tam esse multos, quos errorum pravitates atque in Deum protervia longe abducant agantque praecipites; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aeque habentes, divinam iam iam exuere fidem videantur; neque ita paucos etiam inter homines catholicos esse, qui nomine quidem religionem retineant, re tamen debitisque officiis nequaquam colant. — Multo autem gravius angit et vexat animum calamitosa malorum pernicies, inde potissimum orta, quod passim in temperatione civitatum non solum ullo iam loco censetur Ecclesia, sed virtuti eius, multis modis saluberrimae, dedita opera, repugnatur: qua in re apparet magna quidem et iusta vindicis Dei animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinit hebescere.

Quapropter, si tot tantisque prementibus malis, apostolici ministerii onus modo vobis imponere per Christi Iesu verba compellimur: ***Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum***,[1] ea vos semper memineritis vehementer hortamur, quae hoc ipso loco idem Christus Apostolos suos edocuit. Estis *oves;* sed quum ovium propria sit lenitas, videte quibus velut armis in ipsos Religionis vestraeque dignitatis osores constanter uti debeatis, videlicet benignitate, caritate, patientia. *Estote*, subdidit Ille, *simplices sicut columbae.* Verum eiusmodi simplicitas, uti perspicuum est, calliditates omnes, simulationes ac dolos, quae Ecclesiae ho-

[1] MATTH. X, 16.

stibus communia sunt, nimisque apta ad nocendum auxilia, prorsus excludit. Nec tamen Magister optimus id reticuit: ***Estote prudentes, sicut serpentes;*** nempe in omnibus assidue vigilantes; versutas adversariorum artes caute metuentes; providentes sedulo ne ulla causa speciesve ad calumniam vel offensionem ex actibus vestris arripi queat; iustitiam denique, fidem et innocentiam, non modo cum bonorum iactura, sed et cum vitae ipsius despectu tuentes magnanimi.

Summopere autem oportet, ut Ecclesiae pastores solliciti sint cum inter se omni studio omnique ope servare animorum consensum, cuius vi nullus seorsim velle possit quod universim omnes felici quadam necessitate non velint. Neminem enim latet, eiusmodi animorum voluntatumque consensionem maximum veluti praesidium ac vere robur nostrum efficere, ex eaque, uberi copia, quae maxime necessaria sunt ad ministerii nostri munia perficienda, adiumenta manare. — Christus enim ita Ecclesiam constituit, ut ex unitate ipsa, qua invicem membra connectuntur, usquequaque fortis evaderet; ideoque in Scripturis sanctis Ecclesia exercitui comparatur ad bellum instructo, et terribilis commendatur ut acies ordinata castrorum: quum ex adverso, teste Augustino, triumphus daemonum est dissensio christianorum; luculenterque ex oraculo Christi: ***Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.***[1] Et reapse, quum acerrimi Ecclesiae fideique hostes in id potissimum animum intendant, ut mira haec unitas dissolvatur, nihil est quod infectum deserant ad oves a pastoribus disiungendas; atque eo nequitiae procedunt, ut ipsos inter pastores dissidia optent exurgere.

Haec itaque vobis ante omnia cordi sit, tam excellentium bonorum effectrix, unitas. Stemus simul, auspice summo Pastorum Principe, ut invalescentes quotidie Crucis inimicos felicius concordi oppugnatione profligemus, et sacrosanctum Fidei depositum, facto velut agmine, quaquaversus circumvallemus. — Neque dubitamus, quin inclita Gallorum gens, communium rerum misere nutantium cogitatione permota, Ecclesiae pastoribus ex animo adhaerescens, iisque, ut par est, obtemperans, id pro viribus actura sit, ut nempe patribus illis maioribusque suis, generosis Ecclesiae catholicae filiis, sese plane dignam exhibeat.

Quod si in trepidis afflictisque christiani nominis rebus unicum aerumnarum ac sollicitudinum perfugium in Omnipotenti

[1] Luc. XI, 17.

Deo quaerendum, ut laboranti Ecclesiae suae praesens opituletur, eique depugnandi virtutem et triumphandi potestatem impertiat; hoc superest, ut Dei ipsius opem certatim omnes imploremus, precatoresque ad Eum adhibeamus gloriosissimam Virginem Mariam, caelitesque Galliae Patronos. — Communibus ipse votis benignus annuat; ipse optatissimo tranquillae libertatis munere Ecclesiam soletur; ipse cunctis Galliae catholicis, quos paterna caritate complectimur, veram ex fide solidamque pacem et prosperitatem restituat.

## VI. — EPISTOLA

**Ad Emum Card. Ferrari qua Pontifex publicationem nuper factam cuiusdam opusculi de relationibus inter Ecclesiam et Status improbat et deplorat.** [1]

AL NOSTRO DILETTO FIGLIO ANDREA DEL TITOLO DI S. ANASTASIA CARDINALE FERRARI, ARCIVESCOVO DI MILANO.

*Signor Cardinale,*

Le siamo grati, Signor cardinale, dei sentimenti espressi nella lettera che Ella ci ha diretta insieme coi Vescovi raccolti a Milano per la preparazione degli atti del Concilio Provinciale. Nella grande commozione pei mali che sovrastano ai cattolici della Francia, Ci sentiamo confortati dal pensiero, che alla Nostra voce Apostolica fanno eco i Pastori delle anime e si uniscono in tal modo a Noi, che non potendo accompagnare personalmente quei generosi fedeli disposti a grandi sacrifizi, abbiamo dato loro una prova del Nostro particolare affetto, invocando sui novelli loro Vescovi i divini carismi.

Siamo poi vivamente riconoscenti a Lei, Signor Cardinale ed ai venerandi Fratelli per la parte presa all'acerbo dolore, onde è pieno l'animo Nostro, per una recente pubblicazione intorno ai rapporti fra la Chiesa e gli Stati: pubblicazione veramente deplorevole in sè e per le luttuose circostanze nelle quali si è fatta: più deplorevole ancora per le tristi conseguenze, da Lei, Signor Cardinale, e dai suoi Colleghi con profondo rammarico lamentate nella citata lettera, come pure hanno fatto non pochi

[1] Episcopi Langobardi, Mediolani coadunati parandis actis Concilii Provincialis, ad Pontificem litteras die 23 Februarii miserunt quibus solamen SSmo Dno afferre satagunt occasione Gallicae persecutionis et improbant opusculum recens editum ab Illmo ac Revmo D. Hieremia Bonomelli super relationibus inter Ecclesiam et Civiles Status.

altri Vescovi italiani; vogliamo dire pel danno gravissimo che ne deriva in mezzo alla grande moltitudine di coloro che, tratti dalle opinioni del moderno liberalismo e alieni da distinzioni e da sottigliezze, guardano unicamente alla fonte, creduta talora autorevole, d'onde emanano certi scritti, e bevono poscia, col concorso di una stampa perversa, il veleno micidiale di certe massime che non potranno essere mai dalla Chiesa accettate.

Del resto, vegliando Noi solleciti su quanto riguarda la retta dottrina e la disciplina ecclesiastica, tanto Ella, Signor Cardinale, come altri egregi Pastori, possono essere sicuri che non verranno meno, anche in questa circostanza, le cure dell'Apostolica Nostra provvidenza.

Intanto con effusione di cuore impartiamo a Lei, Signor Cardinale, e ai Vescovi con Lei adunati per preparare gli atti del Concilio Provinciale, l'Apostolica benedizione.

Roma, 27 febbraio 1906.

PIUS PP. X.

## SECRETARIA STATUS

**Epistola ad Praesidem Consilii dirigentis Societatem Italicam a servis redimendis.**

*Sig. Comm. Filippo Tolli*

*Presidente del Consiglio Direttivo della Società Antischiavista d'Italia* *Roma.*

*Illustrissimo Signore,*

Mi è grato portare a conoscenza della S. V. Ill.ma che l'annunzio del secondo Congresso Antischiavista Nazionale, cui il tanto benemerito Sodalizio da lei presieduto terrà a Roma, nel prossimo autunno, è stato appreso dal Santo Padre come una di quelle importanti notizie, che, pari alla compiacenza, destano l'interessamento. Ella non ignora quanto l'Augusto Pontefice apprezzi il nobile e caritatevole e veramente evangelico scopo, a cui tende la Società Antischiavista d'Italia. A lei non è parimenti ignota la particolare stima, che Sua Santità si piace di fare dell'infaticabile ed illuminato zelo di codesto Consiglio Direttivo e della S. V. sopratutto, la quale dedica ai fecondi successi dell'opera tutta l'operosità, che le viene dalle sue belle qualità di

uomo di fede e di azione. Laonde non le sarà arduo il comprendere l'altissima soddisfazione della Santità Sua, la Quale, nel prossimo convegno Antischiavista scorge la prova più eloquente del celere e solido incremento raggiunto dall'egregia Associazione. L'Augusto Pontefice pertanto si congratula vivamente con V. S., e con quanti la coadiuvano, del forte impulso, che viene ora a darsi all'onorata impresa della redenzione degli schiavi; e più ancora Egli ne gode, perchè vede anche in ciò realizzato lo spirito delle alte finalità proposte al presente Pontificato, le quali mirano a restaurare in Cristo l'umana società, suppongono innanzi tutto eliminata dal civile consorzio ogni traccia di schiavistica servitù.

Di tali sentimenti, consentanei alla missione ed all'ufficio di Vicario di Cristo, Sua Santità è lieta darle benevola conferma incoraggiando con la grazia di una speciale Benedizione Apostolica tutti coloro, che prenderanno parte al futuro Congresso, e facendo in pari tempo i più caldi voti, perchè nell'importante assemblea all'affluenza dei congressisti splendidamente corrisponda l'ubertosa copia delle pratiche deliberazioni.

Colgo l'occasione per confermarle i sensi di perfetta osservanza coi quali mi confermo

Roma, 15 gennaio 1906.

Aff.mo per servirla
R. CARD. MERRY DEL VAL, *Segretario di Stato.*

## SECRETARIA BREVIUM

**I. — Breve quo indulgentiae conceduntur operi a SENIBUS DERELICTIS.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum, sicuti ad Nos relatum, in civitate Tolosana pia religiosarum mulierum societas a « Senibus derelictis » appellata canonice extet erecta, ad finem prospiciendi temporali ac spirituali bono senum aetate et morbo confectorum, Nos, ut tam frugiferum opus uberiora in dies, favente Deo, incrementa capiat, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis mulieribus praedictam societatem in posterum ingredientibus, die primo

earum ingressus, si vere poenitentes et confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam inscriptis quam pro tempore inscribendis ipsa in Societate mulieribus, necnon senibus pauperibus quibus ipsae iuxta pii operis tabulas ministrant, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac s. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ose si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam plenarium; ac tam descriptis quam in posterum similiter dicta in Societate inscribendis mulieribus quae feria sexta post Dominicam Passionis, nempe festo Septem Dolorum Virginis Deiparae, atque una ex Dominicis mensis Junii a Societatis moderatore semel tentum eligenda, pariter vere poenitentes et confessae, ac s. Communione refectae, propriam dicti operis ecclesiam, si habeant, secus uniuscuiusque curialem a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi quotannis devote visitaverint, ibique pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id praestiterint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praeterea iisdem nunc et in posterum, ut supra, idem in opus adlectis mulieribus, quoties a moderatore convocatae ut de rebus ad Societatem spectantibus simul agant, conveniunt; vel pauperes sibi commissos ad novissima sacramenta recipienda hortentur, vel corpora eorum ad sepulturam comitentur, vel iuxta memoratae Societatis tabulas aliud quodvis pietatis sive charitatis opus contrito corde exerceant, toties de numero dierum poenalium in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus.

Tandem largimur mulieribus ipsis sociis, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Dno Card. MACCHI,

N. MARINI, *Substit.*

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 1. — ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM.

**Episcopi facultate gaudent limitandi, etiam quoad Regulares, durationem pulsationum in sonitu campanarum.**

*Beatissime Pater,*

EPISCOPVS Sanctae Fidei in Republica Argentina humiliter ac reverenter exponit quod, attentis querelis sive privatim sive publice sive etiam per ephemerides excitatis ex abusu circa campanarum sonitum, necnon iure meritoque metuens auctoritatis civilis aut municipalis interventum, quem opera sui Vicarii Generalis semel vitare potuit, decretum edere statuit, vi cuius, campanarum sono diebus Dominicis, festivis aliisque anni temporibus haud prohibito, earumdem campanarum usus tantummodo moderatur et limitatur. Quum vero Fratres Praedicatores, qui in hac Sanctae Fidei civitate Conventum habent, contra praefatum episcopale decretum opponant privilegium ipsis a S. Pio V Constitutione *Etsi Mendicantium* diei 16 Maii 1567 concessum, atque a resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 11 Martii 1892 confirmatum duo sequentia dubia resolvenda proponit:

I. Utrum, attentis gravibus adiunctis supra relatis, dicti Fratres Praedicatores obtemperare teneantur dispositionibus in citato episcopali decreto contentis? Et quatenus negative:

II. Quomodo se gerere debeat Ordinarius ad interventum civilis vel municipalis auctoritatis vitandum?

Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

*Firmo remanente Fratrum Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii V* Etsi Mendicantium, *Episcopus potest, propter specialis loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare.*

Romae, 15 Novembris 1905.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

# S. CONGREGATIO CONCILII

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. Congregationis de iure resoluta in generalibus comitiis diei 20 Ianuarii 1906.**

*Per summaria precum:*

3516
5

## I. ISERNIEN. — IUBILATIONIS.

Caietanus Laliccia, canonicus Cathedralis Iserniensis, post servitium chorale continuo ac laudabiliter praestitum per quadraginta annos et ultra, primum uti cappellanus hebdomadarius seu mansionarius, deinde uti canonicus, supplices porrexit preces ad obtinendum iubilationis indultum, etiam attenta eius devexa aetate.

Capitulum iussu H. S. C. rogatum petitioni refragatus est: 1° quia servitium chorale ab oratore praestitum uti hebdomadario cumulari nequit cum servitio canonicali ad effectum obtinendi gratiam iubilationis; 2° quia ex gratiae concessione grave obveniret damnum choro et cultui divino, nam alii canonici ad interessendum in choro senectute vel habituali infirmitate, alii vero quia aliis officiis impediuntur; 3° vero quia, si admit teretur cumulatio servitii choralis in hebdomadariatu, iam alii sex canonici super undecim, quibus nunc constat capitulum cathedrale Iserniense, invenirentur in eadem conditione obtinendi praedictam gratiam et ita servitium chorale ad nihilum redigeretur, prasertim quia reliqui canonici non iubilati facile a choro excusari possunt ratione muneris. Tamen idem capitulum plenam facit fidem de continuo et laudabili servitio ab oratore praestito.

Episcopus preces oratoris commendans advertit in casu mansionarios, quamvis beneficio proprie dicto careant, removeri nequeunt arbitrio capituli, eius servitium gravius esse canonicorum, ac oratorem promisisse, non obstante indulto iubilationis, semper, quum possit, se chorum aditurum esse, et indultum sollicitare tantum ob quietem conscientiae.

Plura adsunt oratori favorabilia, et primum, longum et laudabile servitium praestitum, quod semper fuit ratio sufficiens ad indultum iubilationis canonicis concedendum; neque attendendae videntur difficultates a capitulo oggestae, nam hebdomadariatus, quamvis non sit beneficium stricte sumptum, tamen dici nequit in casu officium amovibile ad nutum capituli, iuxta Episcopi relationem.

Nec maius suffragari videntur aliae duae rationes a capitulo adductae, tum quia aequum non est ut ex choralium aliorum negligentia, orator plectatur denegatione expetitae gratiae, tum quia ipse serio promisit Episcopo choro adfuturum quoties eius praesentia fuerit necessaria.

Ex adverso expendi potest quod ut chorale quadragenarium servitium utile sit ad iubilationis gratiam debet esse praestitum ab obtinente beneficium in titulum perpetuum collatum, unde servitium praestitum a cappellanis vel officialibus choralibus cum qualitate precaria seu amovibili nullimode suffragari valet ad indultum prout communiter docent canonistae.

Rebus sic stantibus, rationibus omnibus, sive pro sive contra sedulo perpensis, E.mi Patres, preces oratoris dimittendas esse putarunt sequenti responso:

« *Quoad iubilationem negative; sed attenta infirma valetudine, pro gratia dispensationis a chorali servitio, amissis distributionibus inter praesentes tantum* ».

---

II. NUSCANA. — CONGRUAE CURATAE (*reservata*).

R. « *Ad mentem* ».

---

4174/5

III. PARENTIN. ET POLEN. — DISTRIBUTIONUM.

Vi Bullae Leonis XII *Locum B. Petri* diei 30 Junii 1829 Capitulum Cathedrale Ecclesiae Parentinae quandam subiit innovationem, ita ut denarius canonicorum numerus ad senarium dumtaxat cum quatuor Vicariis choralibus reductus fuerit. Praebendarum vero redditus massam communem constituunt, ex qua singuli capitulares aequam accipiunt portionem. Anno vero 1881 Capitulum propria condidit statuta, quae Ordinarius auctoritate sua munivit, quaeque ad *Cap. V.* quodammodo approbare videntur praxim punctaturas chorales omittendi. Cum deinde dubitatum fuerit an dicta punctaturarum omissio sacris canonibus consentanea esset vel non, Capitulum Parentinum per suum Ordinarium die 20 Septembris mox elapsi anni ab H. S. C. postulavit sive sanationem *pro praeterito* sive etiam dispensationem *pro futuro*.

Juvat in mentem revocare chorales distributiones dispesci in *ordinarias* vel *quotidianas*, quae sunt fructus laboris et canonicis choro praesentibus tribuuntur, et in *extraordinarias* vel *inter praesentes* quae interdum percipiunt canonici ob adsistentiam quibusdam extraordinariis officiis, quibus stricte non tenentur. Postremae vero distributiones, aliae dicuntur *fixae* seu *certae*, si quotannis ex anniversariis aliisque constanter redeuntibus officiaturis proveniant; aliae vero *eventuales* seu *incertae* nuncupantur, si ex peculiari aliquo peragendo servitio forte superveniant, ex gr. ex funerum adsociatione, exequiis, in certis anniversariis, etc.

Pariter, loco distributionum, aliquando instituuntur punctaturae chorales, sub quarum nomine venit pecunia mulctatitia ab absentibus persolvenda, quae correspondet distributionibus ab iisdem absentibus amittendis. Punctaturae vero iisdem fere reguntur legibus ac quotidianae distributiones.

Hisce praehabitis, incipiendo a secunda capituli petitione, ut nempe in posterum canonici a choro absentes a punctaturarum amissione eximantur, ea exaudienda esse videretur, quia, cum chorales distributiones a iure canonico inductae fuissent ut nimirum choro addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent, in casu canonici, quamvis periculum amissionis punctaturae non timeant et hinc absque spe ulteriorum distributionum, regulariter in chorum interveniunt atque augmentum divini cultus pariter, imo maiori sollicitudine curant, prout ipse Episcopus testatur.

Praeterea, vi statutorum capitularium, canonici moraliter ac graviter tenentur, sua onerata conscientia, omnibus functionibus choralibus participare, ita ut prorsus inutile evadit metus amissionis distributionum.

Quibus accedit consuetudo, quae saltem iam a viginti quinque annis viget, quaeque etiam longiorem esse apparet iuxta quod Ordinarius affirmat, nec autem praetereundum est eiusmodi praxim fere tolerari apud omnia alia Capitula eiusdem provinciae, quare aequum videtur eam confirmari quoque favore capituli Parentini.

Aliae autem et quidem maioris momenti habentur rationes quae militant favore canonicorum petitionis; revera in casu licet unus sit canonicus parochus titularis, qui, iuxta iuridicas dispositiones ac constantem praxim, prouti quoque dicendum est de canonico theologo et de poenitentiario, in actu eius ministerii a curis officii distractus distributiones non amittit, plures tamen adesse videntur chorales qui de facto curam habent animarum, quique proinde absentes, sui officii ratione, aequum est ut distributiones, sicut alii de quibus supra diximus, non amittant. Nec demum omittendum est in casu redditus capitulares non esse valde insignes, nec timeri posse collisio inter canonicos, quare omnibus pensatis petitum indultum concedi posse videtur. Praeterea Ordinarius petit ut huiusmodi facultas eventualiter etiam ad vacationem trium mensium conciliarium benigne extendatur. Fortasse haec specialis facultas in themate necesario non requiritur, cum ea comprehendatur in generali indulto de quo iam locutum est, vi cuius canonici Ecclesiae Parentinae a solutione punctaturarum in genere exemptionem petunt; sed hoc etiam praetermisso, allatae rationes pro huiusmodi quoque dispensatione suffragari possunt.

Expostulat secundo an teneri Capitulum recitatione tempore opportuno psalmorum Gradualium Poenitentialium, ac Officii defunctorum et B. M. V. cuius recitationis obbligatio ablata fuit a Bulla S. Pii V. *Quod a Nobis.*

Tertio petit Episcopus an tolerari possit absentia a choro Hebdomadarii, qui, Missa Conventuali celebrata, a choro se abstinet tempore Primae, Tertiae, Sextae, Nonae et etiam Vesperarum in quadragesima, pro Missae praeparatione et gratiarum actione, et videtur variis de causis hanc absentiam, quatenus moderata sit, iustificandam esse.

Ex adverso plures rationes suadere vindentur non esse concedendam petitam dispensationem; revera distributiones conceduntur solis interessentibus servitio chori, et quidem non ratione tituli; sed in praemium laboris et ratione personalis servitii. Nec adduci potest contraria consuetudo Statutis Capitularibus et auctoritate Episcopi vallata et corroborata, nam eiusmodi consuetudo uti abusus et corruptela potius habenda est, et reprobatur a Concilio Tridentino.

Maius pondus autem habere nequit praxis contraria quae in tota illa provincia invaluit, nam, cum canonici cuiusdam Capituli indulgentiam petiissent fallentiarum ad instar aliarum eiusdem civitatis ecclesiarum, H. S. C. die 18 sept. 1852 rescripsit « *Lectum* ».

Quae autem de aliis anni temporibus dicta sunt, repetenda quoque videntur de conciliari vacatione trium mensium, et pariter non videtur tolerari posse consuetudo percipiendi distri-

butiones a canonico hebdomadario, cum hoc militet contra dispositum Concilii Tridentini, ex quo clarissime patet omnes canonicos ceterosque choro addictos teneri ad integrum officium quotidie statutis horis persolvendum, prout insuper pluries haec ipsa S. C. confirmavit.

Demum quoad alteram Episcopi petitionem, ut benigne nempe condonentur tum fallentiae, tum aliae distributiones extraordinariae hucusque indebite a Capitularibus perceptae, eius votis annuendum esse videtur, cum Episcopus testetur id Capitulares bona fide peregisse, quae bona fides autem omnino fundata erat tum in Capitularibus Statutis, tum in consuetudine iam inolita in tota illa ecclesiastica provincia.

Quibus omnibus consideratis, sueta prudentia, E.mi Patres quaestionem dimiserunt respondentes:

Ad 1um « *Pro gratia sanationis quoad praeteritum iuxta petita* ».

Ad 2um « *Quoad quorumdam Psalmorum et Officiorum recitationem Capitulum non esse inquietandum* ».

Ad 3um « *Quoad reditum hebdomadarii in chorum post Missae celebrationem, consulantur probati auctores.*

Ad 4um « *Capitulum intra sex menses corrigat statuta ad tramitem iuris communis, salva facultate recurrendi pro gratia ad moderationem eorundem pro occurrentibus necessitatibus* ».

*In folio:*

I. BURDIGALEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative ad cautelam* »

II. ARIMINEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

III. MINORICEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

---

3134
5

IV. — PARMEN. — CURAE ANIMARUM.

TERTIO haec causa reproposita fuit iudicio Emorum Patrum S. C. C. iudicum. Quaestio omnino complexa ac intrigata primum acta fuit in Generali Congregatione 5 Sept. 1903, sed cum res valde implexa visa esset, comperendinata fuit eius solutio, exquisito voto cuiusdam ex consultoribus. Reproposita autem die 19 Novembris 1904 ad dubium: « *An Decretum Episcopi Parmensis diei 30 Octobris 1899 substineatur in casu* », Emi Patres respondendum censuerunt: « *Ad mentem,* et mens est, ut salvo « iure patronorum et prioris praepositi actualis, Episcopus utatur « iure suo ad tramitem cap. 7, sess. 7 Conc. Trid. ». Vi huius responsi Episcopus novum existimavit hac in re edere decretum,

quod tamen nec Priori Praeposito, nec patronis eiusque advocatis arrisit; quare iterum in comitiis diei 20 Januarii proxime elapsi habitis quaestio diiudicanda proposita fuit.

Omnino impossibile evadit eius referre relationem praesertim ob spatii deficientiam, nam ipsa facti species tam prolixa est, ut varias occuparet paginas fasciculi. Alia vero ex parte brevitas damnum constitueret caritati, quare opportunius ducimus relationem omittere, attento quoque EE. PP. responso quod ita sonat: « *Servetur solitum* ».

---

2387/4

## V. — PAPIEN. — FUNERUM.

Papiae, initio saeculi xv Confraternitas a Pietate erecta fuit, quae hospitale pro pauperibus infirmis construxit a S. Matthaeo nuncupatum. Vi Brevis Nicolai V, anni 1449 eidem Confraternitati adiudicata sunt ecclesia et bona prioratus S. Matthaei, necnon ecclesia et bona ecclesiae S. Mauritii cum respectivis adnexis aedificiis.

Hospitale pluribus ditatum fuit privilegiis; fruebatur nempe exemptione a parochorum et Ordinarii iurisdictione, proprium habebat coemeterium, nempe ecclesiam S. Matthaei pro Confratribus et pro ***dedicatis,*** seu in ipso inservientibus: pro aliis vero inibi defunctis praesto erat coemeterium contiguum S. Mauritii ecclesiae, cui serius anno 1769 substitutum fuit sepulcretum S. Ioannis. Sacramenta ministrabant et funera peragebant cappellani ab ipsa sodalitate nominati.

Sub fine saec. xviii diruta ecclesia S. Mauritii et ecclesia S. Matthaei ad aulam redacta pro exercitio artis chirurgicae, funera a cappellanis agi coeperunt in ecclesia paroeciali S. Eusebii intra cuius paroeciae ambitum extabat hospitale. Anno 1796 ob politicas perturbationes extincta fuit sodalitas cum suis privilegiis, suffecta in hospitali laica administratione, et ita in celebratione funerum pro defunctis in hospitio successit de facto ecclesiae S. Eusebii parochus. Contra inolescentem consuetudinem an. 1802 protestationem emisit apud Episcopum unus ex parochis civitatis nempe parochus S. Michaelis, sed Episcopus resolvit standum esse consuetudini absque praeiudicio rationum partibus in merito competentium.

Nova paroeciarum circumscriptione inducta anno 1806 ex legibus napoleonicis, ecclesia S. Eusebii unita mansit cum ecclesia S. Francisci et hinc hospitale existere coepit in territorio paroeciae S. Francisci. Decedentium in hospitali funera persolvi coeperunt a parocho S. Francisci in sua ecclesia, et haec consuetudo, paucis exceptis casibus post an. 1806, usque ad praesens perduravit, in quo novissime parochi civitatis reclamarunt contra inditam consuetudinem.

Advertendum est parochus S. Francisci decedentes in hospitali funerare in sua ecclesia nulla persoluta portione canonica parocho proprio decedentium, qui tamen in libro mortuorum suae paroeciae tenebatur eos inscribere post denunciationem ab administratione hospitalis receptam. Si vero ageretur de defunctis absolute pauperibus, horum cadavera directe ad coemeterium publicum ab hospitali deferebantur, nullo persoluto funere a parocho

S. Francisci. Denique quaod defunctos in hospitali, quorum parentes postulassent funus celebrari in paroecia domicilii, eorum cadavera domum defuncti deferebantur et domo a Parocho proprio in propriam ecclesiam ducebatur ubi funus persolvebatur, nulla tributa emolumentorum portione parocho S. Francisci.

Ex hac agendi ratione non semel controversiae exortae sunt inter parochum S. Francisci et alios parochos civitatis, praesertim post editam synodum diocesanam an. 1878 in qua edicitur parochos celebrare posse funera suorum parochianorum quocumque loco obierunt.

Plures oblati sunt recursus ad ordinarios qui semper rem in possessorio tantum definierunt, insolutam relinquentes quaestionem in petitorio.

Tamen hodie in petitorio resolvendam controversiam opportunum duxerunt parochi civitatis contra parochum S. Francisci, quare quaestio ad H. S. C. delata, discussa fuit in generalibus comitiis diei 20 Januarii p. e.

Advocatus a collegio parochorum civitatis Papiensis adlectus primum ius funerandi defunctos hospitalis S. Matthaei ad proprium ipsorum parochum spectare demonstrare nititur tum ex iure communi, tum ex iure particulari iuxta axioma *ubi sepulcrum ibi funus*, et iuxta innumeras doctorum sententias ac costantem praxim. Nec, advertit, contra haec adduci potest consuetudo, quae in casu favore parochi S. Francisci continuatam dici non potest, et dato et non concesso in casu adesse consuetudinem vi cuius parochus S. Francisci omnium funera celebret decedentium in praefato hospitali, eiusmodi esset haec consuetudo quae numquam inducere posset praescriptionem. Nam, prosequitur, ad hoc requireretur non tantum consuetudo continuata et non interrupta, quae ex dictis iam non constat, sed etiam bona fides praescribentis. Iamvero ex historia hodiernae controversiae apparet quod usque ab initio parochi Papienses protestationem contra parochum S. Francisci emiserunt.

Secundam suae orationis partem aggrediens, orator contendit cadavera defunctorum ab hospitali S. Matthaei ad propriam cuiusvis ecclesiam a proprio parocho transferenda esse. Praemittit in casu agi de publico hospitali in quo quisque parochus sacramenta suis parochianis administrare valet; quemadmodum enim consuetudine inductum est ut parochus suis parochianis sacramenta poenitentiae et Eucharistiae in aliena paroecia conferre possit, ita hoc idem praestare potest suis parochianis infirmis in publico hospitali degentibus.

Hisce aliisque rationibus sua thesi corroborata, nec non decisione S. C. C. diei 22 Decembris 1866, colligit advocatus ius elevandi et adsociandi cadavera ad constitutam sepulturam regulariter ad proprium defuncti parochum pertinere, seu ad illum in cuius parochia defunctus. Quocumque iure sepeliendus est, et ratio in eo est, quod parochi iurisdictio non est territorio sed personis parochianorum affixa, ex quo fit ut parochus ius habeat in parochianum suum, quocumque ierit.

Demonstrat tertio iuxta principia iuris canonici nullum competere emolumentum parocho S. Francisci in funeribus alienorum parochianorum in hospitali S. Matthaei decedentium et a parocho proprio explendis, nam eiusmodi emolumenta parocho competunt vel quia in sua paroecia fidelis etiam alienus sepelitur, vel quia etiamsi in aliena sepeliatur paroecia, ille tamen est subditus parochi ratione domicilii, aut quasi-domicilii; quo in casu parochus

ad quartam funerariam ius habet. At in casu, iuxta advocatum neutrum quoad parochum S. Francisci verificatur, cum agatur de alienis infirmis parochianis in publico hospitali S. Matthaei decedentibus, qui in propria paroecia sepeliri debent, quique nullo modo sunt subditi parocho S. Francisci. Eos tamen excipit advocatus qui alibi sepulturam elegerint; nam si in paroecia S. Francisci sepulturam vel funus elegerint, vel alia de causa funerentur a parocho S. Francisci, hoc in casu iuxta patronum, licet emolumenta funeraria ad parochum S. Francisci pertineant, ad parochorum tamen proprium quarta portio canonica spectat.

Ex adverso advocatus parochi S. Francisci primo loco contendit ius funerandi infirmos in hospitali S. Matthaei decedentes ad solum S. Francisci parochum pertinere, quod probat ex quadam Synodi dioecesanae dispositione, quae ita se habet: « Qui « extra paroeciae fines in qua domicilium, vel quasi-domicilium « habet, vita excedit (ita vel defuncto, vel heredibus cupientibus) « in propriam paroeciam, absque funeribus, ideoque nihil parocho, « apud quem mortuus est, soluto, transferri poterit, ibique funus « habebitur. Idque valet pro iis, qui in urbe domicilium habent, et « ruri ferias agunt, pro puerulis qui apud nutrices sunt, adolescen« tulis quid in collegis, et casibus eiusmodi. Attamen si propinqui « defunctum transferendum non reposcunt, nec parochus eius « paroeciae ubi domicilium habebat repetere illum potest; nec « parochus apud quem mortuus est facultate indiget ad funera agenda. Unde arguit patronus in casu consuetudinem extare, a synodo firmatam, vi cuius decedentes extra propriam paroeciam, non a proprio domicilii parocho, sed a parocho loci decessus funerantur, unico excepto casu, quo parentes aliter statuant.

Consuetudine in casu demonstrata, contendi advocatus minime quartam funerariam emolumentorum parocho defuncti proprio spectare posse. Ipsi enim parochi adversarii saltem tacite fatentur nunquam a parocho S. Francisci quartam funerariam pro infirmis in hospitali defunctis atque in ecclesia S. Francisci funeratis recepisse, quod ipse Episcopus confirmat. Et ius quartae funerariae subiicitur praescriptioni, et in casu quarta funeraria praescripta praesumitur, imo censenda est a contraria consuetudine.

Concedit autem patronus parochi S. Francisci ius funerandi infirmos in hospitali S. Matthaei decedentes, posita defuncti vel parentum voluntate in propria ipsorum paroecia sepeliendi, competere parocho defuncti proprio seu parochis civitatis Papiensis; deinde ostendere satagit cadavera in hospitali decedentium, poscentibus parentibus iusta funebria in propria paroecia fieri, prius privatim asportanda esse ad priopriam domum, ut ab hac a proprio parocho comitentur, numquam vero funebrem associationem ab ipso hospitali incipiendam esse.

Demum contendit orator quod casu contingente, quo associatio funeris ex parentum voluntate, a parocho proprio incipienda sit ab hospitali non autem e domo defuncti, Praepositus S. Francisci ius habeat in tali funeris ductione interessendi usque ad ianuam ecclesiae parochialis defuncti et quartam funebrem percipiendi inxta iuris communis praescriptum. Parochus vero dictae ecclesiae funera persolvit non *titulo domicilii* sed *titulo electionis funerum* ex parte parentum.

Quapropter concludit advocatus parochi S. Francisci expo-

stulans ut infrascripta dubia dimittantur responso: Servetur decretum Episcopi 9 Junii 1903.

Singulis argumentis, quae brevissime tantum innuimus, consideratis atque sedulo perpensis ad dubia:

I. « *An parocho S. Francisci civitatis Papiensis ius competat funerandi eos qui decedunt in hospitali S. Matthaei vel potius tale ius competat proprio defuncti parocho in casu* ».

Quatenus affirmative ad 1am partem et negative ad 2 m.

II. « *An proprio defuncti parocho spectet quarta funeraria in casu* ».

III. « *An ius funerandi competat parocho defuncti proprio saltem in casu quo defunctus vel eius familia id deposcant* ».

Et quatenus affirmative ad 3um.

IV. « *An funebris associatio ab ipso hospitali incipienda sit in casu* ».

Et quatenus affirmative ad 4um.

V. « *An et quaenam iura ac emolumenta competant parocho S. Francisci in casu* ».

VI. « *An eadem iura vigere debeant etiam pro parocho S. Theodori relate ad alienae paroeciae subditos in domo salutis decedentes in casu* »

respondere putarunt Emi Patres:

« *Attentis omnibus servetur decretum Episcopi diei 9 Junii 1903 et ad mentem....* ».

---

1949
4

## VI. — ACHERUNTINA ET ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI PAROECIALIS.

PRAEGENS causa quae inter Acheruntinum Archiepiscopum et Ordinem Minorum S. Francisci agitatur, proposita primum fuit in generalibus comitiis diei 26 Augusti mox elapsi anni sub rogandi formula « *An paroecia S. Mariae loci Banzi censenda sit regularis ita ut religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem in casu* ». Emis Patribus respondere placuit « *Ad mentem* ». quam cum cognoscere non potuerimus, relationem quaestionis omisimus.

Obtento a parte succumbente nempe ab Archiepiscopo, beneficio novae audientiae, denuo proposita fuit quaestio, et Emi Patres praecedentem reformarunt sententiam, cum ad dubium:

« *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* ».

responderit:

« *Ex deductis non satis constare de natura regulari paroeciae* ».

---

1837
4

## VII. — LAUDEN. — DIVISIONIS QUOTAE FUNERARIAE.

DIE 7 Julii 1860 coram H. S. C. proposita fuit quaestio inter canonicos ecclesiae Cathedralis Laudensis et eius Archipresbyterum tum super cura habituali animarum, quam hic impugnabat residere apud capitulum, tum super pertinentia reliquiarum cerae in funeribus quibus Capitulum collegialiter intererat.

Propositis tunc dubiis, I. *An cura habitualis parochialis et cathedralis ecclesiae Laudensis sit penes Capitulum in casu.* II. *An et ad quem spectant candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus, quibus Capitulum collegialiter interest in casu;* prodiit sequens resolutio: ad I^um^ *affirmative;* ad II^um^ *affirmative favore capituli iuxta modum ab Episcopo de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus.*

Ab hac decisione appellavit Archipresbyter tunc temporis, sed beneficium novae audientiae ei denegatum fuit. Interea Episcopus die 18 Septembris eiusdem anni executionem commissi mandati explens, decretum edidit in quo normas concinnavit quoad rationem decisionis servandam in posterum in reliquiis cerae in funeribus capitularibus. Eiusmodi decretum partibus communicatum fuit, postquam Episcopus incassum et non semel institerat apud Archipresbyterum vel pro consenso habendo, vel sin minus pro observationibus in contrarium. At huic communicationi Archipresbyter non acquievit, sed potius adlaboravit ut nova fieret compositio: et reapse sub die 22 Octobris anni 1861 subiectum fuit Capitulo novum transactionis schema a duobur canonicis et ab Archipresbytero redactum, quod prius Capitulum adprobavit, et deinde ab ipso Episcopo ratum habitum fuit, uti constat ex verbali sessionis Capitularis diei 3 Novembris eiusdem anni.

Quo vero conventio firmius consisteret approbatione etiam civilis auctoritatis communita fuit, uti liquet ex regio decreto gubernii italici diei 9 Maii 1862. Anno vero 1881 ex decreto Episcopi Gelmini iterum praecepta fuit observantia primae statutae regulae diei 18 Septembris 1860; at idem Episcopus re melius detecta ex recursu Archipresbyteri, conventionem anni 1861 in vigorem revocavit die 16 Martii 1883.

Denique sub actuali episcopo, qui antistiti Gelmini successit, quum Capitulum an. 1896, ipso Archipresbytero non dissentiente, exposuisset conventionem anni 1861 nullam esse utpote contrariam resolutioni S. C. et subsecuto decreto Episcopali diei 18 Septembris anni 1860, Episcopus diei 1 Februarii 1896 iussit hoc decretum confirmari et executioni mandari et insuper Capitularibus statutis adiici.

Verum occasione cuiusdam exortae controversiae circa interpretationem quorundam verborum in primo articulo decreti an. 1860, cum examinatis melius actis causae Episcopus putasset, rationem divisionis reliquiarum cerae in ipso propositam, non apprime respondere editae resolutioni H. C. C. sub die 7 Julii 1860, novum decretum mense Februario 1904 tulit, quo iubebatur standum esse conventioni diei 22 Octobris 1862.

Contra praefatum decretum Capitulum apud Episcopum querelas movit, et deinde declaravit se appellationem apud S. Sedem interponere, prout reapse appellavit.

Inter partium patronos duo concordata sunt dubia, unum circa quaestionem incidentalem, an nempe de legitima constet appellatione, et alterum super meritum praefati decreti. Verum cum super primo dubio Episcopus declaret se nullam exceptionem ponere velle, et Archipresbyteri patronus de eo in sua allegatione taceat, de secundo tantum discussum ac iudicatum est. Patronus Archipresbyteri et consequenter etiam Episcopi cuius decretum defendit, revocato responso H. S. C. anni 1860, deducit ab hoc fuisse praescriptas conditiones in modo statuendo ab Episcopo:

primo ut Archipresbyter qua parochus non excluderetur a parvi lucri partecipatione, secundo ut compositio fieret de partium consensu. Atqui Episcopus tunc temporis delegatus ad modum redigendum eas conditiones non servavit in decreto diei 18 Septembris 1860. Variis argumentis thesi demonstrata, qua substinet Episcopum eas conditiones non observasse, concludit praefatum decretum nullitate laborare, cum delegatus excesserit fines mandati, quare standum est subsecutae conventioni anni 1861 in qua servatae fuerunt indicatae conditiones, cum inibi et utriusque partis consensus intercesserit et aequitas iuxta S. C. mentem servata fuerit, tribuendo Archipresbytero pro dimidia parte reliquias cerae, qui uti parochus maius in ea ius habet.

Insuper haec conventio ab Episcopo adprobata et regia sanctione munita, vallata invenitur observantia fere usque ad praesens. Utique Capitulum eius iugum excutere tentavit sub Episcopo Gelmini, sed hic eam ratam habuit, et etiam ex eo comprobatur eiusmodi observantia quod Capitulum per 40 annos et ultra nullam super initae conventionis valorem litem seu causam intentaverit.

Variis autem dilutis difficultatibus quas forte ab adversariis obiici possunt, prosequitur orator manifesto erumpere non priori decreto anni 1860 standum esse sed potius subsecutae transactioni anni 1861, ex quo facile deducitur decretum actualis Episcopi, 13 Februarii 1904, confirmandum esse, quo praecitatae conventionis observantia praecipitur et praecedens decretum deletur quo in errorem a Capitulo inductus iusserat servari decretum anni 1860.

Ex adverso, Capituli patronus, praemisso et probato quod in themate constet de legitima appellatione, contendit Episcopale decretum diei 13 Februarii 1904 infirmandum esse.

Demonstrat ob plurima motiva substineri non posse partem praeliminarem eiusdem decreti, quare, prosequitur, ex hac quidem ratione, ipsum decretum fere suo destituitur fundamento, et ergo infirmandum est.

Praeterea, quo magis elucescat quam damnosa sit transactio, subiicit disparitatem quae intercedit inter redditus singulorum canonicorum, et redditum praebendae Archipresbyteralis, concludens demum ut auctoritate H. S. C. decretum diei 13 Februarii revocetur.

Hisce utrinque adductis sedulo perpensis, et aequa lancie libratis. Emi Patres ad dubium:

« *An substineatur decretum Episcopi Laudensis diei 13 Februarii 1904 tum quoad primam, tum quoad secundam partem in casu* »,

responderunt:

« *Affirmative in omnibus* ».

# SS. RITUUM CONGREGATIO

## I. — ORDINIS MINOR. S. FR. CAPUCCINOR. IN GALLIA.

**In Gallia religiosi dispersi non tenentur festo sancti titularis Ecclesiae conventus celebrando neque illius commemorationi agendae in suffragiis.**

FERME omnes Ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae et Conventus religiosis vacant. In manus sic dicti *Liquidatoris* transierunt Ecclesiae et Conventus, in locis ubi erant Conventus remanserunt religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit:

« Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur officium titularis Ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrari sub ritu duplicis primae classis cum octava, et in suffragiis Sanctorum commemorationem praefati titularis peragere? »

*Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Negative; sed unice tenentur ad officium et suffragium de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis quatenus ex Rubrica vel Indulto Apostolico habeantur: uti in Decreto N. 3210* Ordinis Minorum *3 Julii 1869.*

Atque ita rescripsit. Die 9 Septembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**I. — Indulgentia adnectitur orationi ad S. Ioseph pro sanctificatione festorum.**

PREGHIERA.

GLORIOSISSIMO Patriarca S. Giuseppe, impetrate, vi supplichiamo, da nostro Signor Gesù Cristo, copiosissime benedizioni sopra tutti i santificatori del giorno festivo; e fate che i profanatori, mentre sono in tempo, conoscano il grande male che commettono ed i castighi che si attirano nella vita presente e nella futura e prontamente si convertano.

O fedelissimo S. Giuseppe, voi che nel giorno del Signore cessavate da ogni lavoro nella vostra officina, ed in compagnia di Gesù e di Maria con divozione vivissima adempivate i doveri religiosi, benedite la pia Opera della santificazione delle Feste, eretta sotto il vostro potente patrocinio; fatela dilatare in ogni casa, negozio, laboratorio, affinchè venga presto il giorno nel quale tutto il popolo cristiano, nei giorni festivi, si astenga da ogni lavoro proibito, attenda seriamente alla salvezza dell'anima sua e dia gloria a Dio che vive e regna in tutti i secoli dei secoli. Così sia.

*Ex Audientia SS.mi, die 30 Maii 1905.*

SS.mus D. N. Pius PP. X, auditis expositis, omnibus Christifidelibus praefatam precem corde saltem contrito recitantibus quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem., etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulg. Sacrisq. Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.
Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 1 Dec. 1905.

*Pro Secretario*

L. ✠ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus*.

---

**II. — Indulgentia pro iaculatoria prece " Maria speranza nostra, etc. "**

*Maria speranza nostra,*
*Abbi di noi pietà.*

A tutti che reciteranno questa giaculatoria concediamo l'indulgenza di trecento giorni.

Li 3 Gennaio 1905.

PIVS PP. X.

Praesentis Rescripti documentum a Sanctitate Sua manu Propria exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 8 Ian. 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, *Archiep. Laodicen.*, *Secr.*

---

**III. — Indulgentia pro iaculatoria " Domina nostra SS. Sacramenti. "**

Cunctis qui coram SS.mo Sacramento publicae adorationi exposito recitaverint hanc iaculatoriam: *Domina nostra SS.mi Sacramenti, ora pro nobis,* indulgentiam tercentorum dierum concedimus.

Die 30 mensis Decembris a. 1905.

PIVS PP. X.

Praesentis Rescripti documentum a Sanctitate Sua manu Propria exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 10 Ian. 1906.

L. ✠ S. D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secr.*

---

**IV. — Indulgentia pro oratione " Beati mortui, etc. "**

*Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

*O mi Deus, moriendum mihi est certo, sed nescio quando quomodo, ubi moriar; hoc unum scio, me in aeternum periturum, si in peccato lethali expirem.*

*Beatissima Virgo Maria Mater Dei Sancta, ora pro me peccatore, nunc et in hora mortis meae. Amen.*

SS.mus D. N. Pius PP. X in Audientia die 24 Decembris 1905 ab infrascripto Episcopo oratore habita istam precationem corde contrito recitantibus indulgentiam 300 (tercentorum) dierum toties quoties lucrandam concedere dignatus est.

† GUSTAVUS CAROLUS MAJLÁTH, *Episcopus Transylvaniae.*

Praesens Rescriptum exibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 12 Ianuarii 1906.

L. ✠ S. † DIOMEDES PANICI, *Archiep. Laodicen., Secr.*

---

**V. — Indulgentia pro quadam oratione Sanctissimae Virgini Dolorosae.**

*Beatissimo Padre,*

Il Comitato internazionale del solenne omaggio a Gesù Cristo Redentore e al suo Augusto Vicario, prostrato ai piedi del Vostro trono, implora umilmente la grazia che ai fedeli, i quali con cuore almeno contrito e devotamente reciteranno la seguente preghiera alla B. V. Addolorata in qualunque lingua tradotta, sia concessa indulgenza di 200 giorni, una volta al giorno, applicabile ancora alle anime sante del purgatorio.

SANCTISSIMAE VIRGINI DOLOROSAE.

*O Virgo et Mater Sanctissima, cuius animam in divini Filii tui passione doloris gladius pertransivit, et quae in gloriosa eius resurrectione perennem triumphantis laetitiam percepisti; intercede nobis supplicibus tuis, ita sanctae Ecclesiae adversita-*

*tibus summique Pontificis doloribus consociari, ut optatis etiam consolationibus laetificari cum ipsis mereamur, in caritate et pace eiusdem Christi Domini nostri. Amen.*

Ai fedeli, che reciteranno devotamente e con cuore almeno contrito, questa preghiera tradotta in qualunque lingua, concediamo per una volta al giorno l'indulgenza di duecento giorni applicabile anche alle anime sante del Purgatorio.

Li 25 Gennaio 1906.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 3 Februarii 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, *Archiep. Laodicen., Secr.*

---

**VI. — Conceditur indulgentia recitantibus iaculatoriam precem Nostrae Dominae Liberatrici captivorum.**

*Très Saint Père,*

Humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, Léon Livignac, Evêque titulaire de Pacando et Supérieur Général de la Société des Missionnaires d'Afrique (Pères-Blancs), Vous supplie instamment de vouloir bien enrichir de quelque indulgence l'invocation suivante: *Notre Dame Libératrice des esclaves, priez pour nous.* Et cela afin d'obtenir de Dieu, par l'intercession de la Très Sainte Vierge, que les pauvres esclaves de l'Afrique soient délivrés de l'esclavage du corps, et surtout du péché. Que Dieu, etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, omnibus ex utroque sexu Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote praefatam iaculatoriam precem recitaverint, indulgentiam biscentum dierum, semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria S. C. eiusdem, die 31 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

*Pro Secretario*

L. ✠ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

---

# S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

## I. — Conceduntur speciales facultates missionariis emigrationis.

*Beatissimo Padre,*

GIAN GIACOMO COCCOLO, Direttore dei Missionarii di emigrazione, prostrato al bacio del s. piede, implora per i Missionarii che accompagnano gli emigranti in America, le seguenti facoltà:

1° di celebrare la messa nella nave;

2° di ricevere le confessioni ed assolvere dai casi riservati purchè i detti Missionarii sieno approvati per la confessione;

3° di unire in matrimonio, in caso di estrema necessità, alla presenza di due testimoni, e con condizione che consti, almeno col giuramento suppletorio, lo stato libero dei contraenti, e si faccia avere al parroco di origine e alla Curia del luogo, dove prenderanno domicilio, l'attestato del seguìto contratto matrimoniale;

4° di battezzare e di predicare.

Che della grazia ecc.

*Ex Audientia SS.mi, die 10 februarii 1906.*

SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, praedictas facultates benigne concedere dignatus est ad triennium proximum, servatis servandis et durante itinere. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die, mense et anno ut supra.

L. † S. † PETRUS, Archiep. Caesarien. *Secretarius.*

## II. — VICARIATUS APOSTOLICI DE TARAPACÀ.

### Expungitur de numero festorum de praecepto festum S. Josephi Sponsi B. M. V.

EX AUDIENTIA SS.MI, DIE 20 FEBRUARII 1906.

Ex parte R. P. D. Ioannis Carter, episcopi tit. Anthedonen. hodierni Vicarii apostolici de *Tarapacà,* in Repubblica Chilena, ositum est Sanctae Sedi in territorio eiusdem Vicariatus, variis gravibusque de causis, impossibilem esse praeceptivam ce-

lebrationem festi S. Iosephi Sponsi B. M. V., die 19 martii recurrentis, atque ideo ad evitanda spiritualia damna animorumque anxietates submisse supplicatum est, ut praedictum festum expungatur de numero eorum quae de praecepto servari debent. Itaque, SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. X, referente me infrascripto sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, re mature perpensa, et attentis peculiaribus rerum adiunctis animum suum moventibus, preces excipiens, fideles in praedicto territorio degentes ab obligatione audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, pro ea die solvere dignatus est, firma tamen remanente lege Missae et Officii proprii iuxta rubricas et onere parochorum applicandi pro populo. Ut vero fidelis populus eiusdem Vicariatus coeleste Sancti Confessoris patrocinium persentiat, praedictam diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem coelestis Patroni agere ne recusent, et in proxima sequenti Dominica non impedita, videlicet quae non sit Dominica Palmarum et Paschatis Resurrectionis, solemnia religiose peragere.

Super quibus idem SS.mus Dominus mandavit hoc edi Decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die, mense et anno ut supra.

L. † S.

† PETRUS, Archiep. Caesarien., *Secretarius.*

---

## VICARIATUS URBIS

**I. — Normae pro examinibus ad Ordines apud Vicariatum Urbis iusta Motu Proprio diei 16 Iulii 1905.**

1. Per essere ammesso all'esame *ad Ordines*, ogni candidato dovrà fare apposita istanza, da depositarsi nella Segreteria del Vicariato, dove s'indicherà a ciascuno il giorno del suo esame.

2. L'esaminando, nella sua istanza pel suddiaconato o per un altro ordine maggiore, indicherà il trattato o i trattati teologici su i quali vuole essere esaminato, e aggiungerà nella medesima istanza l'indicazione del giorno nel quale subì gli esami pel Suddiaconato, se egli aspira al Diaconato, o dei giorni ne' quali subì

gli esami pel Suddiaconato e pel Diaconato, se aspira al Presbiterato.

3. L'elenco dei trattati fra i quali l'esaminando è libero di scegliere, è quello qui sotto riportato (*). A ciascun trattato si fa seguire la serie delle tesi o punti dottrinali, sui quali verserà l'esame.

4. Per la prima tonsura, o per ciascuno degli Ordini minori, l'esame non durerà più di 10 minuti; pel Suddiaconato non più di 20; pel Diaconato non più di 30; pel Presbiterato non più di 40.

5. Gli aspiranti agli Ordini, minori o maggiori, che si presentassero all'esame senza la tonsura ben visibile, non saranno esaminati.

6. Questo regolamento andrà in vigore col 1° del prossimo novembre.

Roma, dalla Nostra Residenza, 1° agosto 1905.

PIETRO Card. Vicario.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

(*) *Elenchus Tractatuum Theologiae pro examinibus ad Ordines.*

I. — *De vera religione.*

1. Quid religio — 2. religio naturalis — 3. religio super naturalis seu revelata — 4. revelatae religionis necessitas — 5. revelationis duplex obiectum — 6. Jesu Christi divina missio — 7. quae ipsius probatur doctrina — 8. miraculis — 9. resurrectione.

II. — *De Ecclesia Christi, et de Romano Pontifice.*

1. Quid Ecclesia — 2. eius institutio et existentia — 3. perfectio — 4. proprietates — 5. notae — 6. membra — 7. anima — 8. corpus — 9. caput — 10. capitis praerogativa duplex — 11. duplex primatus extensio — 12. duplex infallibilitatis objectum — 13. infallibilitatis conditiones — 14. concilia.

III. — *De Divina Traditione et Scriptura.*

1. Quid traditio — 2. eius divisiones — 3. quibus mediis dignoscatur et servetur — 4. traditio activa et passiva — 5. evolvi non augeri traditio potest — 6. quid Scriptura — 7. quid inspiratio — 8. Scripturae auctor Deus — 9. librorum canon — 10. Scripturae partes protocanonicae et deuterocanonicae — 11. canon tridentinus — 12. Vulgatae authentia — 13. multiplex Scripturam inter ac traditionem differentia.

IV. — *De Deo Uno.*

1. Existentia Dei, eius demonstrabilitas ac demonstratio — 2. demonstraionum genera — 3. Dei perfectiones; unitas — 4. infinitas — 5. simplicitas — 6. immensitas — 7. aeternitas — 8. omnipotentia — 9. scientia Dei; eius obiectum — 10. medium — 11. Voluntas divina; eius necessitas ac libertas — 12. Voluntas Dei antecedens et consequens — 13. providentia — 14. praedestinatio.

V. — *De Deo Trino.*

1. Quid Trinitatis mysterium — 2. in Deo natura, processiones, personae, relationes, notiones — 3. Verbi processio, ac divinitas — 4. processio Verbi generatio est — 5. Spiritus Sancti processio ac divinitas — 6. processio Spiritus Sancti a Patre et Filio — 7. De additione vocabuli *Filioque* in symbolo fidei — 8. Spiritus Sanctus procedit in aequalitatem divinae naturae, non tamen ut Filius — 9. Trinitatis mysterium naturali rationi impervium — 10. De haeresibus contra Trinitatem.

VI. — *De Deo creante et elevante.*

1. Quid creatio — 2. creationis factum ostenditur — 3. libertas creationis, huius propositionis certitudo — 4. dies creationis — 5. hominis creatio — 6. angelorum creatio — 7. varii humanae naturae status, naturae purae, integrae, lapsae, reparatae — 8. Dona supernaturalia ac praeternaturalia — 9. peccatum primi hominis — 10. originalis culpae propagatio — 11. immaculata Beatae Mariae Virginis conceptio.

VII. — *De Verbo Incarnato.*

1. Quid incarnatio — 2. cuius generis unio — 3. finis eius — 4. Christi voluntas — 5. operatio - - 6. meritum — 7. cultus latriae humanitati Christi exhibendus — 8. Divina Beatae Mariae Virginis maternitas — 9. quibus modis fuerit negatum mysterium incarnationis.

VIII. — *De gratia Christi.*

1. Quid gratia — 2. gratiae divisiones — 3. necessitas — 4. efficacia — 5. meritum — 6. meriti obiectum — 7. quae cum gratia connectantur.

IX. — *De sacramentis in genere.*

1. Quid sacramentum — 2. veteris ac novae legis sacramenta, atque inter ea discrimen — 3. sacramentorum novae legis numerus et divisiones — 4. materia et forma — 5. minister, eiusque fides, probitas, intentio — 6. necessitas 7. efficacia — 8. efficaciae modus — 9. character — 10. duplicem gratiam producunt sacramenta novae legis — 11. tria in eis sunt.

IX-BIS (1). — *De baptismo, de confirmatione, de extrema unctione.*

1. Quid baptismus — 2. eius institutio, materia et forma — 3. minister ac subiectum — 4. species — 5. effectus — 6. necessitas, ac reviviscentia — 7. quid confirmatio — 8. eius institutio, materia et forma — 9. minister, et subiectum — 10. effectus — 11. necessitas — 12. quid extrema unctio — 13. eius institutio, materia et forma — 14. minister et subiectum — 15. effectus — 16. necessitas — 17. iteratio.

X. — *De sacramento poenitentiae.*

1. Quid sacramentum poenitentiae — 2. eius institutio — 3. materia — 4. forma — 5. minister, et subiectum — 6. necessitas — 7. effectus — 8. num poenitentiae sacramentum possit esse informe.

XI. — *De sacramento matrimonii.*

1. Quid sacramentum matrimonii — 2. eius institutio — 3. minister et subiectum — 4. unitas — 5. indissolubilitas — 6. iteratio — 7. impedimenta,

(1) Iste numerus geminatur. Hinc ex IX et ex IX *bis* theologica tractatione, quam exponat, priorem vel alteram eligere integrum est candidato; non autem, in diversis etiam examinibus, utramque, quasi duas.

eorumque divisiones — 8. matrimonium ratum quando solubile — 9. privilegium paulinum, eiusque conditiones — 10. matrimonium clandestinum — 11. civile

XII. — *De novissimis.*

1. Mors, et iudicium particulare — 2. visio beatifica eiusque duratio — 3. eius collatio — 4. inaequalitas — 5. Beatorum impeccabilitas — 6. dotes, et aureolae — 7. inferni existentia — 8. poenae — 9. ignis. — 10. aeternitas — 11. purgatorii existentia — 12. poenae, earumque duratio — 13. animae in purgatorio detentae viventium suffragiis atque indulgentiis iuvantur — 14. puerorum sine baptismo decedentium conditio.

---

## II. — Normae pro examinibus Concionatorum Urbis.

Art. I. Gli esami, per ottenere la facoltà di predicare avranno luogo nel palazzo della Nostra Residenza ogni giovedì dal Novembre a tutto Giugno nelle ore della mattina dalle 9 alle 12 e nel pomeriggio due ore prima dell'*Ave Maria.*

Art. II. L'esame consterà di tre parti, cioè: 1° nozioni fondamentali di Sacra Eloquenza, secondo il sommario che si pubblica qui unito; 2° cultura generale teologica, così dommatica come morale, parimenti secondo il sommario che si aggiunge; 3° esercitazione pratica che potrà consistere: *a*) in una spiegazione catechistica sopra un brano del Catechismo *ad parochos; b*) in una omelia sopra un brano del Santo Vangelo; *c*) in un discorso sopra un tema religioso e morale.

Art. III. Dall'esame sulla seconda parte del programma sono dispensati quelli che hanno conseguito la laurea in S. Teologia.

Art. IV. Per ottenere poi la dispensa da tutto l'esame, si presentino alla Segreteria del Vicariato quei titoli che ciascuno crede sufficienti e dei quali Noi ci riserviamo di giudicare.

*Roma dalla Nostra Residenza, 31 Ottobre 1905.*

PIETRO, *Card. Vicario.*

L. ✠ S. FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

### *Sommario per l'esame di cultura generale teologica.*

La Fede e le prove della sua credibilità, preteso dissidio tra la ragione e la fede. - Possibilità dei miracoli. - L'ateismo nella legislazione civile e nella scuola. - Necessità del culto esterno. - Ispirazione divina delle Sacre Scritture e loro uso. - Tradizione divina; valore e uso dell'autorità dei Padri e dei Dottori. - Unità della persona e distinzione delle nature in Gesù Cristo ed effi-

cacia della Redenzione. - Natura, eccellenza e necessità della grazia. - Istituzione divina dei Sacramenti. - La transustanziazione. - La Santa Messa è vero sacrificio salutare par i vivi e per i morti. - La confessione auriculare è necessaria per il perdono dei peccati commessi dopo il Battesimo ed è stata sempre in uso nella Chiesa. - Le indulgenze. - Essenza e specie diverse del peccato e condizioni richieste a peccare mortalmente. - Occasioni del peccato e obbligo di fuggirle. - Obblighi di giustizia e obblighi di carità verso il prossimo. - Diritto di proprietà. - La restituzione dell'onore e della roba. - In che consiste l'essenza del Matrimonio fra cristiani. - La Chiesa Cattolica Romana è la sola vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo. - Primato di universale giurisdizione ed infallibilità dottrinale. - Diritto del Papa di dirigere il pensiero e l'azione dei cattolici nelle questioni sociali. - Libertà di coscienza. - Libertà di stampa. - Tolleranza civile e religiosa. - Diritto di associazione. - I precetti della Chiesa. - Le censure. - Preghiere e culto dei Santi. - Il Purgatorio. - L'inferno e l'eternità delle pene.

*Sommario per l'esame di nozioni fondamentali di S. Eloquenza.*

Natura propria, fine, mezzi, fonti dell'eloquenza sacra e come differisca dalla profana. - Qualità richieste nel predicatore per le leggi divine ed ecclesiastiche, la sublimità del ministero, il frutto delle anime. - Differenti specie di predicazione e modi proprii di ciascuna. - Difetti principali da evitarsi nella scelta dei temi, nel modo di esporli, nella forma del dire, nella recitazione, nel contegno del predicatore. - Se e come possono trattarsi questioni politiche dal sacro oratore. - Quali questioni scientifiche o scolastiche possono trovar luogo in un discorso sacro. - Quali caratteri devono presentare i fatti che si vogliono narrare al popolo.

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

## Qua ratione admissi in confessionibus accipiendis errores corrigantur.

Quum sacerdos confessionis minister « fidelis mysteriorum Dei dispensator » (Paulus ap.) esse debeat, sancte et salutariter hoc sacramentum ministrare debet. Tenetur exinde errata corrigere, eorum, quatenus in culpa, in primis coram Deo ex animo poenitere et ea in poenitentibus, quantum possit, etsi absque culpa admissa, sanare, tum maxime quum sacramentali ministerio ex titulo iustitiae functus fuerit.

Huius officii severitas congruat necesse est: 1) cum erroris culpae, negligentiae, etc. magnitudine; 2) cum errandi ratione utrum « per commissionem » aut « per omissionem »; 3) cum damni amplitudine quod poenitenti aut alii personae forte obvenerit: tum praecipue quum error sacramenti vim, aut poenitentis salutem, aut ius tertii attingat; 4) si denique error corrigi, aut sanari queat. Errores tum in absolutionis efficacia tum in consiliis et monitis (in certa officia - restitutionis etc. - peccare), et, concedente aut invito poenitente, etiam extra confessionis sedem sanandi sunt.

Si error sacramenti vim non vulnerat et absit gravis sacerdotis culpa (ut si ex inadvertentia poenitentem gravi onustum peccato omnino non, aut irrite (saltem non directe) absolverit (ut si non protulit formam, vel a reservatis non subditum absolverit), aut utrum absolverit iure dubitat, et quum errorem sacerdos adverterit, aliqua ratione poenitens est praesens, etsi inter frequentem circumstantem populum non cernatur, subito, etsi iam a confessionis sede abierit, « valide absolvitur post horam a confessione ». Poenitentiae enim sacramentum tribunalis speciem prae se fert, in quo etiam diu post accusationem sententia profertur; maius inde temporis intervallum materiam inter et formam intercedat, quam in ceteris sacramentis, conceditur.

Multis tamen sacerdotibus post plures a confessione dies dilatam absolutionem valere videtur, ius enim et voluntatem poenitens in eam habet. Quum ergo eundem confessionis causa sacerdotem poenitens, per errorem in praecedenti confessione non absolutus, adeat, ut totius vitae peccatorum poeniteat, adhortetur oportet et etiam praecedentis confessionis peccata, quorum sal-

tem obscure reminiscatur, directe, silentio errore tecto, absolvat. Sin autem poenitens ad eundem non revenit sacerdotem et cum eo conveniendi, eumque de praecedenti confessione agere permittentem admonendi nulla detur opportunitas, aut si huiusmodi admonitio, sine gravi sacerdotis pudore, aut etiam sine gravi poenitentis offensione fieri nequeat, Deo tantum se et rem omnem commendare potest. Errorem enim (si, uti posuimus, sine culpa irrepserit) emendare certioremque de eo poenitentem facere, *in se,* ex caritate tantum, indeque absque gravi nominis periculo tenetur. *In se* diximus, si sacerdos iure tantum delegato in confessionum ministerio potitur et certo poenitentem denuo ante mortem confessurum et proinde certo, saltem indirecte, absolutum fore sperare potest. Quum autem confessionum ministerio iure ordinario, uti parochus, fungitur, ex titulo iustitiae tenetur, gravi etiam sui damno obstante, pro viribus sanare et quivis sacerdos confessionis minister sub gravi « etiam cum incommodo suo et dedecore aliquo », quum grave non amplius confitendi ante mortem immineat periculum, suos poenitentes absolutionem nihil valuisse docere tenetur.

Sin autem error gravi sacerdotis culpa contigerit, gravi etiam incommodo tenetur poenitentem, venia petita, de eodem monere. Quia quam semel primum confessionem (etsi tantum ex caritate acceperit, etiam ex muneris vi et quasi ex contractu sacramenta quae valeant, ministrare tenetur. Tum modo non obligaretur si necessariam poenitens colloquendi licentiam non concederet, aut alium iam adiisset pro confessione sacerdotem, aut Eucharistiam accepisset. Hisce enim in casibus sive per indirectam alterius sacerdotis absolutionem, sive per sanctam communionem quam bona fide et saltem attritus acceperit, sanctificante gratia poenitens donatus est.

Si de peccatorum numero et specie sacerdos ex errore non interrogaverit, aut si ex proposito (per commissionem) sibi graviter conscius a necessariis abstinuerit interrogationibus et absque offensione et gravi suo incommodo admonitio admitti possit, poenitentem etiam extra sacramentalem confessionem de errore monere tenetur. Ceteroquin sacerdos tum huiusmodi errorem in confessionum tantum sede, quoad valeat, corrigere debet quum (ex gravi culpa) per omissionem erraverit, ut si neglegenter se gesserit, vel minime de gravium peccatorum numero et specie interrogando, vel de iisdem accusandis non admonendo; confessionis enim integritas ad poenitentem recta pertinet, ad sacer-

dotem vero numerum et speciem eatenus inquirendi officium est quoad necesse sit ut rectam praecipue confessorum et conscientiae conditionis sententiam dicere valeat. Quum iudicialis actio per absolutionem finiatur, sacerdotis ultra interrogandi debitum cessat. Dum tamen poenitens (etiam post absolutionem) in confessionis sede permanet, quum sacramentalis judicii actio adhuc, ut ita dicamus, continuetur, a sacerdote, etiam non petita venia, de integritatis debito docendus est, si autem poenitens iam abierit, erroris - si ex culpa admissi - sacerdos doleat, quum sine poenitentis et sacerdotis verecundia admonitio non sit facilis, nec confessionis integritati proprie quidpiam conferat.

Si sacerdos bona fide a confessionis integritate poenitentem proprie detinuerit, erroris corrigendi, in ipsa tantum confessione, debito obstringitur; verecundia enim quae fere cum admonitione extra confessionem facienda coniungitur, ab erroris corrigendi extra confessionem officio ex levi culpa debito excusat.

Idem denique dicendum quum sacerdos recta et cum gravi culpa poenitentem ab officio speciem et numerum denuntiandi exemerit et admonitio extra confessionem, non sine gravi poenitentis offensione aut sacerdotis incommodo, fieri possit; ea enim ratione qua poenitentem ab integritate grave incommodum liberat, sacerdotem etiam excusat.

Si sacerdotis error restitutionis debitum attingat et sine saltem gravi culpa (ut ex oblivione, aut animi, venia digna, relaxatione) de huiusmodi onere poenitentem non monuerit, ex caritate tantum corrigendus est, ideoque si absque gravi sacerdotis incommodo fieri possit. Ut si idem poenitens denuo eundem adeat pro confessione sacerdotem qui praecedentis confessionis facile corrigendum erratum reminiscatur. Si vero sacerdos valeat, absque culpa intermissam admonitionem, pro viribus suppleat, sed restituendi oneri non tenetur; si autem, quam commode facere possit omissam admonitionem neglegat contra proximi caritatem peccaret, sed ut ipse restituat exinde non obligatur; merum enim sacerdotis silentium, praeter omnino singularia adiuncta, efficax sarciendi damni causa minime habendum est: nisi huiusmodi silentium a restituendi lege recta poenitentem solvi argueretur. Quae tamen coniectura non est translaticio iure facienda, quum silentium ex oblivione, animive remissione, venia digna, fere semper oriatur; et si etiam ex culpa, necessario tamen, ut restituendi debitum solvat, non tendit.

Si sacerdos ex gravi culpa poenitentem resarciendi legis non admonuerit, praeter poenitentiae debitum, quia in caritatem peccaverit, aut in proxima confessione, aut (per quam raro) quum poenitentem petendam licentiam (non quidem aegre) daturum provideatur, extra confessionem intermissionem supplere tenetur etiam cum maiori suo incommodo.

Si sacerdos admonitionem facere non potest, aut dum possit, non velit, restituendi officio non tenetur; etsi enim, novissimo casu, peccet, « deest tamen positivus influxus in damnum aliorum » et dammi, quod deficiente resarciendi admonitione, tertio obvenire possit, impediendi ex caritate, non ex iustitiae lege sacerdos obligatur.

Si denique sacerdos, sine saltem gravi culpa, per errorem poenitentem a restituendi lege recta absolverit et huiusmodi sententiam errantem serius noverit, severius quam si nihil dixerit, errorem corrigere obligatur, si absque singulari difficultate id fieri possit; malum enim consilium, etsi bona fide datum, revocandum est, nisi qui dederit mali particeps fieri velit.

Si vero falsam sententiam corrigere sacerdos non queat, restituendi debito solvitur, etsi, uti consulens, recta, ut damnum non resarciatur intenderit. In foro enim conscientiae resarciendi officium ex iniusta damnosa actione (hic monito, consilio) tum oritur, quum huiusmodi actio agenti iniusta visa fuerit (culpa theologica); et nemo somniantem aut mente captum quidpiam, quod alteri efficax damni causa videatur, agentem, exinde resarciendi debito obligari dicit; quae utique absurda opinio confessionum ministerium prorsus intollerabile redderet. Si vero conscientiae debitum grave non esset, nullum grave resarciendi onus extaret, « gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet ». Quum vero sacerdos qui initio absque (saltem gravi) culpa per errorem a resarciendi debito absolverit, errorem postea, quum facile possit, non corrigat ex « sententia communiori et veriori » (Lig. VI, 621), si poenitentem resarciendi officio pariturum providerit, resarcire ipse obstringitur. Severius huiusmodi officio obligatur sacerdos quum recta et cum gravi culpa (ex gravi negligentia, incuria, festinatione, levitate, crassa ignorantia, consilii pravitate, hominum metu, mera placendi cupidine) poenitentem a certa resarciendi obbligatione solverit.

# BIBLIOGRAPHIA

**Joseph Antonelli** sac., Naturalium scientiarum doct. ac prof. — ***Medicina Pastoralis in usum Confessariorum et Curiarum ecclesiasticarum.*** — Accedunt « ***Tabulae anatomicae*** » explicativae. — Volumen 1um complectens: 1° Summulam anatomiae et physiologiae humanae; 2° Quaestiones physiologicas de Primo, Quinto et Sexto Decalogi Praecepto; 3° Appendicem de ecclesiastico caelibatu. Vol. 2um complectens quaestiones: 1° de Sacramentis (de Baptismo et Matrimonio); 2° de Praeceptis Ecclesiae (de abstinentia et ieiunio ecclesiastico); 3° De iis, quae referuntur ad aegrotantes, moribundos et mortuos; 4° De processibus conficiendis in causis matrimonialibus de impotentia et matrimonio non consummato.—Editio altera aucta et emendata. — F. Pustet, 1906 — Totum opus L. 20.

Post celerrimam prioris editionis huius operis absumptionem, inutile videtur heic argumenta adiungere, quibus ecclesiastici viri et curiae episcopales inducantur ad idem opus, omnibus numeris absolutum, sibi comparandum.

Sat erit exponere quod paucis mensibus, plusquam mille eiusdem operis copiae absolutae sunt totque sunt usque nunc petitiones, ut necessarium visum sit alteram illico curare editionem. Et clarissimus prof. Antonelli qua par est sollertia et alacritate hanc novam editionem celerrime curavit, plurima in eam inducens additamenta sive ipsum textum ampliando sive tabulas anatomicas, fere quinquaginta novis figuris ditando.

Recolantur heic recensiones de hoc opere magistrali peractae occasione prioris editionis in hac ipsa ephemeride (Volumen 2°, pag. 343) et in pluribus aliis ephemeridibus, uti *Monitore Ecclesiastico* (aprile 1905), *Razon y Fé* (maio 1905), *Revue du Clergé Français* et *España y America* edito a PP. Augustinianis (februario 1905.)

Acceptio maxime benigna huic operi facta a doctis viris est optimum argumentum profunditatis atque exactitudinis scientificae eiusdem, in quo, mirum in modum, splendet luciditas expositionis.

Quo mirifico exitu valde gaudeo cum ipse amicitia utar professoris Antonelli qui mihi fuit varios per annos magister egregius.

Parcat mihi proinde tantus amicus si eidem petitionem facere audeo, ut nempe velit ipse nunc tractationem edere de Morali Theologia cuius *Medicina Pastoralis* dici potest aliqua appendix.

Certus sum enim novum hoc opus, si edatur, acceptissimum fore ecclesiastico quoque viro. Q. D.

# RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Balossi** Sac. Prof. **Giuseppe.** — *Panegirici.* Discorsi, Conferenze **sociali.** — Vol. in-8, 350 pag. **L.** 3 —

**Bolo** Abate **Enrico.** — *Contemplazioni Eucaristiche.* Traduzione italiana condotta sulla 19ª edizione francese da P. MARCELLO CASTELLI. B. Vol. in-8, 227 pag. **L.** 1.50

**Burger P.,** S. J. — Instructions sur la *Perfection chrétienne.* Traduit de l'allemand sur la deuxième édition. — Premier volume, in-8°, de 328 pag. **L.** 3 —

**Cernicchi** Prof. **G.** — Breve compendio di *Psicologia e logica elementare*, ad uso dei Licei d' Italia (1° e 2° corso). — Vol. in-8. **L.** 2.60

**Ciolli. A.** — Commento breve della *Costituzione Leonina,* riguardo ai libri proibiti. — Seconda edizione accresciuta. Vol. in-8, 82 pag. **L.** 1 —

**De Broglie** Abate. — Problemi e conclusioni della *Storia delle Religioni.* Versione dal francese del Dott. A. PIOCHI. — Seconda edizione. Volume in-8, 490 pag. **L.** 2 —

**Galante** Prof. Dr. **A.** — *Fontes Juris Canonici Selecti.* — Vol. in-8°. **L.** 21 —

**Germanus a S. Stanislao.** — *Praelectiones Philosophiae Scholasticae.* tironibus facili methodo instituendis accomodatae. — Volumen III complectens Psycologiam e Theologiam. In-8, 410 pag. **L.** 5 —

**Goyau G.** — *L'Allemagne religieuse.* Le Catholicisme (1800-1848). — Deuxième édition. 2 volumina in 12°. **L.** 7 —

— *Hymnes du Bréviaire Romain,* traduites en vers français par un serviteur de Marie. — Vol. in-8, 430. **L.** 3 —

**Kortleitner F. X.** — *Archaeologiae biblicae summarium.* praelectionibus academicis accommodatum. — Vol. in-8 magno, 412 pag. **L.** 7.50

**Lyszczarczyk V.,** O. F. M. — *Compendium privelegiorum Regularium,* praesertim Ordinis Fratrum Minorum. — Vol. in-8, XVI-254 pag. **L.** 6 —

**Mercier** Mons. **D.** — *Logica.* Prima versione italiana sulla 4ª edizione francese di A. Messina e P. Maccarione. — Vol. in-8, 430 pag. **L.** 4.50

**Mioni** Dott. **Ugo.** *Perchè credo?* Lezioni apologetiche. — Volume in-8, 190 pag. **L.** 1.50

**Perreyve** Abate **Enrico.** — *La giornata dell'ammalato,* con una introduzione del P. PÉTÉTOT; aggiuntivi alcuni cenni sulla vita dell'autore e l'atto dell'accettazione della morte del servo di Dio G. Cafasso. Versione dal francese. — Vol. in-8, 290 pag. **L.** 2 —

**Pesenti** Mons. **Pietro.** — *Discorsi alle figlie di Maria,* nelle loro conferenze mensili. — 2ª edizione. Vol. in-8, XXIV-422 pag. **L.** 3.50

**Piché E.** — *La bonne souffrance du prêtre.* Vol. in-8, 54 pag. **L.** 1.25

**Romero P.** — *Prodromus ad Jus Canonicum Universum,* seu prolegomena Juris Canonici hodiernis academiarum moribus accommodata. Vol. in-8, 330 pag. **L.** 5 —

**Rossignoli** Prof. **Giovanni.** — *La Scienza della Religione,* esposta in compendio ad uso delle scuole e delle famiglie. — Terza edizione migliorata e accresciuta. Vol. in-8, 290 pag. **L.** 2 —

# ACTA PONTIFICIA

## I. — EPISTOLA.

**Dilectum Filium Franciscum Vichehoff, Doctorem Decurialem Instituti Vindobonensis Histriae Austriacae excolendae. — Vindobonam.**

PIUS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Universos illustrare codices, quotquot in bibliothecis Austriae custodiuntur, figuris minioque ornato, id quod ipse curas publice, magnum sane opus est, atque, ut ex editis binis voluminibus apparet, tua et doctorum virorum, qui tecum elaborant, eruditione, dignum. Idem autem Nobis peculiari quondam et proprio nomine videtur commendabile. Primum enim, quae res hic afferuntur, ignorat nemo, ab sedulitate fere et sollertia hominum sacri ordinis profectas esse. Deinde, quum eiusmodi codices, partem longe maximam, in usum sacrorum media aetatis tulerit, natura fiet, ut iste a vobis susceptus labor praecipue ad illuminandam eorum temporum liturgiam Ecclesiae pertineat. Quapropter intelliges, et quam grate habuerimus, quos humaniter Nobis obtulistis muneri, primus industriae vestrae fructus, et quantopere cupiamus, ut bene coepta adducatis ad exitum, favente Deo, feliciter. Testem vero propensae voluntatis Nostrae tibi, dilecte Fili, adiutoribusque tuis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XVIII Decembris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

## II. — EPISTOLA

**Qua Pontifex obsecrat Abbates Benedictinos ad Missionarios adiutores in Brasiliam mittendos.**

DILECTIS FILIIS
ABBATIBUS UNIVERSI ORDINIS BENEDICTINI
PIVS PP. X.

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Dilectus Filius Gerardus van Caloen quam alacri constantique studio iamdiu contendat, ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus bona conciliet, vobis satis superque esse notum pro certo habemus. Ut tamen ea omnia, quae idem dilectus Filius, divino iuvante numine, implenda sibi proposuit, reapse impleantur, unum

deest, ut numerus videlicet operariorum augeatur, qui in messem Domini portent pondus diei et aestus. Quare, charitate Christi permoti et salvandarum animarum desiderio, enixe vos exhortamur imo et obsecramus, ut si quos in monasterio quisque vestrum reperiatis, qui praedictum dilectum Filium Gerardum in Brasiliae oras sequi velint, eique in vinea Domini adlaborare, eos ne prohibeatis, immo hortatione vestra stimuletis et corde magno et animo volenti derelictarum gentium necessitatibus concedatis. Hoc autem confidite, potentem esse Deum abundare facere in vobis, ut monasteria vestra nihil inde capiant detrimenti, sed, contra, numero et virtute floreant. Paternae Nostrae dilectionis testem ac munerum divinorum auspicem, Apostolicam Benedictionem vobis et subiectis cuique monachis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Decembris MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

## III. — LITTERAE APOSTOLICAE

**in forma Brevis, quibus ratio studiorum S. Scripturae in Seminariis Clericorum servanda praecipitur.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus*[1] recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris « Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, « quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum ne« cessitas admonent ». In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utrius-

[1] Cf. *Acta Leonis XIII Pontificis Maximi*. Vol. XIII, pagg. 326-364.

que Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum, emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in caeteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos, exempli causa, interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni, suapte industria, reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione, meminerit: suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos stu debit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua

alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae « Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas « linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab « agiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant « alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus « aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de « ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria » (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit. (1)

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim

(1) Cf. *Acta Pontificia*. Vol. II, pagg. 201-203.

ertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se nterpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici cientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, raeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum ac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et eregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MACCHI.

# SECRETARIA BREVIUM

**Breve quo opus a "Senibus derelictis„ erigitur in archiconfraternitatem.**

## PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ROMANORUM Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, pias sodalitates sodalium frequentia et assidua bonorum operum exercitatione florentes ut potiora capiant, Deo favente, incrementa, peculiaribus honoribus ac privilegiis augere pro re ac tempore satagimus. Harum in numero minime Nos latet iure ac merito accensendam esse piam mulierum societatem quae « a senibus derelictis », appellata canonice Tolosana, in civitate extat erecta, ideoque votis annuentes illius Moderatoris ac Sociarum, Sodalitatem ipsam ad potioris dignitatis gradum evehendam existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, memoratam Societatem « a senibus derelictis » in Tolosa civitate existentem Apostolica Nostra Auctoritate, praesentium vi, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis cum perpetuum in modum erigimus atque instituimus.

Archisodalitatis autem sic erectae Officialibus et Sociis praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque Societates eiusdem nominis atque instituti in dioecesibus quibuscumque existentes, servata forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri rec: me: aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis desuper editis sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Societati modo ad Archisodalitii dignitatem erectae a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite possint ac valeant, Apostolica similiter Nostra Auctoritate, perpetuo concedimus et largimur. Decernentes has Literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II Martii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

ALOIS. Card. MACCHI.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### II. — CLARISSARUM

**Novitiae immediate post novitiatum admitti debent ad professionem votorum simplicium, quae ex parte voventis sunt perpetua.**

*Beatissimo Padre,*

P. Silvestro Scaramucci dell'Ordine dei Frati Minori, confessore ordinario delle monache Clarisse Cappuccine di S. Fiora, diocesi di Città della Pieve, premesso il bacio del S. Piede, espone umilmente alla S. V. la seguente prassi che egli ha trovata nel detto monastero, relativamente alle professioni delle Novizie:

Dopo l'anno del Noviziato, le Novizie hanno sempre fatto fino ad oggi ancora un anno del così detto *Giovanato* prima di fare

voti di qualunque sorta; al termine del quale emettevano i voti semplici temporanei per tre anni. Terminato poi il triennio di questi voti semplici temporanei, erano ammesse alla professione solenne. Tale prassi è stata continuata anche dopo il Decreto della S. Congregazione dei VV. e RR. del 3 maggio 1902 in virtù del quale, prima della professione le monache devono fare i voti semplici *ad triennium,* i quali, per parte della vovente non sono più temporanei, ma perpetui. Per la qual cosa, nel lodato monastero, anche al presente, si trovano alcune giovani con voti semplici fatti non a norma del mentovato Decreto Apostolico, cioè perpetui per parte della vovente, ma secondo l'antica consuetudine del monastero, cioè temporanei.

Ora tali giovani essendo prossime a terminare il triennio dei voti semplici temporanei e dovendosi ammettere alla professione solenne a tranquillità sua e a rimuovere qualsiasi equivoco, supplica la S. V. per la soluzione dei seguenti dubbi:

I. Può tollerarsi l'anno del così detto *Giovanato* dopo quello del Noviziato; oppure, appena terminato il Noviziato, se nulla osta, devonsi ammettere le Novizie alla professione dei voti semplici secondo il tenore del Decreto Apostolico del 3 maggio 1902?

II. Quelle giovani che al presente hanno voti semplici temporanei, secondo l'antica consuetudine, prima di fare la professione solenne è necessario che facciano i voti semplici, a norma ed in esecuzione del citato Decreto Apostolico, oppure è sufficiente il triennio dei voti temporanei fatti secondo l'antica consuetudine?

III. Nel caso negativo alla seconda parte del secondo dubbio, e che cioè il triennio dei voti semplici temporanei non fosse sufficiente, l'oratore implora la dispensa dal citato Decreto del 3 maggio 1902, con la facoltà di ammettere le mentovate giovani alla professione solenne col solo triennio dei voti semplici temporanei, rimanendo troppo gravosa la ripetizione di un altro triennio di voti semplici, nonchè una benigna sanatoria, qualora occorra, per quelle giovani che, dalla data del più volte citato Decreto fino ad oggi, hanno fatto la professione solenne, non osservata la forma e il tenore del Decreto medesimo, essendo ciò avvenuto in buona fede. Che della grazia, ecc.

Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praeposita, re

sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad III. *Provisum in secundo.*

Romae, 4 Decembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

## S. CONGREGATIO CONCILII

**II. — Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. Congregationis de iure resoluta in generalibus comitiis diei 17 Februarii 1906.**

*Per summaria precum:*

I. — WRATISLAVIEN. ET ALIARUM. — MATRIMONIALIS *(reservata).*

R. « *Ad mentem* ».

II. — ROMANA ET ALIARUM. — DUBIUM DE ALIENATIONE.

QUAESITUM nuper fuit « 1° An in alienationibus publicarum versurarum, vulgo *titoli pubblici di credito al portatore* ad entia « ecclesiastica, vel causas pias subiectas ecclesiae tutelae, requiratur apostolicum beneplacitum utpote in alienationibus bonorum immobilium, ac rerum praetiosarum, 2° an idem beneplacitum requiratur in permutatione earundem in alias publicas « versuras vel valores etiam immobiles, 3° an venditores ac emptores subiaceant poenis ecclesiasticis a Conc. Tridentino statutis « cap. II, sess. XXII, ac reform., ab Extrav. « *Ambitiosae* » et Constitutione « *Apostolicae Sedis* ».

Quod ad primum attinet dubium quaestio huc recidit, an nimirum versurae publicae cadant sub dispositione celebris Const. Pauli. II « *Ambitiosae Cupiditati* » qua prohibetur alienare sine beneplacito apostolico bona ecclesiastica *immobilia* et *mobilia praetiosa*. Unanimiter tenent doctores hanc Constitutionem late interpretandam esse, id est favore Ecclesiae, atque ideo nomine bonorum immobilium vel rerum mobilium praetiosarum etiam venire « iura incorporalia et servitutis... Item *nomina debitorum*

obligationes, actiones, etc. » Atqui nomina debitorum sunt privata vel publica, prouti debitor est privata persona, vel publicum institutum aut gubernium. Ergo versurae publicae cadunt sub dispositione Paulinae Constitutionis.

Quod spectat ad alterum dubium conveniunt omnes alienationis nomine venire etiam permutationem, et consequenter patet permutationem titulorum publicorum in alios titulos publicos aut in bona immobilia absque apostolico beneplacito, fieri non posse.

Hisce praehabitis iam plana sese affert tertii dubii solutio: scilicet cum tituli nominales (al portatore) debiti publici eorumque alienationes aut permutationes cadant sub dispositione Extrav. « *Ambitiosae* », quae relata est in Constit. Pii IX. « *Apostolicae sedis* » his verbis: « Excomunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus....... alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam Extravagantis « *Ambitiosae* » *De Reb. Eccl. non alienandis*, facile quisque poterit de poena quae manet huiusmodi alienantes et recipere praesumentes, sese certiorari probatos consulendo auctores

His itaque praemissis, sueta sapientia, Emi Patres, responderunt:

Ad Ium *Affirmative* ».

« Ad IIum *Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis* ».

« *Ad* IIIum *Affirmative quoad poenas in Extravag.* Ambitiosae. *et Const.* Apostolicae Sedis *statutas* ».

---

III. — BERGOMEN. — CIRCA PIA RELICTA FIDUCIARIA (*sub secreto*).

R. « *Juxta mentem* ».

---

2135/5

IV. — ORTHONEN. — ADIUDICATIONIS PROVENTUUM ET SUMMAE.

In civitate Orthonensi unica habetur paroecia cuius cura habibitualis apud Capitulum Cathedrale residet, actualis vero apud unum ex canonicis, qui canonicus parochus nuncupatur. Anti-

quitus parochum iuvabant in paroeciali ministerio uti coadiutores, sex participantes ecclesiae receptitiae appellatae vulgo *del Suffragio*, qui proventus stolae nigrae aequaliter inter se partiendos in cadaverum adsociatione lucrabantur iuxta statuta inter parochum et participantes concordata ac regia etiam approbatione munita a Ferdinando II, anno 1848.

Publicatis an. 1867 legis eversivis proprietatis ecclesiasticae, etiam ecclesia receptitia, vulgo, *del Suffragio*, fisci compilationi subiecta mansit. Apprehensis itaque a gubernio redditibus, illud profecto progressu temporis erat eventurum, ut parocho sensim sine sensu coadiutores in curae animarum exercitio deessent. Ad hoc incommodum avertendum, anno 1882 Archiepiscopus in ecclesia Cathedrali collegium mansionariorum instituit cum obligatione copulativa chori atque auxilii parocho praestandi. Dos vero pro eorum institutione desumpta fuit tum ex legato Amalphitani, tum ex aliis legatis et beneficiis, quae pro hoc collegio inversa sunt. Inspectis Bullis sive fundationis sive collationis mansionariatuum, nulla mentio expressa fit de iure percipiendi proventuum stolae nigrae, quo pollebant participantes ecclesiae receptitiae Suffragii. Tamen iuxta votum Capituli anno 1882 exquisitum circa novam fundationem et forsan etiam quia initio primi mansionarii erant etiam participantes ecclesiae receptitiae, factum est ut mansionarii admitterentur ad perceptionem proventuum stolae nigrae, sicuti antiquitus peragebatur pro participantibus coadiutoribus, et hoc observatum est per 20 annos tum apud praedecessores parochos, tum aliquamdiu apud attualem parochum qui novissime, re melius expensa, dictos proventus mansionariis denegavit.

Anno 1895 extincto ultimo superstite e clero receptitio, parochus obtinere valuit a fisco summam annuam lib. 150 a taxis deputatam, ex qua lib. 50 sibi retinuit, reliqua parte coadiutoribus assignata, pro quibus a fisco concessa fuerat: anno autem 1898 aucta hac summa ad lib. 300 annuas, pariter parochus lib. 100 coadiutoribus tradidit, sibi retentis aliis lib. 200, quia, uti ipse parochus asserit, coadiutoribus adhuc cessa erant incerta stolae nigrae dictae summae aequivalentia. In posterum, cum ex mandato Ordinarii parochus adstrictus fuisset ad ponendum in ecclesia Suffragii sacerdotem substitutum et ad curandum in ea divinum cultum, nihil amplius persolvit ex praefata summa, a gubernio tributa coadiutoribus. Quare mansionarii coadiutores ad Archiepiscopum confugerunt petentes ut redintegrarentur in perceptione obventionum ex stola nigra, ac ut sibi adiudicaretur integra summa

lib. 300 quae a fisco pro coadiutoribus assignata fuerat. Archiepiscopus tunc die 13 Aprilis 1905 decretum edidit, in quo statuit: 1° ut ex praedicta summa a gubernio singulis annis concessa, lib. 100 traderentur substituto parochi in ecclesia Suffragii, traditis vero ceteris 200 libellis aliis mansionariis; 2° ut incerta stolae integre parocho deberentur.

Contra hoc decretum, appellationem mansionarii interposuerunt ad H. S. C., et quaestio ita agitata fuit in congregatione plenaria diei 17 Februarii mox elapsi.

Mansionarii ut primum statuant fructus stolae nigrae ad se pertinere, duo tantum evicenda sibi sufficere aiunt, nempe anno 1882 quando Mansionariorum collegium erectum est, voluisse Capitulum et decrevisse Archiepiscopum stolae proventus eis cedendos esse. Atqui, cum de utroque constet, nonnisi iniuria a parocho actuali eiusmodi fructus denegantur. Et hanc fuisse mentem Capituli eruitur ex eius deliberatione diei 6 Iunii 1882, quae confirmationem quoque obtinuit ab alia novissima ipsius Capituli deliberatione diei 9 Aprilis elapsi anni 1905.

Eamdem vero fuisse mentem Archiepiscopi, clarissime apparet ex facto quod idem Archiepiscopus Capituli votum secutus est, uti patet ex sequentibus verbis Bullae institutionis mansionariatuum diei 1 augusti 1882 « cum de pleno consensu constiterit totius Capituli Orthonensis, adeoque eiusdem nunc temporis canonici curati, et qui eorum interest satis superque prouti ex unanimi eorumdem capitulariter coactorum die 7 Iunii currentis anni deliberatione nobis manifestum fit... ».

Eiusmodim praxim hucusque traditam autem mansionarii dicunt firmari observantia plus quam 20 annorum, quam neque hodiernus parochus denegat, qui emolumenta stolae non secus ac duo praedecessores parochi, ante institutam hanc causam favore mansionariorum dimisit.

Quibusdam repulsis difficultatibus, quae forte a parocho obiici possunt, concludunt mansionarii, ut infirmato Archiepiscopi decreto, redintegrentur in iure percipiendi dictos proventus stolae nigrae. Deinde accedentes ad aliam decreti partem, nempe circa adiudicationem annuae summae 300 libellarum, quam fiscus rependit etiam circa hanc partem decretum revocandum esse contendunt, sive quia ipsi successerunt in onus coadiuvandi parochum participantibus suppressae ecclesiae receptitiae, pro quibus a gubernio assignata fuit illa summa; sive ex quadam aequitate, cum ipsi praeter chorale pensum, in pervasta paroecia plus quam

14000 animarum frequenti subeunt totum onus curae animarum, et vix habent unde honeste vivant.

Ex altera vero parte prae oculis habendum est fructus seu emolumenta stolae nigrae ex iure privative parochis deberi, ex quo consequitur mansionarios ad sibi vindicandos eiusmodi fructus afferre tenentur titulum specialem, prouti essent Bulla fundationis, vel conventio, vel consuetudo. Et in casu nec consuetudo aut praescriptio invocari potest, cum requirantur ad praescribendum contra iura ecclesiae 40 anni, dum in themate inducta praxis vix 20 annos complectitur. In Bulla erectionis autem de iure ad proventus stolae nigrae siletur, nec valent mansionarii recurrere ad transactionem inter ipsos et parochum initam pro cessione eiusmodi proventuum, cum haec conventio non vertebat inter parochum et mansionarios, sed potius coarctata erat ad mansionarios inter se ipsos.

At mansionarii suum ius derivare substinent ex facto quod ipsi substituti sunt participantibus suppressae ecclesiae receptitiae Suffragii in onere coadiuvandi parochum, ita convenit eos succedere in ipsorum iura, seu in perceptionem fructuum stolae nigrae, sed haec thesis, nullo videtur niti fundamento, nam onera et iura collegii mansionariorum determinari debent ad tramitem Bullae fundationis, at in hac Bulla nec vola nec verbum habetur de his proventibus.

Ex quibus omnibus videtur concludi posse nullum ius habere mansionarios ad sibi vindicandos fructus stolae nigrae, proinde in hac parte confirmandum esse Archiepiscopi decretum, et arbitrio ac prudentiae Emorum Patrum determinandum esse utrum peracta ab episcopo designatio summae a fisco elargitae, substineatur in casu.

Et Emi Patres totam resolverunt quaestionem respondentes: « *Decretum Archiepiscopi ad 1um esse confirmandum, ad 2um esse infirmandum* ».

---

*In folio.*

I. — PARISIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII *(sub secreto)*.

R. « *Affirmative* ».

II. — PORTUGALLIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII *(sub secreto)*.

R. « *Affirmative* ».

III. — MECHLINIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII *(sub secreto).*

R. « *Affirmative* ».

IV. — MEXICANA. — NULLITATIS MATRIMONII.

PRAESENS nullitatis causa ob impedimentum affinitatis in primo gradu collaterali ex copula illicita iam proposita fuit in plenario congressu diei 16 Decembris mox elapsi anni sub roganda formula. « An sententia Curiae Mexicanae et Curiae Angelopolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu » et Emi Patres, hac reformata formula in altera « an constet de matrimonii nullitate in casu » responderunt: « Attentis omnibus constare de nullitate matrimonii, facto verbo cum SSmo super sanatione actorum ». Vid. lectores *Acta Pontificia*, vol. IV, currentis anni pagg. 50-51).

Haec quidem acta cum sanare et convalidare SSmus dignatus sit, interposita a vinculi defensore ex officio appellatione iuxta Constitutionem Benedicti XIV *Dei Miseratione,* iterum proposita fuit quaestio. et Emis Patribus ad dubium:

« *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* »,

sequens dare placuit responsum:

« *In decisis* ».

V. — ROSSANEN. — IURISDICTIONIS PAROECIALIS.

R. « *Ad mentem* ».

3947/4

VI. — MEDIOLANEN. — DELIMITATIONIS FINIUM PAROCHIALIUM.

R. « *Dilata* ».

2150/4

VII. —AQUILANA. — IURIS NOMINANDI.

In Metropolitana ecclesia Aquilana duae habentur cappellaniae, sub titulo nempe S. Maximi et S. Catharinae, quae iuripatronatui laicali hucusque subiiciebantur. Patroni laici autem iure pollebant cappellanos nominandi, quorum confirmatio ad Archiepiscopum diocesanum, canonica vero institutio ad capitulum Metropolitanum ex antiqua consuetudine spectabat. At postremis hisce temporibus ius patronatus huiusmodi, extinctis familiis ipsum exercentibus, penitus cessavit.

Quum autem praefatae cappellaniae ob suorum titularium decessum nuper vacassent, Archiepiscopus Aquilanus ius sibi vindicavit nominandi cappellanos, dein a Capitulo instituendos. Obsistere tamen Capitulares, qui dictas Cappellanias liberae ipsorum collationis factas fuisse contendentes, de consensu sui Ordinarii ab Hac S. Congregatione expostularunt ut decerneretur cuinam competeret ius nominandi cappellanos in casu.

Interea H. S. C. ne diutius dictae cappellaniae suis titularibus privarentur, facultatem tribuit Archiepiscopo Aquilano instituendi pro hac vice tantum cappellanos praehabito tamen, Capituli consensu circa sacerdotes in iisdem Cappellaniis instituendos « salvis « iuribus respective tum ipsius Archiepiscopi tum Capituli quoad « nominationem seu provisionem dictorum beneficiatorum, de « quibus videndum in iudicio petitorio ».

Ambigendum non videtur in primis favore Capituli Aquilani ad ipsum dumtaxat spectare et adhuc perdurare ius instituendi cappellanos in dictis beneficiis; quamvis enim proprie non appareat quo titulo iuridico innitatur eiusmodi collationis ius, antiqua tamen extat consuetudo, quae hunc titulum extitisse praesumere facit, et quae coeteroquin ipsamet vice tituli fungi valet.

Ius antiquum revera quo permittebatur etiam clericis Ordinario inferioribus dare institutionem beneficiorum, derogatum non apparet a iure vigenti, et etiamsi huiusmodi institutionis ius inferioribus collatoribus concessum abrogasset Synodus Tridentina, nil prohibet quominus Papa, qui supra canones est, facultatem non habeat eiusmodi indulta largiendi, imo et introduci valeat contraria consuetudo, quae iuxta plures doctores, etiam contra ipsa Conc. Trid. decreta, inolescere potest. Ex privilegio ergo apostolico aut saltem ex legitima consuetudine, Capitulum Aquilanum desumere potest proprium ius in Capellaniis S. Maximi et S. Catharinae conferendis.

Eidem Capitulo ulterius competere videtur ius quoque nominandi capellanos in casu, nam certum est ius patronatus de sui natura individuum esse, et habitualiter residere in solidum penes singulos patronos; deficiente proinde aliquo ex patronis, vi iuris accrescendi seu non decrescendi in coeteris illud consolidatur, prouti plures Rotae decisiones, ac sententiae doctorum confirmant. In themate ius patronatus patronis laicis et clericis seu Capitulo quodammodo spectare videtur, cum illis ius praesentationis, istis ius collationis concessum fuit, quare, quum heic sive clerici sive laici veluti compatroni habeantur, exurgere vi-

detur quod deficientibus patronis laicis, ius eiusdem competens, nominandi videlicet cappellanos S. Maximi et S. Catharinae, vi iuris accrescendi seu non decrescendi, in clericis seu Capitulo Metropolitano Aquilano consolidetur.

Etiam autem alio ex capite ius nominandi cappellanos in casu competere potest Capitulo Metropolitano, nam extincto patrono, collatio beneficii libera evadit, et locum amplius non habet praesentatio, quia beneficium ad primaevam libertatis naturam evadit. Iamvero cum in casu collatio ad capitulum pertineat, si ius nominandi ad Episcopum devolvatur, tunc collatio a capitulo peragenda minime libera dicenda esset.

Rationes praeterea quae in contrarium adduci possunt, casus tantummodo respicere videntur, in quibus Episcopus, ex iure ordinario, facultate polleat conferendi beneficia, minime vero casus in quibus ipse hac destituitur facultate, quae e contra inferioribus collatoribus attributa est. Tunc enim et ipsi inferiores collatores quamvis ex iure extraordinario ius collationis acquirant, tamen iure proprio beneficia conferunt, et hinc difficultem ex eo desumptam quod Capitulum nequeat libere beneficia conferre in casu, quia iure extraordinario illa confert, evanescere videtur.

Ex quibus omnibus autem non immerito concludi potest ad Capitulum Aquilanum nedum ius conferendi cappellanias, de quibus agitur, sed ius quoque nominandi cappellanos spectare, seu aliis verbis, ius libere cappellanos instituendi, praevia tamen Ordinarii approbatione.

Ex adverso autem Archiepiscopo potius quam canonicis spectare videtur ius nominandi capellanos S. Maximi et S. Catharinae, quia extincto per patronorum extinctionem ipso iurepatronatu, ecclesia fit liberae collationis et proinde Episcopus, vi muneris sui Ordinarius ac proprius beneficiorum in dioecesi administrator ac distributor, ius libere beneficiatos eligendi acquirit. Ergo si in casu ius nominandi beneficiatos devolvatur ad personam ab Episcopo diversam seu ad Capitulum, beneficia non amplius dici possunt pristinam acquisivisse libertatem per patronum extinctionem sed potius iterum, mutato tamen subiecto, in servitutem redacta esse.

Insuper talis est iurisdictio Episcopi super beneficiis suae dioeceseos, ut ipse aliquando acquirere valeat iuspatronatum, quin tamen aliquid ex se praestiterit ad illud obtinendum, una cum aliis compatronis.

Nec praetereundum est Capitulum fortasse in casu applicare non posse sibi ius accrescendi seu non decrescendi, nam hoc tan-

tum invocari potest a compatronis, et quidem de eodem beneficio non autem a compatronis de diverso ac distinto beneficio, et tanto minus a beneficii collatore, qui proprie patronus dici nequit. Secus enim Episcopus, qui est Ordinarius collator omnium beneficiorum suae dioecesis, dici deberet eorumdem patronus.

Capitulares autem in casu nullum alium titulum proferre valent, quo constet iuspatronatum ad ipsos translatum fuisse, nam extinctio familiae eumdem exercentis minime computatur inter titulos sive originarios, sive derivatos translationis eiusdem de persona ad collatorem extraordinarium, seu in casu ad Capitulum.

Demum testimonia allata, in quibus dicitur extincta patroni familia, iuspatronatum non devolvi ad Episcopum sed extingui, hoc tantum significare volunt, nempe Episcopum absque materiali iurispatronatus acquisitione, liberam et plenam acquirere potestatem conferendi beneficia antea iuri praesentationis alligatam.

Rebus sic stantibus, omnibus sedulo matureque perpensis. Emi Patres, concordatum a partibus dubium:

« *An Capitulo Ecclesiae Cathedralis Aquilanae seu potius Archiepiscopo competat ius nominandi cappellanos S. Maximi et S. Catharinae in casu* »,

dimiseremt sequenti responso, nempe:

« *Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am idest: Archiepiscopo et amplius* ».

---

2368
43.

**VIII.** — SORANA. — NULLITATIS MATRIMONII *(extra ordinem).*

Haec causa nullitatis matrimonii, ob defectum consensus ex parte mulieris, agitata in plenariis comitiis diei 18 Novembris nuper elapsi anni affirmativo dimissa fuit responso (Vid. lectores. *Acta Pontificia,* Vol. III, pagg. 296-298).

Nunc autem quoniam iura non sinunt ut in his causis, matrimonii vinculum solutum censeatur, nisi duae sententiae penitus similes et conformes emanatae fuerint, denuo quaestio proposita fuit in comitiis mensis Februarii, sub rogandi formula:

« *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* »,

cui placuit Emis Patribus, respondere:

« *In decisis* ».

# SS. RITUUM CONGREGATIO

## I. — ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIAE.

**De Benedictionibus ad Matutinum et Antiphona ad Completorium in festo S. Familiae, deque Lectionibus in festis duplicis minoris I classis.**

Rmus P. Pius Maria Mayer, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum, liturgiam Ordinis respicientium, solutionem humillime postulavit, videlicet:

I. An in festo S. Familiae ad Matutinum ante Lectiones dicendae sint Benedictiones communes, an vero propriae festorum B. M. V.?

II. An in eodem festo ad *Nunc dimittis* in Completorio dicenda sit antiphona *Alleluja: Verbum caro factum est. Alleluja: et habitavit in nobis Alleluja: Alleluja?*

III. An praeter eas quae in Breviario Ordinis edito anno 1886 iam sunt inscriptae, lectiones primi nocturni in festis dupl. min. I classis, legendae sint de Communi vel de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem Negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. die 1 Decembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## II. — ORDINIS FRATRUM MINORUM PROV. APULIAE.

**Dubia varia liturgica.**

Hodiernus Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Provincia Apuliae, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An Collectae ab Episcopo seu Ordinario loci imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debeant?

II. An Missa Conventualis, quae sine cantu celebratur in ecclesiis Regularium, debeat aequiparari Missae solemni, sive quoad omittendam commemorationem simplicis et reticendas Collectas ordinarias ab Ordinario loci praescriptas, sive quoad praetermittendas Orationes post Missam iniunctas; idque etiamsi postea alia Missa de die concinatur?

III. An sacerdos, sacris vestibus sacrificii indutus, possit administrare sacram Communionem, data rationali causa ante vel post Missam solemnem aut cantatam aut etiam Conventualem, sicuti permittitur ante vel post Missam privatam?

IV. An in Processione, quae die 1 Augusti sub Vesperis fit per ecclesiam et ante Conventum per aliquot passus, ad annuntiandam sive incipiendam Indulgentiam Portiunculae, sacerdos pluviali albo indutus gestare possit Reliquiam Sancti Patris Francisci, vel tabellam cum inscriptione *Indulgentiae Plenariae;* et quaenam, silente Caeremoniali Ordinis, in eadem Processione preces recitandae sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Servetur Decretum n. 3697* **Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci** *7 Decembris 1888 ad VII* (1), *et alterum n. 2740* **Tridentina** *12 Martii 1836 ad 7* (2).

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Nihil obstat in casu, quominus Reliquia S. Francisci in hac Processione gestetur, recitando vel cantando aliquem Hymnum in honorem eiusdem Sancti; tabula autem Indulgen-*

(1) 3697. ORDINIS MINORUM CAPUCINORUM S. FRANCISCI. — VII. Utrum Missae conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad Collectas, sive quoad preces in fine Missae ex mandato SS.mi Domini nostri Leonis Pp. XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in altari accensorum? R. Ad VII « Affirmative ». V. *Decreta Authentica Congr. SS. Rituum,* Vol. III, pag. 195.

(2) 2740. TRIDENTINA. — 7. An in Missa conventuali plena omittenda sit in duplicibus secundae classis commemoratio simplicis, quando ratione solemnitatis altera missa cantatur? R. Ad 7 « Negative in casu ». V. *Decreta Authentica Congr. SS. Rituum,* Vol. II, pag. 262.

*tiae Plenariae non deferatur in Processione, sed affigatur, si placeat, ante portam ecclesiae.*

Atque ita rescripsit. Die 19 Ianuarii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## III. — ORDINIS FRATRUM MINORUM PROV. APULIAE

**Dubia circa celebrationem festorum Patronorum.**

HODIERNUS Redactor Kalendarii Fratrum Minorum in Regulari Apuliae Provincia commorantium, de consensu tam Ministri Provincialis sui quam Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione exposuit; nimirum:

I. Num Fratres Minores degentes in toto Regno Neapolitano teneantur ad recitandum Officium proprium cum respectiva Missa item propria de Sancto Ianuario Episcopo et Martyre in die 19 Septembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono olim totius Regni Neapolitani?

II. Num iidem Fratres Minores degentes in Provincia civili Barensi teneantur ad persolvendum Officium proprium cum Missa item propria de Sancto Nicolao Episcopo in die 6 Decembris sub ritu duplici primae classis sine Octava, ut de Patrono principali totius Provinciae Barensis?

III. Num ipsi Fratres Minores, celebrantes Patronum principalem Provinciae civilis, dispensentur a Patrono principali Regni celebrando; quemadmodum nempe non obligantur ad celebrandum Patronum dioecesis ii, qui recolunt Patronum Loci?

IV. Num praefati Religiosi, in celebrando Patrono principali Regni, Provinciae civilis, Loci seu dioecesis, attendere etiam debeant si Patronus feriationem habeat, vel saltem habuit, quae tamen de Apostolico indulto modo sit sublata?

V. Num si requiritur feriatio, festum Patroni sub nomine *principalis* in Kalendario Cleri saecularis designatum et sub ritu duplici primae classis cum Octava, censeri debeat ornatum feriatione, eo quod idem festum quotannis tamquam mobile in die Dominica recolatur?

VI. Num iidem Fratres Minores teneantur ad recitandum Officium Sancti Francisci de Paula sub ritu duplici secundae

classis cum Octava in Dominica II post Pascha, ut Compatrono totius Regni Neapolitani, quod ita praescriptum fuerit a Gregorio XVI felicis recordationis sub die 10 Maii 1839 pro utroque Clero?

VII. Num praedicti Fratres teneantur ad agendas Commemorationes Omnium Sanctorum Apostolorum atque Omnium Sanctorum Martyrum in die 29 Iunii praescriptas a Pio Papa VI felicis recordationis per Breve *Paternae charitatis* sub die 10 Aprilis 1818 pro toto Regno Neapolitano, tamquam compensationem aliquam feriationis suppressae?

VIII. Num Moniales secundi Ordinis in civitate Baruli degentes intra dioecesim Tranensem, quae iam celebrant Officium Sancti Rogerii Episcopi Patroni principalis eiusdem civitatis sub ritu duplici primae classis, die 30 Decembris; teneantur insuper ad persolvendum Officium Beatae Mariae Virginis de Sterpeto, quod ex voto agitur sub ritu duplici secundae classis in Dominica II post Pascha?

IX. Num apud easdem Clarissas, quae in Dominica III Iulii ritu maiori celebrant Officium Sanctissimi Redemptoris, et quidem iuxta concessionem a sa. me. Gregorio Papa XVI factam, cum iure translationis, occurrente festo potioris ritus; idem festum Sanctissimi Redemptoris in occursu et concursu habendum sit tamquam festum primarium?

X. Num in Regno Neapolitano, si Dominica II post Pascha agendum sit de festo Sancti Francisci a Paula sub ritu duplici secundae classis; festum Sacratissimi Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi, Melphicti Dominica etiam IV post Pascha impeditum a Dedicatione ecclesiae Cathedralis debeat in primam diem liberam intra Tempus Paschale transferri, vel potius omitti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribere rata est:

Ad I. *Affirmative, iuxta Decreta alias edita, ac prasertim num. 2591* Neapolitana *18 Oclobris 1818 ad XII* (1).

(1) 2591. Neapolitana. — XII. Cum multa sint loca, quae non habent Patronum principalem; quaeritur: An possint et debeant celebrare, uti Patroni principalis, Festum S. Januarii, qui est Patronus principalis totius partis Regni Siciliae citra Pharum, (cuius Festum usque ad emanationem praefatae Bullae celebrabatur in Dioecesi Neapolis cum duplici obbligatione audiendi sacrum et abstinendi a servilibus operibus, et in reliqua parte Regni cum onere tantum audiendi sacrum), transferendo pro illis praedictis locis in

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmaiive.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative iuxta Decretum num. 3157* Mechlinien *31 Augusti 1867 ad XII, quaest. 1* (1).

Ad VIII. *Negative, nisi concessio praeceptive etiam pro Regularibus proprio Kalendario utentibus facta fuerit.*

Ad IX. *Negative, et festum Sanctissimi Redemptoris uti secundarium computatur iuxta Tabellam pro festis secundariis.*

Ad X. *Si festum Sanctissimi Sepulchri in Dominica* II *et* IV *post Pascham impediatur, iuxta Rubricam peculiarem Breviarii Romano-Seraphici num, 118, transferri debet non tamen extra Tempus Paschale, et quoties impedimentum fuerit perpetuum, idem festum ex gratia fixe Dominica infra Octavam Ascensionis celebretur.*

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

diem Dominicam Festum S. Januarii? — R. Ad 12. « Provisum in primo Brevi in quo habetur quod pro Urbe Neapolis tantum retineatur Festum S. Januarii, in reliqua parte Regni idem Festum retinere debet propriam sedem et ritum, sed sine praecepto audiendi Sacrum. Quoad Loca vero quae non habent Patronum principalem, satis provisum in secundo Brevi die 15 Octobris labentis anni; quod iubet ut civitates et loca, quae peculiarem Patronum non habent, festum Patroni principalis Dioecesis pari solemnitate celebrare teneantur ». V. *Decreta Authentica Congr. SS. Rituum,* Vol. II, pag. 183.

(1) 3157. Mechlinien. — XII. Quaeritur: An commemoratio omnium Apostolorum die 29 Junii, et omnium Martyrum diei 26 Decembris, iuxta Indultum pro reductione Festorum in territorio Gallicanae Reipublicae, nos respiciat, qui utimur Kalendario Urbis? et quatenus affirmative: An dicta commemoratio sit facienda immediate post orationem festi diei; vel potius suo loco, v. g. post commemorationem Dominicae occurrentis die 29 Junii, et octavae Nativitatis die 26 decembris? — R. Ad XII. « Ad primam quaestionem, Affirmative; ad secundam vero: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». V. l. c. pagg. 453-454.

## IV. — VILNEN.

### Dubia varia liturgica.

HODIERNUS Rmus Dnus Episcopus Vilnensis a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humillime petiit; videlicet:

I. Pro dioecesi Vilnensi habetur Decretum, quo permittitur Missa votiva cantata dicta *Rorate* tempore Adventus. Missa ista, quae celebratur cum magna solemnitate magnoque concursu populi, cantatur, vi antiquissimae consuetudinis, cum *Gloria* et *Credo*. - Quaeritur, utrum haec consuetudo possit servari, cum in Decreto supradicto nihil de modo cantandi tales Missas dicatur?

II. In eadem dioecesi solent cantari, post Missam solemnem, invocationes *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis,* etc. coram Sanctissimo Eucaristiae Sacramento exposito in Pixide. - Quaeritur utrum expositio haec fieri possit per expositionem Pyxidis in superiori parte Tabernaculi, eo fine ut Pyxis possit a frequenti populo bene videri, an Sanctissimum Sacramentum non possit e Tabernaculo tolli?

III. Quaeritur, utrum pro valida consecratione altaris fixi vel portatilis sufficiat, ut in Sepulchro includantur Reliquiae unius Martyris et Confessorum aut Virginum, vel utrum unius solummodo Martyris; an sit omnino necessarium, ut in Sepulchro deponantur Reliquiae plurimorum Martyrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad. I. *Iuxta Decreta, Missa* **Rorate** *cantari potest in casu, cum* **Gloria** *et* **Credo** *solummodo in Novendiali ante festum Nativitatis Domini ratione consuetudinis et concursus populi; in praecedentibus vero diebus Adventus cantari debet sine* **Gloria** *(praeterquam in Sabbatis et infra Octavam festi B. Mariae Virginis) et sine* **Credo**.

Ad. II. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem quoad utrumque; negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## V. — SOCIETATIS SALESIANAE.

**Dubia liturgica circa expositionem et repositionem SS. Sacramenti.**

QUUM circa reverentias a sacris ministris faciendas in expositione ac repositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dissideant probati S. Liturgiae interpretes, hodiernus Rmus Procurator Generalis Piae Salesianae Societatis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione, humillime subiecit; nimirum:

I. Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flectioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis?

II. Cum expositor, aperto ostiolo Tabernaculi, genuflectit priusquam SS. Sacramentum extrahat et cum, reposito Sacramento, genuflectit priusquam ostiolum claudat, debentne ceteri qui genuflexi adsunt adorare cum profunda inclinatione corporis, an cum inclinatione solius capitis, an, utpote iam genuflexi, nullam praeterea reverentiam exhibere?

III. An et quam reverentiam exhibere debeat minister genuflexus antequam surgat aliquid facturus? Videlicet: 1 Celebrans antequam surgat recitaturus orationem *Deus qui nobis sub Sacramento* etc. debetne omittere quamlibet reverentiam, an inclinare caput, an corporis inclinatione adorare? 2) Idem quaeritur de Celebrante ac ministris surrecturis ad imponendum incensum; 3) De celebrante antequam surgat ad altare ascensurus ut populo benedicat; 4) De expositore antequam surgat ascensurus ad altare ad deponendum e throno SS. Sacramentum; 5) De acolytho antequam surgat iturus ad abacum ad velum accipiendum.

IV. Celebrans postquam, Benedictione impertita, ab altari descendit et genua flexit in infimo gradu, debetne omittere quamlibet inclinationem an inclinare caput, an totius corporis inclinatione adorare?

V. More apud Subalpinos recepto, secundo thus imponitur post cantatam orationem *Deus qui nobis* etc. Iam quaeritur: 1) an mos servari possit? Et quatenus affirmative, quaeritur: 2) an sacerdos, cantata oratione, debeat impositionem incensi aliquam praestare reverentiam et qualem?

VI. Utrum sacerdos qui SS. Sacramentum exposuit et ab

altari descendit thus impositurus, debeat ante impositionem adorare uno genu flexo, an utroque, an statim absque genuflexione incensum imponere ut quidam eruunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII, c. II. § III, n. 5?

VII, Iuxta Caeremoniale Episcoporum dum Celebrans canit orationem *Deus qui nobis* etc. ministri librum sustinent genuflexi: contra Liturgiae expositores eos surgere iubent vel saltem id eis permittunt. Quaeritur qua norma utendum?

VIII. An Celebranti in impertienda Benedictione cum SS. Sacramento ministrare nequeant, loco diaconi et subdiaconi, duo clerici pluvialibus induti? An diacono et subdiacono, dalmatica et tunicella indutis, adiungi queant duo vel quatuor clerici induti pluviali?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relatienem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. ***Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda.***

Ad II. ***Nulla reverentia facienda est.***

Ad III. ***Quoad 1um. Nullam reverentiam debet facere; quoad 2um. Inclinationem mediocrem faciant; quoad 3um., 4um., et 5um Nulla reverentia facienda est; at si acolythus transeat ante altare, genuflectat in medio.***

Ad IV. ***Nulla reverentia facienda est.***

Ad V. ***Quoad 1um. Negative Quoad 2um. Provisum in praecedenti.***

Ad VI. ***Ambo genua flectat in infimo gradu, inclinationem mediocrem faciat, assurgat et ponat incensum in thuribulo.***

Ad VII. ***Ministri genuflexi maneant, librum sustinendo iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II. cap. XXXIII, n. 27.***

Ad VIII. ***Quoad 1um. Affirmative, si Benedictio cum SSmo Sacramento fiat immediate post Vesperas sollemnes, id est si Celebrans cum Pluvialistis non recedat ab altari: dummodo alter sacerdos vel diaconus exponat et reponat SSmum Sacramentum, illudque Celebranti tradat et ab eo recipiat. Quad 2um. Negative.***

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## VI. — DECRETUM

### De Clerico, loco Subdiaconi vel Cappellani, in Missa ministrante.

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Praelato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni, nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia, quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expleat hisce tamen exceptis: *a*) aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *b*) calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; *c*) post ablutionem, calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Praelato in Missa lecta, aut alio Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest quae in Caeremoniali Episcoporum Lib. I, cap. XXIX dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper: *a*) calicem ante Offertorium non abstergat: *b*) nec vinum nec aquam in eo infundat: *c*) nec patenam cum hostia, nec calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Praelato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Praelato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu, calix velatus ante Missam, ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale sta-

tuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 10 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum fideli relationi, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quae omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## VII. — DECRETUM

**Seu declaratio super Motu-Proprio « Inter Multiplices » (1).**

EVULGATO Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X *Motu-Proprio* « Inter multiplices » die 21 Februarii anno nuper elapso 1905, de protonotariis apostolicis, praelatis urbanis et caeteris qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur: complures variaeque quaestiones ac postulationes Sacrorum Rituum Congregationi sunt propositae, circa privilegia ipsa et insignia praedictis Dignitatibus et Canonicorum coetibus aliisque de clero saeculari antea concessa. Quibus omnibus una cum relativis documentis ac testimoniis a speciali Commissione diligenti examine perpensis, et per infrascriptum Cardinalem S. R. Congregationi Pro-Praefectum fideliter eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua, ut omnia vel praeveniri vel dirimi possint, et Rmi locorum Ordinarii normam ad dubia resolvenda possideant, per praesens Decretum quae sequuntur declarari iussit. Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato *Motu Proprio* contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria extent, ea tanquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac su-

(1) Cfr. *Acta Pontificia.* Vol. 2, pag. 343*.

per re adhuc oriantur, illa Ordinarii locorum ad memoratam Commissionem penes S. R. C. peculiariter institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato *Motu-Proprio* sancitis, suffragium suum queat proferre.

Die 14 Martii an. 1906.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET RELIQUIARUM

**I. — Indulgentiae conceduntur recitantibus preces "O clementissime Jesu" et "Benedictum sit".**

*Beatissimo Padre,*

Gabriele Mallet, Procuratore Generale della Congregazione di Gesù e Maria (Eudisti), prostrato ai piedi della S. V. umilmente implora a favore di tutti quelli che aggiungeranno al *Sacrosanctae* dopo la recita dell'ufficio divino o dell'ufficio della B. V. la preghiera infrascritta *O clementissime Jesu,* l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno e la plenaria in ogni mese colle condizioni ordinarie.

Inoltre implora umilmente gli stessi favori per tutti coloro che reciteranno l'altra preghiera *Benedictum sit.*

*O clementissime Iesu, gratias ago tibi ex toto corde meo. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego hanc actionem offero divino Cordi tuo emendandam atque perficiendam, ad laudem et gloriam sanctissimi Nominis tui et beatissimae Matris tuae, ad salutem animae meae totiusque Ecclesiae tuae. Amen.*

*Benedictum sit Cor amantissimum et dulcissimnm Nomen Domini Nostri Iesu Christi et gloriosissimae Mariae Matris eius in aeternum et ultra.*

IUXTA PRECES
Die 30 Novembris 1905
PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 2 Decembr. 1905.

L. ✠ S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

## II. — DECRETUM

**Indulgetur ut qui quotidie sacra synaxi reficiuntur quascumque indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset.**

SANCTISSIMO Domino nostro Pio Pp. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro Pp. XIII f. r., per decretum huius Sacri Ordinis, sub die 9 Decembris 1763, omnibus christifidelibus, « qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se, post praedictam ultimam Confessionem, commissae sibi conscii sunt, indulsit, ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur ». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret. Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus (1).

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Circa communionem quotidianam cfr. recens Decretum S. Congregationis Concilii. *Acta Pontificia*, vol. 4°, pagg. 57-61.

# S. CONGREGATIO INDICIS

## DECRETUM.

FERIA V DIE 6 APRILIS 1905.

SACRA Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Aprilis 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

**Paul Viollet,** *L'Infaillibilité du Pape et le Syllabus.* Etude historique et théologique. Besançon-Paris, 1904.

**L. Laberthonnière,** *Essais de Philosophie religieuse.* Paris, s. d
– *Le Réalisme chrétien et l'Idéalisme grec.* Paris, s. d.

**Antonio Fogazzaro,** *Il Santo.* Romanzo. Milano, 1905.

**Nicolaus Jozzelli** Decreto S. Congregationis, edito die 12 Decembris 1905, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae die 5 Aprilis 1906.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Fr. THOMAS ESSER, *Ord. Praed. a Secretis.*

Die 6 Aprilis 1906, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

# S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

**Conceduntur aliqua privilegia Missionariis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis B. M. V.**

*Beatissime Pater,*

HIERONYMUS Battlò, procurator generalis Missionariorum Filiorum Imm. Cordis B. M. V., ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humillime postulat prorogationem facultatum benigne concessarum per rescriptum S. Congregationis super Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis die 12 martii anno 1901 ad quinquennium, Missionariis praefatae Congregationis ultramarinas regiones evangelizantibus, scilicet:

1° Benedicendi coronas precatorias, parvas statuas et sacra numismata, cum indulgentiis adnexis; (1)

(1) En elenchus Indulgentiarum, quas SUMMUS PONTIFEX, vel ab eo delegatus benedicendo Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, *Medaglie* vulgo nuncupata, impertitur Christifidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes, aliquod ex praefatis, infrascripta pia opera implebunt.

Utriusque sexus Christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgentias, quas in praefata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis Numismatibus, Coronis etc. secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo Coronam, Crucifixum etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Praeterea ab huiusmodi Benedictione Sanctitas Sua reiicit Imagines sive impressas, sive depictas, nec non Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, vulgo *Medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili alia materia. facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua Imagines, et Icones benedicendas repraesentare Sanctos, vel iam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec nòn piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet:

Quicumque semel in singulas hebdomadas Coronam Domini aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, eiusve tertiam partem, aut Officium, sive divinum, sive parvum eiusdem Beatissimae Virginis, vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales, vel Graduales recitabit; aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicuius domus Hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si Sacerdos est,

2° Benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis;

3° Benedicendi sacra paramenta et alia utensilia ad Missae Sacrificium necessaria, ubi non interveniat sacra unctio. Et &.

Ex Audientia SSmi die 6 Martii 1906.

SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. X, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Ex-

celebrare consuevit, si vere poenitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus Festis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, et Jacobi, Bartholomaei. Matthaei, Simonis, et Judae, Matthiae, Sancti Josephi Sponsi B. Mariae Virginis, atque Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum, atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum Plenariam Indulgentiam consequetur.

Qui eadem in aliis Festis Domini, aut B. Virginis Mariae peregerit, in quolibet eorum participat Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum. Qui vero quavis Dominica, vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, Indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam, aut Rosarium, aut Officium B. Mariae Virginis, vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, earumque precibus, quo die id egerit, Indulgentiam centum dierum acquiret.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens confessus, ac sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen JESU ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, Plenariam Indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem divini Officii, vel parvi B, Mariae Virginis aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam, qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adiuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanae alicuius Ecclesiae mane, aut meridie, aut vespere consuetas preces *Angelus Domini etc.* dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub

traordinariis praepositae Secretario, benigne annuit pro gratia iuxta preces ad aliud quinquennium in forma et terminis praecedentis concessionis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die, mense et anno ut supra.

L. ✠ S. † PETRUS, Archiep. Caesarien. *Secretarius.*

horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum *De Profundis*, aut si hunc nesciat, *Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam* recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de Passione, ac Morte Domini Nostri Jesu Christi, terque *Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam* recitaverit.

Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica et Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Jesu Christi *quinquies* devote eamdem *Orationem et Salutationem* recitet, eamdem Indulgentiam consequetur.

Omnes, et singulas antedictas Indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut Fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione praefatarum Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores iam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem huiusmodi Coronis, Crucibus etc. earumque usu Sanctissimus Dominus Noster servari iubet *Decretum fel. recor. Alexandri VII*, editum *sub. die 6 Februarii* 1657; nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria etc., ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeat personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione, aut privilegio in contrarium non obstante ; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias iam concessas: tum etiam praefata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint: iuxta dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum, et Sacrarum Reliquiarum*, editi *die 5 Junii 1721*.

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum *fel. record. Benedicti XIV sub datum die 19 Augusti 1752*, quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi, sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote huiusmodi Imaginem secum habente celebratas, vigore dictae Imaginis, nullo prorsus gaudere privilegio.

Praeterea vetat, ne quisquam, quem Infirmis morti proximis assistere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis, vigore huiusmodi Imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi effectum in Constitutione *Benedicti XIV* incipien. *Pia Mater,* satis provisum iam fuit.

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

## De extrema Unctionis Sacramento.

### *Notio, ritus, ministrandi ratio.*

Extrema Unctio (Sacramentum infirmorum, exeuntium) est unctio christiani graviter aegrotantis una cum sacerdotis deprecatione ad spiritualem et saepe etiam corporis infirmi salutem.

Huius sacramenti materia remota est oleum olivarum ab Episcopo aut ex S. Pontificis facultate, a sacerdote benedictum « in ordinem ad extremam Unctionem ».

Materia proxima est unctio quinque infirmi sensuum. Ex decentia unctio ad lumbos in foeminis semper et (jure consuetudinis) multifariam etiam in maribus et ad pedes in puerperis omittitur. Urgente vero necessitate per unam Unctionem cum conditione (si valeat) tutius frontem, omnibus sensibus nominatis, ungendo, ministratur. Propria forma sunt verba quae unumquemque ungendo proferuntur: « *per istam* sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem) deliquisti. Amen ».

Huius sacramenti forma a ceteris distinguitur quia non indicativo sed deprecativo modo pronuntiatur. Optime his S. Jacobi Ap. verbis respondet: « Orent super eum et oratio fidei sanabit infirmum » (V. 14, 15). Apud orientales etiam haec forma adhibetur et apte extremae Unctioni ex hoc praecipue convenit quod est quoddam poenitentiae supplementum. Quum enim infirmus pro sua conditione nullum poenitentiae opus perficiat ex divina propterea misericordia indulgentiam opperitur et exorat: « hoc enim Sacramentum » inquit cathec. rom. « quum sanitatem etiam restituat aegrotis quia non semper sequitur ut aegri a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur ut a Dei benignitate id impetremus quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet ».

Extremae Unctionis Sacramentum; *a*) peccatorum reliquias (imbecillitatem, animi ex morte et judicio futuro tristitiam et terrorem, lamentationum sollicitationem, impatientiam, tristesque alios animi impetus) tollit; *b*) ipsa peccata praecipue proximeque levia sed interdum laetalia quorum imperfectum excitaverit do-

lorem aut quae bona fide non accusaverit, delere valet; *c*) quandam ad hanc aegritudinum levationem habet, gratiam etiam impertit qua in infirmo patiens aegritudinis tolerantia et in agone contra diaboli sollicitationes futurae in posterum vitae spes firmatur animusque augetur; *d*) corporis sanitas quae ex extrema Unctione, dummodo animi salutem non adversetur, sperari licet non consequitur quia vel eorum « Qui sacro oleo perunguntur vel a quibus ministratur fides infirmior est, vel quia mira haec medendi facultas tunc minus est necessaria »; *e*) temporalis ex peccatis poenae remissio pro recipientis devotione.

*Ritus.* In aegri cubiculo mensa, albo linteo cooperta, paratur, in qua vas cum sex (aut septem) globulis ex gossypione, quibus corporis partes inunctae detergentur, panis mollia (vel sal) et aqua, quibus sacerdos manus lavet. Crux denique inter duos accensos cereos media collocatur.

Sacerdos infirmi cubiculum ingrediens dicat: « *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea* ». Inde, sacro oleo in mensa posito, superpelliceo et stola violacei coloris indutus signo crucis manu benedicit. Sacerdos ad infirmum pacem et cum pace omnia affert sed per crucem Domini in cuius nomine ad aegrum venit. Aqua benedicta postea infirmum, cubiculum et adstantes, crucis signum formans aspergit, antiphonam « *asperges me etc.* » recitando ut doceat pacem ad poenitentem et purum animum tantum devertere. Quum aegri confessionem, quoad necesse sit et possit, sacerdos acceperit, vel si, appropinquante morte, infirmus confiteri non valeat, coniuncte aut simpliciter absolverit, piis gravibusque sed paucis verbis, pro eius conditione infirmum consoletur, brevi de olei Sancti Sacramento doceat et prout necesse sit et possit, amantissime in vitae spem erigat. Huiusmodi admonitiones omnino non sunt legendae, ex sacerdotis enim animo profluant necesse est ut se in aegri animum insinuet.

Dicto postea « *adiutorium nostrum etc.*, » tres legit orationes quibus domui et in ea inhabitantibus benedicit. Haec quae Sacramentum praecedunt, si tempus urgeat, omittuntur.

Deinde, si necessitas non urgeat, semper recitatur « *confiteor* » cum « *misereatur tui* » (non *vestri*) et « *indulgentiam* », etsi continuo post viaticum aut generalem absolutionem ministretur. « Semper » inquimus, unaquaque enim vice certam liturgiae actionem, certamque aegri conditionem separatim hae preces attingunt et ideo, quum possit, in extrema Unctione recitantur quod peccati reliquias et interdum, ut docuimus, etiam peccata hoc sacramen-

tum extinguit; extrema exinde Unctio etiam per actus cum ea nexos (generalem confessionem et absolutionem) uti poenitentiae consummatio videatur oportet.

Antequam sacerdos infirmum imgat, adstantes moneat ut pro infirmo orent et pro loci, temporis, personarum adiunctis, septem psalmos poenitentiales cum litaniis vel alias preces dum sacramentum ministratur, recitent.

Sacramenti minister dexteram manum in infirmum imponens crucis signo omnibus invocatis sanctis eidem benedicit dicendo: «*in nomine etc.*» Quibus verbis sacramentalis actionis vis, inprimis ut infesti hostis in infirmum potestas extinguatur implorat.

Sensuum membra pollice in sancto oleo tincto unguntur. Suadente necessitate (si furore aeger agatur, syphilide, cancro, peste, afficiatur) gossypium longo aptatum bacillo adhibetur. Pollex (aut gossypium) tanto oleo humectetur oportet ut certo materia applicetur. Pollex pro unoquoque quinque sensuum (etsi duplexe habeat membrum) semel tantum inungitur. Crucis signum oleo efficitur; crux enim armatura est qua malum hostem aeger vincit et sensus protegit. Unctio etiam duplicis membri una cum forma absolvitur. Unumquodque sensus membrum inunctum continuo gossypio detergitur. Si ut altera (sinistra) sensus pars inungatur se infirmo vertendo prima (dextera) jam inuncta linteolo vel pulvius oleum perdiderit prima aeque gossypio detergenda est. Gossypium inunctum in vase mundo reconditur et ad ecclesiam defertur ut combustum in sacrarium demittatur. Necessitate cogente, quum aeger moveri nequeat, alterum tantum sensus membrum linitur. Laici manuum interna, sacerdotis vero externa facies inungitur. Pedum pro locorum consuetudine superior aut inferior pars perlinitur. Si pedes nequeant quod proprius facile possit ungitur. Lumbi qui in foeminis, ut diximus, nunquam unguntur etiam in maribus tum omittuntur quum vix aut periculose inungi praesumi possit. Oculi, qui operiendi sunt in palpebris, aures in ima parte, nasus in superiore (crucis signo linea transversa utramque partem tangendo) liniuntur. Os (clausum) ita ungitur ut utrumque labrum attingatur. Sed quum claudi nequeat inferius aut superius labrum ungitur. Si aliquo aeger careat membro pars propior linienda est, etsi aliquo sensu semper caruisset. Externa enim sensuum membra animi virtuti respondent; deficiente ergo externo sensu homo interno peccare potest. Proinde qui etiam a nativitate sunt coeci in oculis unguntur.

Unctione peracta, pollicem panis mollibus (aut sale) fricat,

manus lavat, mantele detergit. Versus in aegrum, stando, preces pergit Deum obsecrando ut sancti olei virtutem infirmitatis levamen, peccatorum remissionem animi et corporis salutem, plene infirmo concedat. Denique aegro osculandam crucem porrigat, passionis dominicae virtuti omnino fidere doceat. Pro infirmi tandem conditione salutis monita addat ut aeger ad piam mortem se praeparet et contra malum hostem firmetur.

Si antequam omnes huius sacramenti coerimoniae consummentur infirmum decessurum provideatur, dicto « *Confiteor* » aut si magis necessitàs urgeàt, omisso, unctio, contracta ratione frontem liniendo his verbis peragitur: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus; visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum et gressum.*

Si utrum infirmus vivat dubitatur cum conditione unctio perficitur. Si autem huiusmodi unctione perfecta, vivere animadvertitur, cetera cuiusque sensus membra cum conditione (*si nondum valide unctus es*) perliniuntur. Intermissae etiam preces tum quae unctionem praecedunt tum quae sequuntur in ipso infirmi cubiculo recitandae sunt. At peste aut olio contagioso morbo grassante preces quae ante unctionem priusquam infirmi domum petat, quae vero post unctionem in rituali praescribuntur in reditione in ecclesia recitantur. Si periculum sit in mora, omnes simul una ad ecclesiam post reditum sacerdos legat.

Ad extremum hic denuo potissimum animadvertitur oleum sanctum, quod poenitentiae sacramenti « complementum est (nisi certe in statu gratiae infirmus vivat) sacramentalis absolutio (cum aut sine conditione) praecedat necesse est. Ideoque perverse, quamquam non raro sanctum oleum et continuo generalis infirmo donatur absolutio, nulla praecedente confessione. Nullum prorsus ante extremam Unctionem confitendi extat praeceptum sed perfecta poenitentiam sufficit, tutius tamen poenitentis confessio accipitur, si confessio et viaticum continuo non praecedant et, quum urgeat necessitas, saltem absolutio praeeat oportet. Huiusmodi morituri, primo (conjuncte aut simpliciter pro adiunctis) absolvuntur, tum extrema Unctione deinde generali absolutione donantur. Qui enim sacramentalis est dignus etiam olei sancti.

Queanam huius Sacramenti conditiones.

Quae in poenitentiae Sacramento praerequiruntur eadem in extrema Unctione postulantur. Huius ergo Sacramenti capax est vivens, baptizatus, peccandi idoneus et Sacramentum desiderans.

Ad hoc infirmus cum vitae periculo aut decrepita aetate qui recipit esse debet. Vitae periculum sine infirmitate nequaquam ut Oleum Sanctum recipiatur sufficit.

Hoc Sacramento exinde idonei non sunt: *a*) qui baptismum nondum receperint vel, si baptizati, nondum rationis sunt capaces. In dubio, cum conditione ministratur. Qui rationis certe est capax etsi Eucharistiam nondum perceperit Oleo Sancto liniendus est; *b*) obtusi, mente capti a nativitate; at si mens serius turbata fuerit et suos lucidis intervallis sensus patefecerit, etiamsi quum delirat, amoto contumeliae periculo, Oleo Sancto linitur.

Quum ut extrema Unctio valeat voluntas interpretativa, uti iam docuimus (pag. ) sufficiat, cuique homini christiano, mente alienato, gravi affecto morbo, etsi numquam quaesiverit sacramentum, datur; *c*) qui etsi mortis periculo urgeantur tamen infirmi non sunt, ut qui periculosa maria sunt tentaturi, mulieres quae solitos partus perpetiuntur dolores etiamsi primum pariturae sunt aut si ex praematuro partu in vitae periculo versentur. Sed si ex vehementioribus doloribus infirmae videantur, Oleo Sancto liniuntur.

In his vero qui ut aliqua membri deformitas tollatur, periculose secari patiuntur quin re vera infirmidici queant, Oleo Sancto ungendi non sunt. Sed sacerdos ut, mortis periculo forte imminente, hoc sacramentum ministret, prope cum Sacro Oleo adsit. At si eo sectio tendit ut periculosum vitae morbum auferat extrema Unctione praeliniendi sunt; morbum enim tollendum ex se sacramenti ministrandi causa est.

# BIBLIOGRAPHIA

## I.

Vallarino (Sac. G. B). **La Madre di Gesù**. — Conferenze e letture per il mese di maggio. — 2 eleg. vol. in-12 allung. L. 4.50.

Cl. Auctor, qui alia edidit opera *La Suora professa* et *La Sposa, l'apostola, la martire di G. C.* iure meritoque laudata a plurimis Praelatis, hoc nunc novum dedit opus, quod haud dubio viris omnibus magnopere probabitur, praesertim praedicatoribus. Novitati conceptus atque partium pulchrae dispositioni facile coniungitur elegans expositio. Totum opus in tres dispescitur partes,

in quarum prima de officiis proprii status agitur, in altera de B. V. virtutibus; in tertia de aeternis veritatibus.

Valde opus commendamus omnibus, praesertim ecclesiasticis viris qui praedicationi et sacerdotali ministerio incumbunt.

II.

CAVAGNIS (Card. F.). **De concordato napoleonico pro Gallia. De articulis organicis. — De lege 5 Dec. 1905 separationis Reipublicae gallicae ab ecclesiis.** — Volumen in 16, pag. 106. — L. 1.25.

Commodum nunc prodit hic novus liber Emi Card. Cavagnis, cuius competentiam in iure publico ecclesiastico omnes celebrant utpote explicatio atque illustratio historica celebris concordati napoleonici anni 1801, et iniustae legis separationis mox a republica gallica approbatae.

E.mus auctor, praemissa brevi expositione rerum religiosarum in Gallia post celebrem seditionem, textum inserit concordati cum latina interpretatione, et articulos graviores commentariis illustrat. Nec omittit *articulos organicos*, ab Ecclesia utpote extraneos ipso concordato semper habitos.

Sequntur novissima de separatione reclamatio Summi Pontificis Pii X contra ipsam legem, Encyclica « *Veementer* » ad Episcopatum et populum gallicum missa, et decreta sancita pro executione legis separationis.

Omnia connectuntur commentariis, quae quaestionem illustrant, ac lectorem iuvant in rectam eius cognitionem.

III.

ROMERO (P.). **Prodomus ad Jus canonicum universum** seu Prolegomena iuris canonici hodiernis academiarum moribus accommodata, ad tyronum usum ecclesiasticorum, vel in scientiae viridario tridentino iuvenum degentium. — Volumen in 8, pagina 332. — L. 5.

Facilius haud erat opus colligere vix amplius quam trecentis paginis elementa iuris canonici, ita ut simul haberetur eius cognitio celer ac distincta. Auctor hoc votum assecutus est 1° clara atque ordinata materiae expositione; 2° accomodato ordine librario.

A. huius rei peritissimus, brevissimis verbis definitiones praebet, et, pluribus casibus ac quaesitis coniunctis, celerrime assertionem declarat.

Ut vero intuitive lector notionem habeat rei, marginibus libri, auctor titulos resumptaque rerum in ipsa pagina explicatarum, inscribit, ita ut facilior evadat inquisitio alicuius argumenti et illico eius obtineatur notio.

Opus totam amplectitur rem canonicam, a Prolegomenis nempe ad praxim romanarum Congregationum.

Nec desunt, in apposita tabula, praecipuae *Regulae Juris*, triplex appendix in qua agitur *De doctorali et magistrali, de iure liturgico ex consuetudine deducto*, et *de normis* pro Curiis Ecclesiasticis circa rationem procedendi in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Alzog Dr. Johannes.** — *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte.* Auflage, neu bearbeitet von Dr. FRANZ XAVER KRAUS. Mit zwei chronologischen Tabellen und drei kirchlich-geographischen Karten. 2 vol. gr. in-8. L. 20 —

*Attraverso agli scritti del P. Giovanni Semeria.* — Osservazioni di un uomo semplice. Vol. in-8, 260 pag. L. 1 —

**Bolo Abate Enrico.** — *La tragedia del Calvario.* Scene della Passione. Traduzione dell'Arciprete Dott. ANGELO RAFFAELE PRINCIPE. Volume in-12, 230 pag. L. 1 50

**Cernicchi Prof. G.** — Breve compendio di *Psicologia e logica elementare*, ad uso dei Licei d' Italia (1° e 2° corso). Vol. in-8, 250 pag. L. 2 —

**Chasle Abbé Louis.** — *Sœur Marie du Divin Cœur*, née Droste zu Vischering, religieuse du Bon-Pasteur. 1863-1899. Deuxième édition. Volume in-8, 432 pag. L. 4 —

**Copin-Albancelli.** — *La Franc-Maçonnerie* et la question religieuse. Volume in-12, 130 pag. L. 1 —

**Dalla Vecchia Giacomo.** — *Miniera d'oro* di racconti ed esempi per la spiegazione della dottrina cristiana, con note storiche sulla liturgia e feste principali dell'anno. 4 vol. in-8. L. 6.50

**Denifle P. Heinr., O. Pr.** — *Luther und Luthertum in der ersten Entwickelung quellenmässig dargestellt.* I. Bd. Schluss-Abteilung. 2. durchgearb. Aufl. erg. und hrsg. v. P. ALB. M. WEISS, O. Pr. L. 8.40

**Gay, Bischof.** — *Schätze des Glaubens und der Liebe.* Autorisierte deutsche Ausgabe von F. Prinz zu Oettingen-Spielperg. L. 2.50

**Klarmann A., A. M.** — *The Crux of Pastoral Medicine.* The Perils of Embryonic Man; Abortion, Craniotomy and the Cesarean Section: Mioma, and the Porro Section. 2 revised and enlarged Edition. leg. in tela. netto L 7.75

**Lanaro D. Michele.** — *Un ritiro di tre giorni* predicato ai fanciulli della prima Comunione, seguito da un trattatello sul Sacramento della Cresima. Operetta utilissima ai Parrochi, ai Rettori di Collegio o di Comunità Religiose. Vol. in-8, 154 pag. L. 1.25

— *La Manresa della Donna Cattolica*, ossia triplice corso di Meditazioni e Conferenze a Figlie e Madri Cristiane raccolte ogni mese in sacro ritiro. 3 vol. in-8. L. 6 —

**Leitner** Dr. F. (Subregens des k. Georgianums in München). — *Der gottesdienstliche Volksgesang* im jüdischen und christlichen Altertum. Ein Beitrag zur jüdischen und christlichen Kultgeschichte. L. 7 —

**Möhler** Dr. **Joh. Adam.** — *Symbolik*, oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnisschriften. gr. 8°. 13 unveränderte Auflage. L. 2.50

— *Ergänzungen zu Möhlers Symbolik* aus dessen Schrift: Neue Untersuchungen der Lehrgegensätze zwischen den Katholiken und Protestanten. Nebst dem Lebensbilde Möhlers von Dr. HEINRICH KIHN. Mit dem Bildnisse Möhlers von Dr. JOH MICH. RAICH. gr. 8°. L. 2.25

— *Symbolik und Ergänzungen* zusammen bezogen. L. 4.55

**Nassalski M.**, M. S. Th. — *Formularium legale practicum in Parochorum Vicariorum Foraneorum nec non Curiarum Episcopalium* usum compositum cui binae documentorum appendices accedunt. Editio altera, aucta et emendata. 769 pag. in-8 gr., 1905. netto L. 16 —

*Omelie sul Vangelo.* Facili e piane spiegazioni ad uso dei Parrochi. Volume in-8, 352 pag. L. 3.50

**Perardi** D. **Giuseppe.** — *Manuale del Catechista Cattolico*, ossia spiegazione letterale con esempi del Breve Catechismo prescritto da S. S. Pio X alle Diocesi della Provincia di Roma. Volume in-8. 464 pag. L. 3 —

**Pesenti** Mons. **Pietro.** — *Discorsi alle figlie di Maria*, nelle loro conferenze mensili. — 2ª edizione. Vol. in-8, XXIV-422 pag. L. 3.50

**Quirmbach** Dr. **J.** — *Die Lehre des hl. Paulus von der natürlichen Gotteserkenntnis und dem natürlichen Sittengesetz.* Eine biblisch-dogmatische Studie. L. 3 —

**Romero P.** — *Prodromus ad Jus Canonicum Universum*, seu prolegomena Juris Canonici hodiernis academiarum moribus accommodata. Vol. in-8. 330 pag. L. 5 —

**Rossignoli** Prof. **Giovanni.** — *La Scienza della Religione*, esposta in compendio ad uso delle scuole e delle famiglie. — Terza edizione migliorata e accresciuta. Vol. in-8, 290 pag. L. 2 —

**Segreto** Can. **Nunzio.** — *Il Clero* come è e come dovrebbe essere, ossia come si inizia, si istruisce e si educa alla missione del Sacerdozio. Difetti e Rimedi. Vol. in-8, 310 pag. L. 4 —

**Taunton Ethelred.** — *The Law of the Church.* A Cyclopaedia of Canon Law for english-speaking countries. 652 pag. Lex. 8 leg. in mezzo zigrino. netto L. 34. —

**Vallarino** Sac. **G. B.** — *La Madre di Gesù.* Conferenze e letture per il Mese di Maggio. 2 vol. in-12 obl., 346-256 pag. L. 4.50

**Weiss P. Alb. M.**, O. Pr. — *Lutherpsychologie als Schlüssel zur Lutherlegende. Denifle's Untersuchungen kritisch nachgeprüft.* L. 4 —

# ACTA PONTIFICIA

## I. — BULLA APOSTOLICA

**qua omnia matrimonia catholica, in Germania, decreto " Tametsi » subiiciuntur; excipiuntur vero matrimonia mixta et protestantium.**

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PROVIDA sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina (1) clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coepit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantias minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, di-

(1) Sess. XXIV, cap. I, *De reform. matr.*

sciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae declaramus, decernimus ac mandamus:

I. In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem, sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (id est a die decima quinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti, omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica, datis integre, firmiter, utrimque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus vel tribus testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. Ut autem iudicibus ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notiiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Januarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

---

## II. — EPISTOLA

**ad Archiepiscopum Valentinorum qua Summus Pontifex officium catholicorum in Hispania concurrendi ad electiones politicas et administrativas inculcat.**

VENERABILI FRATRI VICTORIANO EPISCOPO MATRITENSIUM, VALENTINORUM ARCHIEPISCOPO PRAECONIZATO - MATRITUM.

PIUS PP. X.

VENERABILIS Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Inter catholicos Hispaniae concertationes quasdam novimus esse ortas quae veteres partium discordias haud parum postremis hisce mensibus acuerunt. Concertationum autem occasio studiose quaesita est ex binis scriptionibus quae in commentario *Razón y Fe* prodierunt de officio catholicorum adeundi comitia ad eligendos qui publicam rem administrent deque ratione in competentium electionibus habenda. Equidem scriptiones hasce cognosci ambas voluimus: nihilque in illis occurrit quod non a plerisque nunc de re morum doctoribus tradatur; Ecclesia non damnante nec contradicente. Nulla igitur subest ratio cur animi adeo exardescant: quamobrem optamus ac volumus ut orti dissensus diuque nimium nutriti penitus tollantur.

Quod profecto eo vel magis desideramus quod, si alias unquam, nunc certe maxima opus est catholicorum concordia. Meminerint omnes periclitante religione aut republica nemini licere esse otioso. Iam vero qui rem sacram seu civilem evertere nituntur eo maxime spectant, ut si detur, capessant rem pubblicam legibusque ferendis designentur. Catholicos igitur periculum omni industria cavere oportet: atque ideo, partium studiis depositis, pro incolumitate religionis et patriaè operari strenue; illud praecipue adnitendo. ut tum civitatum, tum regni comitia illi adeant, qui attentis electionis uniuscuiusque adiunctis nec non temporum locorumque circumstantiis, prout in memorati commentarii scriptionibus probe consulitur, religionis ac patriae utilitatibus in publica re gerenda prospecturi melius videantur.

Haec te, Venerabilis Frater, haec ceteros Hispaniae Episcopos monere populum atque hortari cupimus, atque eiusmodi inter catholicos concertationes in posterum cohibere prudenter. Auspicem vero divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem, apostolicam benedictionem universis amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xx Februarii, anno MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

*Nota* — Causa huius gravissimi documenti eo nititur, quod dissensus orti sint inter catholicos hispanos ob quasdam polemicas habitas inter cl. ephemeridem *Razón y Fe* et quasdam alias hispanicas ephemerides circa officium electiones politicas et administrativas adeundi.

## III. — LITTERAE APOSTOLICAE

**quibus Summus Pontifex decernit ut in Italia insulisque adiacentibus quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros ordines sint promovendi non ante promoveantur quam ab Episcopo loci diligenti doctrinae examine probati sint idonei; sublato quocumque contrario privilegio.**

PIVS PP. X.

MOTU PROPRIO.

RELIGIOSORUM Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV Novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros « Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus « per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem « per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus afferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroquin sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII Cap. VII de Reform.

haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores « et doctrinam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine « diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque « quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii Motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri (1).

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu-proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

## IV. — LITTERAE ENCYCLICAE

**SS. D. N. Pii PP. X, quibus consociatio « Mariavitarum » seu sacerdotum mysticorum reprobatur ac supprimitur.**

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPO VARSAVIENSI ATQUE EPISCOPIS PLOCENSI ET LUBLINENSI APUD POLONOS.

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum est nonnullos dioecesium vestrarum, praesertim e iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudomonasti-

(1) Cf. *Acta Pontificia*, Vol. 3 pag. 127.

cam, sub nomine *Mariavitarum* seu *sacerdotum mysticorum* absque ulla legitimorum Praesulum licentia, instituisse, cuius sodales sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulatam, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datam dictitabant, sese totos tanquam pietatis et conscientiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberrima devotionis inter plebem exercitia (ceteroquin, si rite fiant, maxime commendanda) praecipue SSmi Sacramenti adorationem ac frequentissimas Communiones, proprio marte et indiscriminatim promovere; quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminae sanctitate divinaque electione tantisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum,* quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminationibus gravissimis impetere non dubitarunt, ita ut metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supra dicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incoepto molimine haudquaquam destiterunt, nec reprobatae suae consociationi sincero animo renuntiarunt; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despexerint; non solum, effronti quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint; non solum seductam plebem haud uno loco concitarint ut legitimos propellerent pastores; sed etiam, perduellium more, Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiaque defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibique solis, sacerdotibus *Mariavitis,* divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis. Paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Próchniewski, alter Ioannes Kowalski quem Praepositum suum, vi cuiusdam delegationis memoratae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresso Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut aiebant, conscripto, requirebant ut Supremus Eccle-

siae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officii documentum traderet his verbis expressum: « Mariam Franciscam (id est praedictam mulierem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericordiae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis et electis hisce ultimis temporibus mundi; omnibus vero sacerdotibus *Mariavitis* esse a Deo praeceptum cultum SSmi Sacramenti et Beatissimae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu, in toto orbe terrarum, propagare, sine ullis limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a quacumque potestate ecclesiastica vel humana... ».

Quibus ex verbis coniicere voluimus sacerdotes illos, non tam forte conscia superbia quam inscitia et fallaci rerum specie obcoecatos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel: « Vident vana et divinant mendacium dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos; et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait Dominus; cum ego non sim locutus » (1). Hos igitur misericorditer exceptos adhortati sumus ut, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiae ac reverentiae erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae, pluribus in paroeciis dioecesium vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christianae plenius fovendae viderentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotos, ad pedes procumbere obtestarique firmam voluntatem votis Nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto (2) declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abiicere ad rectumque tramitem vellent redire.

« Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei adimplendam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis patuit, parati, sincerrime et laetissimo animo revocamus hanc nostram epistolam, quam die 1 Febr. a. c. ad Archiepiscopum Varsavien. dedimus, et in qua declaravimus nos separari ab eo. Insuper sincerrime et cum gaudio maximo profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie autem cum Episcopo Varsaviensi, unitos esse volumus, quoadusque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc no-

(1) Ezechiel, XIII, 6, 7.
(2) Die 20 Febr. an. curr.

stram professionem omnimodae obedientiae et subiectionis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi coetus Adoratorum SSmi Sacramenti, facimus. Specialiter autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum Plocensium qui propter causam eamdem, uti Mariavitae Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se ab eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum iterumque amorem nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus pacem hanc revera brevi secuturam ».

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniam reversos, operam daturos, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque idcirco Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, conditionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis, ad iuris tramitem, restitueretis.

At spem fefellit eventus; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim « Ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, (prout legitur in epistola diei 17 mensis Decembris 1888 s. m. Leonis XIII Decessoris Nostri ad Turonensem Archiepiscopum) quae nimirum docet ac regit homines iure divino; ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit... Contra, inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maximum, quippe cui Christus non agnos modo sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiur-

gando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur ».

Inanis pariter et subdola sacerdotis Joannis Kowalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Joannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Mariavitarum* consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobatamque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris in sua contumacia perseveraverint, — quod Deus avertat — muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Aprilis MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

## V. — EPISTOLA

**Summi Pontificis ad Rmum Rectorem S. Mariae de Anima in Urbe quinto exeunte saeculo ab initiis hospitii urbani Teutonum.**

DILECTO FILIO IOSEPHO LOHNINGER PROTONOTARIO APOSTOLICO.

PIVS PAPA X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

EXEUNTE, quod propediem fore ex tuis litteris accepimus, quinto saeculo ab initiis urbani Teutonum hospitii, cui praees, recte tu quidem et sacerdotes tui consilium cepistis faustam rei celebrare memoriam, atque in id convocare omnes, quotquot de

gente vestra Urbem incolunt aut per eos dies in Urbem advenerint. Nam primum omnium decet vos beneficia commemorare, quae hoc tanto spatio multa et magna Instituto vestro Deus contulit, deque his sollemnes agere divinae bonitati gratias. Tum in conspicuo ponere aequum est, quantopere ad idem Institutum sustinendum provehendum non modo vestratium liberalitas vestrorumque Caesarum cura, sed etiam perpetua Pontificum Romanorum providentia valuerit.

Nominandus in his praesertim Pius IX fel. rec., cuius auctoritate amplificatum congruenter necessitatibus temporum Hospitium, id est, auctum collegio sacerdotum, qui sacris repolirentur doctrinis ac pontificii iuris prudentiam peritiamque perciperent, multo magis, quam antea, opportunum ac salutare esse coepit.

Nos vero, quum aeque, ac Decessores Nostri, erga vos vestraque affecti simus, libenter saecularia haec sollemnia significatione ornamus paternae benevolentiae Nostrae: cuius testem eamdemque divinorum munerum auspicem, tibi, dilecte Fili, atque omnibus, qui ex isto hospitio collegioque sunt fueruntve sacerdotes, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Aprilis anno MDCCCCVI. Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

## VI. — EPISTOLA

**Pii PP. X ad cl. R. Franck, praesidem Coetus scriptis catholicis per Bavariam edendis.**

PIUS PP. X.

*Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Praestito Nobis a te atque a collegis tuis e spectabili coetu scriptis catholicis per Bavariam edendis, nihil possit esse obsequio iucundius. Eos enim agnoscimus officia Nobis observantiae deferre, a quibus, sodalitatis vinculo coniunctis, quasi atptissimo augendarum virium praesidio, tam multa exspectamus in tuitionem sacrarum Bavariae rationum emolumenta. Quae vobis saluberrimi condendi coetus exstiterint initia, compertum id quidem est; illata scilicet per adversas partes in catholicam professionem arma, ingesta tamen, ut est aetatis ingenio congruum, per eas maxime vias, quae ab omni litterarum genere praesto esse possint. At si decertandum bonis est sive ad custodiendam civitatem Dei sive ad eius amplificandam vim; si, etiam non illud praetereundum dimicantibus bonis est artes artibus esse obii-

ciendas easdem, haec omnia fuere potissimum curae vobis, qui studio tuendae religionis acti, praeclarumque secuti exemplum virorum e sacro ordine, in unum generose coivistis, illas allaturi patriae utilitates, unde laetari Nobis libet in praesens. Magnis propterea laudibus, quemadmodum illustria merita postulant, ornamus cetum, teque imprimis industrium fortemque praesidem, eosque una simul omnes, quos scimus adlaborare animose tecum, immemores sui, memores autem Ecclesiae, cuius certe profectus cum civitatis bono coniungitur. Commoda autem et incrementa Sodalitatis quum cordi Nobis sint, illud Bavariae universae commendamus, quod quidem plurimi in re gravissima refert, ut non modo sacrorum administri, verum etiam, praecipueque, *laici* nomen operi alacritatemque dedant. Omnes namque quotquot catholica fide gloriantur, huic oportet fidei sive protegendae sive honorandae dare operam, et quando aptum prae ceteris opportunumque praesidium in sodalitate vestra est, eidem sese sodales addere. Quoniam vero nullum putandum est litterarum scriptorumque genus ab industria coetus alienum, id equidem expedire omnino atque adeo necesse esse existimamus, ut non ad labores solum, sed ad impendia quoque ferenda, quae sane pergrandia esse non ambigimus, singuli gerant paratissimum animum, ea nimirum erecti atque excitati spe, quae per eos suppeditentur id genus subsidia, perinde ac lectissima pietatis opera ad religionem referri, et ad comparandam animorum salutem conducere. Nostram demum ut operi voluntatem testemur, tibi, sodalibus cunctis, atque iis, qui nomine operave coetui favebunt, auspicem coelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Aprilis anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

# SECRETARIA STATUS

## I. — EPISTOLA

**ad Emum Card. Fisher, qua vaticana Kyrialis editio authentica et omnibus Ecclesiis adhibenda declaratur.**

*Eme ac Revme Domine Mi Obsme,*

VATICANA Kyrialis editio multas, ut Eminentiae Tuae compertum est, disceptationes, apud editores ceteros praesertim, commovit, ita quidem ut pronum sit credere minus justas de ejus indole opiniones fuisse diffusas. Hisce ut occurreret, illud

Beatissimus Pater jussit me declarare Tibi, Vaticanam editionem Kyrialis non equidem esse emissam ut ad tempus tantummodo inserviret, sed esse vere et proprie authenticam ita ut hic et nunc in usum deveniat apud omnes ecclesias. Hujusmodi autem authenticitatis character, communisque pro praesenti tempore usus nihil obstare dicendi sunt quominus si quando, Sanctae Sedis judicio, mutationes aliquae afferendae esse videantur, eaedem induci in laudatum Kyriale, non proximo tamen tempore, possint. Interim Pontifex Summus non dubitat quin recentibus sacrorum concentuum formis Germania omnis obsecundet, eo vel magis quod eadem in natione, id est Argentorati, habita est non multo ante congressio de sacro gregoriano cantu, qua quidem congressione Beatissimus Pater jucunde est affectus.

Dum haec, Suae Sanctitatis mandato, pro Tua atque Archidioecesis notitia Tibi significo, peculiaris erga Te extimationis sensa profiteor, quibus manus Tibi humillime deosculor ac permaneo

Eminentiae Tuae,

humillimus et addictissimus vere fam.

R. Card. Merry del Val.

Romae, die xxvi Januarii, a. 1906.

*Dno Cardinali Antonio Fisher, Archiepiscopo Coloniensi.* - Coloniam Agrippinam.

## II. — EPISTOLA

**Emi Cardinalis Secretarii Status ad Praesides rei catholicae in Italia moderatores de conventu Florentiae habendo.**

*Illmi Signori*

*Conte Stanislao Medolago-Albani, Comm. Paolo Pericoli, Professore Giuseppe Toniolo,*

Il Santo Padre ha appreso con piacere essere ormai prossimo il giorno in cui le Signorie Loro si aduneranno in Firenze coi delegati delle principali Associazioni cattoliche esistenti nelle varie regioni d'Italia, per concretare la definitiva proposta degli Statuti per la Unione Popolare cattolica italiana. L'augusto Pontefice è persuaso che le deliberazioni di tale adunanza confermeranno lo zelo intelligente con cui le prelodate Signorie Loro si sono adoperate a corrispondere alla fiducia che Egli ha in loro riposta, per la pratica attuazione degli intendimenti espressi nella

sua Enciclica dell'11 giugno dell'anno passato (1). Il fine stesso dell'adunanza, indetta per prendere nota delle osservazioni fatte dai rappresentanti delle Associazioni cattoliche italiane intorno al primitivo schema di Statuto, è bella prova del desiderio che hanno le Signorie Loro di fare cose di pratica utilità. Del resto un tale scopo sarà facilitato col prendere, come il Santo Padre desidera che siano prese, a base delle deliberazioni loro, le «norme fondamentali per l'azione cattolica diocesana» che sono state a Lui sottoposte. Non dubita poi Sua Santità che nella libera discussione dello schema di Statuto per la Unione Popolare cattolica italiana, i singoli convenuti vorranno ispirarsi a quello spirito di concordia e a quell'efficace desiderio del bene che devono sempre guidare i rappresentanti delle Associazioni cattoliche. Ma affinchè maggiore sia la copia dei frutti che si attendono dalla prossima adunanza di Firenze, il S. Padre si è degnato di impartire fin d'ora l'Apostolica benedizione a tutti coloro che vi prenderanno parte, e in modo speciale a chi vi dovrà dirigere le discussioni e facilitare il lavoro.

Sono lieto di rendere di ciò consapevoli le Signorie Loro, e colgo volentieri l'opportunità di confermarmi con distinta stima.

Roma, 5 febbraio 1906.

Affmo per servirla
R. Card. Merry Del Val.

---

### III. — EPISTOLA

**Emi Cardinalis Merry del Val a Secretis Status qua Rei catholicae in Italia moderatores laudantur Conventusque Florentiae habitus approbatur.**

*Illmi Signori,*

Il Santo Padre ha preso conoscenza del lavoro presentatogli dalle Loro Signorie dopo il recente Congresso di Firenze, e che comprende, oltre alle norme fondamentali per l'azione cattolica diocesana, i tre Statuti per la triplice Unione fra i cattolici d'Italia, cioè l'Unione popolare, l'Unione economica-sociale e l'Unione elettorale. Sua Santità si augura che questo lavoro, frutto di concorde e diligente studio, possa efficacemente concorrere alla generale organizzazione dell'Azione Cattolica in Italia, sulla base delle norme infallibili del Vangelo, e secondo gli attuali bisogni dei tempi. Inoltre il Santo Padre ha rilevato con piacere che l'azione diocesana, fondamento della generale coordinazione del movimento cattolico in Italia, venga in tali statuti

(1) Cf. *Acta Pontificia*, vol. 3°, pag. 68.

affidata all'alta vigilanza dei Vescovi; ciò è anche una maggiore garanzia per ottenere che nei varii ceti dell'azione siano ammessi soltanto individui cattolici a tutta prova per sentimenti e per pratica, e ne siano esclusi tutti quegli elementi, che volessero giovarsi della causa cattolica per fini secondi e per mire di partito.

Infine il Santo Padre ha espresso alle Signorie Loro la sua particolare soddisfazione ed il suo animo riconoscente per il loro zelo illuminato ed attivo, dimostrato in quella delicata occasione, e per rendere loro maggiormente espressiva la sua paterna benevolenza, li ha cordialmente benedetti tutti e tre nel Signore.

Colgo poi con piacere questa opportunità per confermarmi con sensi di distinta stima

Delle Signorie Loro.

Roma, 24 marzo 1906.

Aff.mo per servirla
R. CARD. MERRY DEL VAL.

## IV. — EPISTOLA

**Emi Secretarii Status ad Emum Card. Goossens de auctoritate suprema Sanctae Sedis abusive non invocanda.**

*Eminence Révérendissime,*

IL a été porté à la connaissance du Saint-Siège que les deux prêtres belges, Daens et Fonteyne, condamnés justement par leurs évêques pour cause d'insubordination et pour avoir fomenté la discorde parmi les fidèles, se permettent constamment d'invoquer l'autorité du Souverain Pontife dans leurs discours et dans les journaux qu'ils rédigent, sans avoir obtenu l'autorisation requise, comme si eux et leurs partisans agissaient en conformité des doctrines et des enseignements du Saint-Siège, et comme si les évêques belges, interprétant mal ces doctrines et ces enseignements, avaient réprouvé et continuaient à réprouver à tort leur manière d'agir.

Le Saint Père, ayant eu connaissance de tout cela, a jugé, dans sa grande sagesse et sa prudence, qu'il est opportun de mettre fin à un état de choses qui pourrait nuire gravement aux interéts de la religion catholique en Belgique. Il est en effet facile de comprendre que si l'on continue à tolérer certains agissements, un certain nombre de catholiques de bonne foi pourraient être induits en erreur, et qu'ainsi, parmi les fidèles, se perpétuerait le germe de la discorde qu'il importe souverainement de faire disparaître.

Le Saint Père veut donc que Votre Eminence sache et fasse savoir en même temps aux évêques et aux catholiques belges

qu'il condamne cette façon d'agir prêtres mentionnés, qui invoquent abusivement l'autorité suprême du Saint-Siège.

Je profite de l'occasion pour vous redire les sentiments de profonde vénération avec lesquels, etc.

Rome, 27 février 1905.

R. Card. Merry del Val.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### Indulgetur Ministro Generali O. FF. Minorum Capuccinorum facultas aggregandi communitates Tertiariorum regularium.

*Beatissime Pater,*

Infrascriptus Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis prostratus, humiliter exponit, quod ipsi interdum a congregationibus Tertiariorum S. Francisci in communitate viventium et vota simplicia emittentium porriguntur preces eo tendentes ut primo et secundo Ordini ab ipso dependenti aggregentur, et sic vi decreti Apostolici (1) sub die 28 Augusti anni 1903 editi a S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, indulgentiarum et spiritualium gratiarum eiusdem primi et secundi Ordinis, quantum concedere fas est, participes efficiantur. Porro inter has congregationes inveniuntur etiam tales, quae non dicti primi et secundi Ordinis habitum, nec nomen Capuccinorum mutuantur, licet tamen, uti relatum fuit, ad magnam Familiam Franciscanam pertineant. Quapropter idem Minister Generalis, ad obsecundandum piis enunciatarum congregationum votis, ad praecavendas invalidas Tertiariorum regularium aggregationes, et etiam ad sui Ordinis bonum spirituale promovendum, Sanctitati Vestrae humiliter supplicatur pro gratia:

1° Ut tam ipse quam sui successores, congregationes Tertiariorum et Tertiariarum Tertii Ordinis S. Francisci regulam a Leone XIII approbatam quoad substantiam profitentium, in communitate viventium et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi Ordinis habitum et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi Ordinis habitum et nomen mutuentur, sive non, eidem primo et secundo Ordini aggregare possint et valeant.

(1) Cf. *Acta Pontificia*. Vol. 1°, pag. 270.

2° Ut earumdem congregationum sodales, si id petant, ut quandoque evenit, participes reddere valeant omnium bonorum operum, quae in dicto primo et secundo Ordine a singulis membris peraguntur, utque vicissim primi et secundi Ordinis membra participare possint omnibus bonis operibus quae a sodalibus congregationum ut supra aggregatarum perficiuntur.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus P. Ministri Generalis pro gratia, dummodo enunciatae Societates sint rite Tertio Ordini Franciscali addictae, nec alterius Familiae Franciscalis seu Fratrum Minorum vel Fratrum Minorum Conventualium directioni subiaceant. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

## S. CONGREGATIO CONCILII

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 24 martii 1906.**

*Per summaria precum:*

176/6

### I. — THEATINA. — IURIUM CAPELLANORUM CONFRATERNITATUM.

NONNULLIS in locis Theatinae Archidioeceseos, cum praeter parochum et capellanum confraternitatis ibidem erectae nulli sacerdotes reperirentur, Pro-vicarius generalis, ex mandato sui Archiepiscopi, in libello S. Rituum Cong. oblato exposuit saepe contingere ut capellanus, aetate plerumque iunior, ad fere omnes functiones sacras in ecclesia confraternitatis peragendas adnitatur, dum parochus continenter ex eo refragatur, quod nil vel admodum parum adventitiorum emolumentorum ipsi cedat. In his adiunctis ut certa norma ad controversias huiusmodi dirimendas habeatur, Pro-vicarius trium dubiorum solutionem humiliter expostulavit.

Quum vero Sacra Rituum Congregatio, audita Commissione liturgica, quae exquisito voto R. Consultoris inhaesit, rem H. S. C. remisisset, quaestio hodie resolvenda proponitur.

En autem quibus verbis facta dubia sunt proposita: quaesitum scilicet est: « 1° Se la risposta al quesito 10° del decreto emanato « da cotesta S. C. in data 12 Gennaio 1704, intorno ai diritti dei « parroci e delle confraternite, riguardi soltanto le messe parate, « quelle cioè che si celebrano con l'assistenza dei ministri, come « pare doversi dedurre dall'aggettivo *solenne* aggiunto a Messa, « o anche le Messe cantate semplici, come pretendono i parroci ».

« 2° Se la risposta al quesito 20° dello stesso decreto si riferi« sca indistintamente a tutti i sudditi del parroco, o solamente a « quelli che sono ascritti alle confraternite ».

« 3° Se i cappellani possono liberamente celebrare tridui e « novene nelle chiese delle confraternite, anche nei giorni non « contemplati negli statuti ».

Ex his dubiis, uti patet, duo priora ad interpretationem sese referunt responsionum quae sunt in celebri decreto S. RR. C. « Urbis et orbis » n. 2123, dato sub die 10 mensis Decembis a. 1703, et a Clemente Papa XI die 12 Januarii 1704 approbato; postremum vero dubium versatur circa triduanas et novendiales preces, de quibus in decreto specialis mentio non habetur.

Interim notandum est Consultorem a S. RR. C. de sententia apposite rogatum, votum hisce verbis conclusisse:

« Ad quaestiones propositas solvendas, prius notandum est sequens decretum S. C. Concilii diei 13 Januarii 1844 (apud Thesaur. resolut. S. C. Concilii, tom. 104, pag. 8-13) *Reatina*, ss. functionum.

Quaesitum est: Dub. I. « *An liceat capellano novenas, triduos « et alias functiones cum expositione et benedictione SS.mi Sa« cramenti explere in oratorio S. Dominici independenter a pa« rocho in casu* ».

Dub. II. « *An liceat eidem capellano missas solemniter ca« nere independenter a parocho in casu?* ». Et S. Cong. Concilli respondit: « Ad Ium et IIum Affirmative in omnibus ad formam de« cretorum Urbis et Orbis S. Congr. Rituum diei 10 Decem. 1703 « (scil. num. 2123), salvo tamen iure Episcopi super licentia bene« dicendi populum solemniter cum SSmo Sacramento prout de « iure ».

« Itaque ad Iam quaest. respondeo *Affirmative* ad primam par« tem, *Negative* ad secundam. Ad IIam quaest. *Affirmative* ad « primam, *Negative* ad secundam partem. Ad IIIam quaest. *Affir« mative*, salvo tamen etc., ut supra ».

Nunc, ut nonnulla attingamus, quae propius ad rem faciant et aliqua rationum momenta hinc inde adducamus, notandum est

primum quod proponitur dubium, verti super responso dato ad 10um in praefato decreto a. 1703. Cum nempe tunc quaesitum esset: « 10° *An celebratio missarum solemnium per annum, sive « pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus* ». « responsum fuit: « *Negative,* prout iacet, sed licere confratribus « dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel « oratorii, ut in *Brundusina,* sub die 1 Iunii 1601 ».

Quae responsio ex parte capellanorum videretur tantummodo respicere missas quae cum ministrorum adsistentia canantur, cum ipsa responsio se quidem referat ad dubium ita tunc concinnatum: « *An celebratio missarum* solemnium *per annum*... « *sit de dictis iuribus parochialibus* ». Iamvero ipse « ritus servan« dus in celebratione missae » qui Missali Romano praemittitur, supponere videtur solemnem missam esse quae cantetur cum ministris.

Quod si ad solemnitatem non opus est concursu populi et apparatu extrinseco, necessarium tamen videtur ut missa cum diacono et subdiacono canatur.

Atque heic animadverti etiam posset quod ex responsione ad 10um videretur celebrationem ipsarum missarum solemnium non esse per se de parochialibus iuribus, quia ad interrogationem hac in re respondetur « *Negative* per se prout iacet »; eo minus igitur dicenda erit de parochialibus iuribus missa quae cum cantu ab uno sacerdote celebratur.

In quam sententiam et Curia Theatina inclinare videtur, dubio ita confecto: « Se la risposta... riguardi soltanto le messe pa« rate, quelle cioè che si celebrano con l'assistenza dei ministri, « *come pare doversi dedurre dall'aggettivo solenne,* aggiunto a « messa, o anche le messe semplici, *come pretendono i parroci* ».

In specie vero quoad missas de requie cum cantu adest dilucidum decretum S. RR. C. diei 10 Maii 1879; « *An liceat in a« liena Ecclesia et apud regulares cantare missam de requie, « quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defun« ctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fue« rint, etiamsi missa exequialis in ecclesia parochiali non cele« bratur* ». Resp. « *Affirmative,* servatis tamen rubricarum regulis ».

E contra ex parochorum parte videretur responsum ad 10um quamlibet missam cum cantu respicere, quia secus ipsius responsionis finis frustraretur, qui fuit confratribus limites hac in re imponere, adhibitis hisce verbis: « licere confratribus dum« taxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel o« ratorii ».

Praeterea dum missa cum adsistentia diaconi et subdiaconi, quia maiores expensas exigit, fit rarior, quibusdam in locis frequens est usus ut sacerdos sine ministris sacrum cum cantu con-

ficiat, quo in casu eleemosyna ipsi celebranti fere integra cedit. Cum vero parochi onus animarum curae persentiant, congruum iustitiae non esset frequentioribus emolumentis ipsos privare.

Parochi autem argumentum adducunt eis taxas super lucris adventitiis a fisco imponi, utpote Curia Theatina exponit: « Gli « arcipreti reclamano continuamente, non solo perchè ritengono « spettare a loro esclusivamente i diritti di stola bianca e nera, « ma anche perchè l'agente fiscale, senza tener conto della rivela « fatta per la liquidazione del supplemento di congrua, aumenta « incessantemente la tassa di ricchezza mobile su gl'incerti ».

Quod si etiam stricto iure missa cum cantu confraternitatibus non fuerit praefato decreto interdicta, tamen id ex aequitate inducendum videretur, adiunctis saltem inspectis dioecesis de qua agitur.

Secundum autem dubium est circa responsum ad 20 eiusdem decreti a. 1703. Cum enim quaesitum esset sub n. 20°: « *An ad pa-* « *rochum spectet facere officium funebre super cadaveribus se-* « *peliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum* », responsum fuit « *Affirmative,* quando tumulandus est « subiectus parocho intra cuius fines est ecclesia vel oratorium ». « Nunc vero proponitur dubium: « *Se la risposta al quesito 20°* « *dello stesso decreto si riferisca indistintamente a tutti i sud-* « *diti del parroco, o solamente a quelli che sono ascritti alle con fraternite* ».

Quoad nempe eos qui confraternitati sint adscripti propatula sunt verba decreti, iusta quæ ius peragendi funus in ipsa confraternitatis ecclesia competit parocho, intra cuius paroeciae fines est ecclesia confraternitatis, si tumulandus eidem parocho est subiectus; quod in aliis decisionibus SS. CC. confirmatum fuit, si vero tumulandus non est subditus parocho intra cuius paroeciae limites est ecclesia confraternitatis, tunc ius funerandi pertinet ad capellanum, ut ex pluribus decisionibus desumitur.

At ex adverso quod spectat ad ipsam formam qua proponitur dubium, adnotandum videtur si responsio ad 20. valet quoad confratres e vita functos, eo magis valere quoad reliquos parochi subditos. Contrario quidem ordine servato, alia proposita fuerunt huiusmodi dubia ad H. S. C. et responsum hoc in sensu prodiit, ut in *Aprutina* 28 Ianuarii 1893, Iuris funerand, in qua ad dubia: 1 *An confraternitates, de quibus supra, exemptae sint, a* « *parochiali iurisdictione, et ius habeant funerandi super cada-* « *veribus illorum qui ad eorum ecclesiam pro funere exponi* « *elegerunt, et ab ipsis deferri ad coemeterium voluerunt, salva* « *tamen parocho quarta funeraria in casu.* 2. *An confraternita-* « *tes quae ordinibus religiosis non successerunt ius habeant fu-* « *nerandi independenter a parocho solummodo super cadaveri-*

« *bus confratrum, salva semper eidem quarta funeraria in casu* » rescriptum fuit: Ad 1um et 2um *Negative et amplius.*

Et hoc eruitur ex ipsa parochiali iurisdictione.

Quoad denique tertium dubium, ex parte parochorum denegandum videretur capellanos triduanas et novendiales preces caeterasque functiones sacras in ecclesiis confraternitatum libere exercere posse. Et parochorum rationes communi iure nituntur, quia ipsi auctoritatem in omnibus ecclesiis et oratoriis habent, ex eo quod in solo et ambitu paroeciae continentur, cap. *Dilectus.* 2 de *cappellis monachorum;* quum e contra confraternitates non ad hoc sint institutae, ut ecclesiasticas functiones obeant et hierarchicum ordinem in Ecclesia perturbent, sed ut, sociatis viribus, actus poenitentiae ac misericordiae opera impendant. Quod eo magis patet, si quis consideret quam caute Apostolica Sedes privilegia regularibus concesserit, quorum merita a laicorum sodalitiis longissime absunt.

Adde quod sacras functiones a digniori peragi convenit, et quidem ab eo qui ex officio vocatur, non vero a mercenario et conductitio operario, qui auctoritatem suam a laicis recipit et non raro rebus novis studere solet.

Et si decretum S. RR. C. a. 1703 edixerit functiones quasdam ex iuribus stricte parochialibus non esse, non ideo eruendum est eas cuilibet sacerdoti competere.

Neque in casu praetereunda est Pro-vicarii generalis relatio quoad ne honestas quidem artes, quibus capellani ad suas ecclesias functiones trahunt, et quoad frequentia nec parva emolumenta quae ita au ferunt parochis.

At ex parte capellanorum videretur triduanas et novendiales preces ceterasque functiones sacras in suis ecclesiis libere peragere posse tiam diebus quae in statutis non adnumerantur; quoad enim functiones quae a statutis praescribuntur, nulla quaestio esse potest, cum statuta confirmata fuerint superiori auctoritate.

Revera ex *cap. ult. de officio archidiaconi* iam eruitur ecclesias positas intra limites parochialis ecclesiae subesse ei tantum in parochialibus iuribus, non quoad alia nisi paroecia causas et rationes suae petitionis afferat, ut argumentatur Benedictus XIV *loc. cit., num. 108;* non apparet autem qua de causa triduanae et novendiales preces parochialibus iuribus pertineant.

Plures decisiones autem SS. CC. huic thesi pro capellanis adstipulantur. Neque decisiones quae prodiere ante decretum a. 1703 attendi debent, sed potius responsiones quae ex tunc datae fuerunt seu post praefatum decretum et in quo sit sequendum indicarunt.

Quibus decisionibus in praesentiarum addi etiam posset urgente nequitia temporum, nulli medio parcendum esse ut fovea-

tur pietas laicorum, praesertim in pia sodalitia coeuntium, promotione inter ipsos ss. functionum.

His utrinque adnotatis sueta sapientia et prudentia EE. PP. proposita dimiserunt dubia, respondentes:

Ad $I^{um}$ « *Per se et generatim loquendo, affirmative ad* $1^{am}$ *partem, negative ad* $2^{am}$ *et ad mentem quae est, ut quoties missa solemnis cum ministris in aliquo loco habitualiter haberi non possit ob cleri defectum, et missa cum cantu sine ministris ordinario stet loco missae solemnis, Archiepiscopus opportunis ordinationibus caveat ne ex hoc rerum statu spiritus legis seu decreti anni 1703 frustretur et abusus subrepant.* »

Ad $II^{um}$ « *Affirmative ad* $1^{am}$ *partem; negative ad* $2^{am}$. »

Ad $III^{um}$ « *Affirmative sub dependentia Episcopi.* »

---

1595
4

II. — AQUILANA. — CATHEDRATICI ET MISSAE PRO POPULO.

Aquilana urbs saec. XIII ad urbis fastigium evecta fuit, post Amiterni Furconiique excidium, opera finitimorum oppidorum, quorum quodque suum vicum cum ecclesia, platea viisque in nova urbe aedificavit, et parochi, qui prius in antiqua sede extra Urbem morabantur, in Urbe residere coeperunt. Progressu vero temporis, aucto clericorum numero, civitatis ecclesiae, prius simpliciter parochiales, ad collegiatae dignitatem evectae fuerunt atque provisum animarum curae in antiqua sede per Vicarium prius amovibilem, postea vero perpetuum.

Haec inter oppida Paganica adnumeratur; atque huc referendum duplicem extitisse Paganicam, quarum altera *ad intra*, altera *ad extra* hodie quoque appellatur.

Anno 1600 Episcopus tunc temporis Vicariam Curatam manualem in ecclesia Paganicae ad extra in perpetuam erexit ei assignans congruam ducat. 50, a Capitulo Ecclesiae Collegiatae Paganicae ad intra praestandam, utpote accidit usque ad annum 1799 quo Capitulum vectigalibus gravatum illam amplius praestare non potuit, quare, interesse habentium consensu, statuit Episcopus Praebendam vacantem in praedicta Collegiata Ecclesia Vicariae Curatae Paganicae ad extra in congruam portionem unire atque assignare, decernens nullum alium hanc canonicalem praebendam possidere eiusque fructus ac redditus percipere posse, nisi Vicarium Curatum terrae Paganicae omnesque eius in animarum cura successores.

Suppressis Collegiatis ab Italico gubernio, etiam Vicariis Curatis extra civitatem assignata sunt congrua paroecialis expensaeque pro cultu.

Odiernus Ordinarius nunc, cum comperuisset quosdam ex praedictis Vicariis Curatis nec Cathedraticum solvere, nec missam applicare pro populo, ratus omnes ad utrumque teneri, illos admonuit ut utrique satisfacerent oneri, sed unus, D. Henricus Iuvenitti Vicarius Curatus S. Mariae de Paganica ei refragatus est asserens se ad neutrum teneri, unde huius controversiae origo.

Ad rectam quaestionis intelligentiam recolendum est, cathedraticum seu pensionem Episcopo annuatim praestandam in signum subiectionis erga ecclesiam cathedralem solvere teneri omnes ecclesiae capellaeque Episcopo subiectae, etsi monasteriis exemptis sint unitae, necnon omnes beneficiatos iuxta redditum beneficiorum, et ab unoquoque beneficiato singulatim solvendam esse.

Quoad applicationem missae pro populo, non praetereundum est omnes, quibus animarum cura commissa est, teneri, iure divino, ad missam pro ovibus sibi commissis applicandam, et quidem parochi tenentur etsi redditus ita sint tenues ut inde nec congruam habeant, nam tenentur non ratione substentationis sed ratione officii.

Huic obbligationi obnoxii sunt nedum parochi sed omnes curam animarum actu exercentes, sive appellentur Vicarii, sive Oeconomi.

Ab hac S. C. alias declaratum fuit Capitulares et beneficiatos etsi habeant praebendas distintas a massa communi, non teneri solvere cathedraticum pro qualibet eorum praebenda ultra cathedraticum in communi. In casu Vicarius Curatus Paganicae ad extra est Capitularis Collegiatae S. Mariae de Paganica ad intra, cum possideat praebendam in dicta ecclesia Collegiata, ergo non tenetur solvere Cathedraticum cum hoc ab Archipresbytero pro omnibus solvatur.

Secundo ne ad missam quidem pro populo applicandam teneri videtur, cum huic obligationi obnoxii sint qui actu curam animarum exerceant, sive nomen parochi obtineant, sive Vicarii vel Oeconomi, sed indipendentes a quocumque alio sint, ita ut veram et propriam paroeciam habeant, nam si quis in cura animarum ab alio dependeat, qui iurisdictionem obtinet super gregem suum, ille non est parochus independens, nec tenetur missam pro populo applicare. In casu Vicarius Curatus terrae Paganicae curam animarum exercere non videtur nomine et iure proprio, sed ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Paganica *ad intra*, quod constat ex pluribus decretis episcopalibus, ergo cum parochialis ecclesia non praesumatur, et cum Vicarius Curatus Paganicae dependeat in sua cura ab Archipresbytero Collegiatae S. Mariae de Paganica, concludi posse videtur ipsum ad missam pro populo applicandam non teneri.

Tamen sequentia ex adverso adverti possunt. Vicarius Curatus Paganicae ad Cathedraticum solvendum tenetur, nam tunc solum solvitur in communi quando nullus suam possidet specialem praebendam, sed sustentatur ex massa communi, prouti ex pluribus decisionibus confirmatur. Hoc nunquam verificatur in praesentiarum, nam, suppressis a gubernio ecclesiis Collegiatis, quisque directe ab eodem gubernio suam congruam recipit et consequenter quisque singulatim cathedraticum solvere tenetur. In casu vero Vicarius Curatus nedum praebendam canonicalem possidet sed alios quoque redditus percipit ratione muneris, nempe incerta ex stola v. g.; quare nisi teneatur qua Capitularis, adstringeretur qua Vicarius Curatus et quidem perpetuus, nam Vicaria perpetua est verum beneficium.

Hac eadem ratione tenetur missam pro populo applicare, qua obligatione eo magis adstringitur, quo vere et proprie parochus independens ab Archipresbytero S. Mariae de Paganica ad intra sit, prouti testatur Episcopus, qui asserit ei administrationem paroeciae competere cum potestate ordinaria in sacramento poenitentiae et matrimoniis, eum possidere fontem baptismalem, archivum parochiale omniaque quae sunt veri parochi et inde omnino independentem retinendum esse ab Archipresbytero Ecclesiae Collegiatae de Paganica *ad intra*. Quod maxime probatur ex duobus decretis ab Archiepiscopo missis, circa divisionem territorialem parochiarum extra moenia, ex quibus non constat dependentiam paroeciae de Paganica *ad extra* ab altera de Paganica *ad intra*.

Quibus rationibus, validis argumentis illustratis, sedulo matureque perpensis, Emi Patres quaestionem dimiserunt decernentes: « *Ad utrumque teneri* ».

2465
3

III. — ANNECIEN. — SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM.

Ex rescripto H. S. C. anno 1903 Episcopus Annecien ad 5um prorogatam obtinuit facultatem ut « cum suis dioecesis parochis super obligatione applicandi missam pro populo solis diebus festis suppressis pro suo arbitrio et conscientia gratis dispensare possit et valeat; ad effectum (accedente eorumdem parochorum consensu) deponendi et erogandi in expositas causas (pro sustentatione scilicet minorum seminariorum dioecesis) eleemosynas ex missis enunciatis diebus festis suppressis celebrandis obventuras ». Nunc idem Episcopus supplici oblato libello duplex petit resolvi dubium ab H S. C. videlicet:

1um Quando parochi diebus festis suppressis celebrant missam cantatam, sive manualem sive fundatam, quae in dominica

praecedenti praenuntiatae fuerit cum inditione diei et horae. Licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesanas pro huiusmodi missis praestitutum?

2um Si missam exequialem cum cantu praedictis diebus celebrant, satisfaciunt ne suae obligationi, mittendo stipendium missae lectae communis iuxta taxam dioecesanam, an debent mittere stipendium missae cantatae iuxta praedictam taxam, salvis iuribus stolae?

Indubii iuris est parochum pro populo sibi commisso singulis diebus festis, etiam abrogatis, sacrificium offerre teneri, quicumque sint paroeciae redditus et nonnisi ex benignitate S. Sedis factum est, ut « si iustae ac rationabiles causae in peculiaribus casibus ad sensum harum litterarum (Const. *Amantissimi* Pii IX. 3 maii 1848) impedimento erant ne aliqui animarum curatores huic praecepto (litandi scilicet sacrum pro populo dictis diebus festis suppressis) satisfacere possent; re ad S. C. diligenter exposita, accedente antistitum illorum commendatione, ac specialiter ad Sanctitatem Suam relatione facta; iidem peculiarem veniam ad certum tempus duraturam assecuti sint, ac etiam nunc assequi soleant ».

Et ne ex hac concessione suspicio oriretur indultum concessum fuisse in parochi commodum et lucrum, eidem concessioni imposita fuit lex tradendi Ordinariis seu impendendi illorum arbitrio in usum pium eleemosynam ex dictae missae obligatione perceptam.

Ex his ergo sequitur integrum in casu omnino stipendium parochos Episcopo tradere teneri, etiamsi missam cum cantu celebrent, quaecumque illa sit manualis seu fundata, salvis tamen iuribus stolae pro missa exequiali.

In casu vero cum indultum datum fuerit expresse et inconditionate favore seminarii, quaecumque fieret subtractio, vergeret in praeiudicium seu damnum ipsius Seminarii. Nec praetereundum, nisi tenerentur parochi integrum refundere perceptum stipendium in pium opus determinatum, abusibus aperiri viam non absque fidelium scandalo.

Verum quia in themate peculiares tituli invocari possunt favore parochorum ad retinendam sibi eleemosynae partem, videndum est quo pretio hi haberi debeant. Inter hos titulos accensentur intentio dantis eleemosynam, et ratio maioris incommodi seu laboris ex parte recipientis, quod valet tum si agatur de missis alicui beneficio adnexis, tum de missis perpetuis alicui sacerdoti demandatis, tum de legatis alicui factis cum onere missarum, tum denique de missis adventitiis.

Atqui in casu sive attendatur intentio eleemosynam conferentium, sive ratio maioris incommodi et laboris parochorum qui missam celebrant, non videtur concludi posse moraliter certo constare pinguius stipendium datum fuisse propter dictos titulos.

Ex altera vero parte favore parochorum animadvertendum est clausulas in rescripto adhibitas benigna ipsorum favore indigere interpretatione. Sane non prohibet indultum, ne iusto extante titulo, possint partem dictorum emolumentorum parochi sibi reservare, nam clausolae non sunt absolutae et exclusivae. Et hunc titulum adesse in casu videtur erui ex peculiari ratione qua missae celebrandae committuntur ab oblatoribus, ut nempe statuatur specialis dies, et determinetur hora, et ab offerentibus exigatur missa cum cantu; hinc dictis extantibus titulis videretur concludi posse concedi moderata stipendii retentio.

Praeterea agitur in casu de parochis quibus a suis parochianis committuntur dictae missarum celebrationes, qui forsan maius offerunt stipendium propriis pastoribus intuitu earundem personarum, quasi grati animi ergo propterea quod labores suos et propemodum vitam spirituali eorum utilitati devoverint.

Quare hisce omnibus perpensis, sueta prudentia atque benignitate Emi Patres propositis dubiis respondendum censuerunt:

« *Ad utrumque affirmative ad 1am partem, negative ad 2am quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum ad quae aliunde parochus obligatus non sit* ».

---

*In folio:*

I. – RUPELLEN. – NULLITATIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Attentis noviter deductis, praevia sanatione actorum, recedendum a decisis et sententiam esse confirmandam* ».

---

II. – PARISIEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

---

3302
4

III. – LUGDUNEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII.

In Ecclesia loci Ceyzerien. dioeceseos *de Belley* in Gallia mense decembri 1893 Ernesta Frings 35 annos agens et Franciscus Roquille annorum fere 24 matrimonium inierunt, aegre tamen hoc ferente patre sponsi, praesertim ob maiorem aetatem sponsae eiusque incertam valetudinem.

Iuxta actoris assertum uxor usque a prima nocte coniugii et semper deinceps constantissime debitum recusavit, nolens incom-

moda maternitatis substinere. Frustra actor eam oravit omniaque excussit media ut eam induceret ad debitum solvendum; quare tres post annos et sex menses vir, eius obstinata resistentia pertaesus, cum ipsa ratione valetudinis recuperandae abesset, ad suos rediit ac definitive sponsam reliquit nec amplius cum illa cohabitare voluit.

Mulier pluries verbis et litteris a viro impetrare conata est restitutionem vitae communis, sed hic, nullam mulieri fidem praebens, suo in proposito permansit, ea praecipue ductus ratione, ut ipse refert, quod certior factus fuerat Ernestam ex quodam illicito commercio ante matrimonium habito filiam genuisse anno 1887, prouti ex actis revera apparet.

Quare ipse petiit obtinuitque a laica potestate sententiam divortii anno 1904, et insuper mense augusto eiusdem anni Summo Pontifici preces porrexit, expetens ut suum matrimonium utpote tantum ratum, apostolica auctoritate solveretur.

Iussu S. Concilii Congregationis mense Octobris eiusdem anni, rite tribunali constituto, in curia processus instructus est, iurata testimonia tum partium tum quatuor testium ex parte viri excepta sunt, quibus accessit iurata mulieris matris depositio.

Cum haec H. S. C. insufficientia visa fuerint, iterum ex mandato eiusdem S. C. eadem Curia mulierem sub iuramento excussit, necnon quatuor pariter iuratos testes ab ea inductos excepit.

Clarissimus vir, qui, de sententia rogatus, in themate scripsit, censet locum esse petitae dispensationi tum de inconsumationis facto tum de causarum legitimitate sufficienter constet.

Advertit in casu nihil probari posse ex iurata coniugum confessione, cum contraria ipsi confirment, nec ad probationem physicam recurri posse, nam mulier ante matrimonium ex illicito amore cum alio viro iam conceperat atque in lucem dederat infantem. Deinde ad examen testium progreditur, sed quum reperiat eos non concordantes inter se citat regulam cononicam iuxta quam. si testes contrarii sint, nec concordatio sit possibilis, videndum est utrum numero et qualitatibus moralibus aequales sint. Quod si aeque pollentes qualitatibus inaequales sint, praeferuntur illi, qui numero sunt plures. Verum in casu testes viri sunt numero plures et maiori credibilitate pollentes, praecipue ii, qui in suis dioecesibus praeclaro officio in foro ecclesiastico funguntur.

Quare omnibus perpensis, seu attento: *a*) virum semper sibi constantem apparere, dum mulier in contradictiones incidit: *b*) plures ex circumstantiis a viro espositis, a testibus confirmari, qui eas ab eodem audierunt tempore non suspecto; *c*) viro favere testes vere fide dignos, inter quos quatuor non sunt solum testes de credulitate, sed quodammodo de scientia, quum rationem affe-

rant, ob quam et ipsi credunt matrimonium non esse consummatum; *d*) testes e contra uxoris nihil scire affirmare quoad consummationem vel minus; *e*) duas extare uxoris epistolas, in quibus ipsa asserere videtur non consummationem; *f*) praeclara extare favore viri testimonia de eius probitate, virtute, pietate, etc., concludit, cum in favorem eiusdem praesumptio sinceritati oriatur, et hinc ei inconsummationem affirmanti credendum sit, non deesse iustas dispensationis causas ut favorabili responso eius preces dimittantur.

Argumentis consultoris adhaereret Vinculi defensor, sed, cum sibi videatur ob discrepantiam inter testes, aliasque circumstantias non satis probatam esse inconsummationem, orationem suam concludit in hanc brevissimam argumentationem: vel S. Consessus vult ut *secundum rigorem* procedatur, et tunc instandum est ut Curia Lugdunensis removere pertentet quoslibet obices ad uberiorem lucem habendam, et hinc conficiat novum actorum supplementum... Vel e contra opportunum retur, etiam attenta speciali conditione viri, qui vere videtur vir commiseratione ac fide dignus, *benigne procedere,* et tunc partibus meis iam absolutis, nihil manet, ni ut suetum decretum edatur: *Constare* etc.

Tamen rebus sic stantibus Emi Patres ad dubium:

« *An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* »

respondendum putarunt:

« *Ex deductis non satis constare de inconsummatione matrimonii* ».

---

1049
4

## IV. — S. SALVATORIS IN BRASILIA. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

In paroecia B. M. Virginis de Oliveira Archidioecesis Bahiensis in Brasilia, Maria Conceicão, quae vix undecim annos agebat, nec adhuc menstruationem passa fuerat, anno 1888 matrimonium celebravit cum Victoriano de Britto. Hae nuptiæ quamvis ex parte sponsae libenter initae fuerint, infauste cessarunt, nam uxoris mater, cum suspicasset Victorianum propriam filiam violasse, ut ad eam in uxorem ducendam adigeret, biseum in carcerem coniicere curavit.

Tali modo celebrato coniugio, iidem sponsi tribus comitantibus viris, matris Victoriani domum petierunt, sed die ipsa vir, qui invito animo contraxerat, relicta sponsa, immediate abiit alioque se contulit, ita ut ne prima quidem nocte cum ea manserit, nec cibum cum ipsa sumere voluerit.

Paucos post dies, Victorianus, nullo habito commercio cum Maria, quam ne amplius quidem inviserat, in regionem longinquam se contulit, et quinque post annos regressus, ut suam ipsius matrem inviseret, iterum abiit non amplius reversurus, quin usque ad praesens sciri possit, num ipse adhuc vivat aut ab hac vita migraverit.

Nunc autem mulier, quae minime parvam ab aliquibus suscepit prolem, et in praesenti cum quodam consanguineo in secundo gradu incestuose vivit, humiliter petit dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

Oratricis precibus benigne indulgendum esse retur optimus vir, qui tamquam Consultor in themate scripsit, nam contendit in primis dubitari posse de valore coniugii ex parte oratricis quia ipsa, tempore celebrationis, nondum expleverat, imo forsan nondum attigerat duodecimum aetatis annum, quin in casu adduci possit malitiam supplevisse aetatem, nam ex confessione ipsius matris tunc temporis actrix nondum menstruationem passa fuerat. Insuper prosequitur dubitari posse de valore coniugii etiam ex parte viri, quippe qui matrimonium non celebravit, nisi coactus a sponsae matre, quae quidem, cum falso existimaret eum filiam violasse, in carcerem detrudi curaverat.

Tamen quiquid sit de nullitate ex parte mulieris ex defectu aetatis, et ex parte viri ex defectu consensus pro certo urget Consultor saltem habendum esse locum dispensationi quum *a*) evidentissime ex unanimi mulieris et testium depositionibus constet nunquam sponsos in ea conditione versatos fuisse qua rei maritali operam dare valerent; *b*) certo certius quoque constet de dispensationis causis.

Quare concludit, cum ex omnibus allatis depositionibus constet de validitate matrimonii, serio dubitari posse, ob impedimenta probabilia sive aetatis sive vis et metus; cum matrimonium haud consummatum fuisset, ac tandem sufficientes adsint causae ad dispensationem petendam in casu, saltem ad cautelam, consulendum esse SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Vinculi defensor argumentis, ac conclusionibus Consultoris omnino adhaerens, putans tamen in casu potius quam de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, agi de nullitate matrimonii ob defectum aetatis, concludit dispensationem concedendam esse ad cautelam.

Et Emi Patres ad dubium:

« *An sit consilium praestandum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* »:

responderunt:

« *Affirmative ad cautelam* ».

## V. — ANDRIEN. — PENSIONIS (*reservata*).

R. « *In decisis* ».

## VI. — METEN. — VENDITIONIS ET REDDITIONIS RATIONUM.

Anno 1890 vertente, Carolus Thilmont, tunc parochus loci Guenange, consilium iniit inibi aperiendi publicum asylum pro pueris catholicis utriusque sexus sive orphanis sive a parentibus moraliter derelictis, ut nedum ad religionem et bonos mores informarentur, sed etiam ad artes aliasque disciplinas instruerentur. Huiusmodi domus excitata et erecta fuit undique collectis publicis subsidiis, ipsa concurrente civili auctoritate et plaudente Curia ecclesiastica. Personalitatem iuridicam non obtinuit novum Institutum, sed ad tramitem legum germanicarum inscriptum fuit quatuor proprietariis, qui illud civiliter repraesentarent, nempe Episcopo tunc temporis Metensi, sacerdoti Vagner, sacerdoti institutori Carolo Thilmont, et personae laicae Muscat; at qui de facto administrationem et directionem asyli gerebat, erat sac. Thilmont, qui progressu temporis aliam laicam personam sibi adiunxerat, nempe Mattheaum Schneider. Auctis puerorum numero et consequenter Instituti necessitatibus, necesse fuit nova creare opificia et alias res sive mobiles sive immobiles acquiri, sed eiusmodi acquistio facta fuit omnino independenter ab alio sacerdote Vagner, et ab Episcopo, qui numquam inducere valuit sac. Thilmont ad reddendam rationem peractae gestionis. Vicissim vero hic asserebat tum pro manutentione dictae domus tum pro novis factis acquisitionibus, pium opus valde aere alieno gravari, ideoque mutuum cum inscriptione hypotecaria super eiusdem pii operis bonis contrahi necesse esse, et ad hunc effectum consensum tum Episcopi tum sac. Vagner expostulabat, sed hi factae petitioni sese opposuerunt, ac demum ad vitandas dissentiones et obiurgationes satius duxerunt eidem Thilmont proprietatem in foro civili retrocedere. Hoc perfecto, haud multo post sac. Thilmont, in carcerem coniectus, obnoxius mansit criminali processui, a quo quamvis absolutus exierit, tamen a civili auctoritate ei sublata fuit custodia et moderatio puerorum Asyli. In hoc rerum discrimen timens, ne pia domus in gubernii manus incideret, certior factus nullum ex parte gubernii impedimendimentum obstare posse, consentiente Matthaeo Schneider, die 6 maii 1902 per contractum emptionis venditionis proprietatem asyli una cum adnexis bonis sac. Thilmont transtulit in religiosam familiam Congregationis a scholis christianis, nuncupatam *de la Mosella* et pretium statutum marcarum 212,000, retentis a

religiosis marchis 93,173.81 pro extinguendo aere alieno dictu asylum gravante, traditum fuit in manibus venditoris Thilmon qui sibi reservavit, et adhuc possidet, quamvis ad asylum perti-nentia, castrum - *de basse Guenange* et praedia Pholert.

Interim actualis episcopus considerans quae a Sac. Thilmont gesta fuerant cum regulis canonicis minime convenire, eum ac-civit ad reddendam rationem, et cum hic renuisset, episcopus peremptorium terminum sub poena suspensionis ipso facto incur-rendae in casu transgressionis eidem praescripsit. Tamen dat praecepto non paruit sac. Thilmont, quem ab Episcopo declaratur fuit incidisse in comminatam poenam.

Verum ex recursu eiusdem sac. Thilmont quaestione ad H.S.C. avocata, cum ipse eidem exhibuerit libros administrationis et in-super impositae conditioni, veniam petendi ab Episcopo, paruerit instante eius patrono, relaxatio irrogatae suspensionis benign indulta fuit.

Valde implexa ac prolixa est praesens controversia, et cum nimis brevior relatio in casu sit detrimento claritati ac cognitior rei, opportunius visum est tantum referre in lectorum commodum dubia eisque responsiones.

Quatuor diluenda Emis Patribus proposita sunt dubia, nemp

I. « *An contractus emptionis - venditionis initus die 6 maii 1*
*a sacer. Thilmont et D. Schneider legitime ac valide in for ecclesiae transtulerit ad Congregationem fr. a christianis scholi dominium bonorum antiqui asyli Guenange et adnexorum in casu* ».

II. « *An sac. Thilmont ius proprietatis seu dominii legitime in foro ecclesiae retineat super castrum basse Guenange et praedia Pohlert in casu* ».

Et quatenus ad 1um et 2um negative.

III. « *An et quomodo Episcopus ius habeat rationem exigendi a sac. Thilmont de administratione bonorum antiqui asyli Gue-nange in casu* ».

IV. « *An et quomodo consulendum sit indemnitati Cong. re-ligiosae: et quomodo ab Episcopo providendum sit erga sac. Thil-mont* ».

Et Emi Patres sueta prudentia respondendum putarunt:

Ad 1um « *Affirmative* ».

Ad 2um *Providebitur in tertio* ».

Ad 3um « *Prout proponitur negative et ad mentem, quae est ut sac. Thilmont Episcopum adeat, ipsique prout decet rationem administrationis reddat, sin minus eam reddat* S. C. ».

Ad 4um « *Dilata* ».

---

## VII. — ALBINGANEN. — IURIUM PAROCHIALIUM.

Capitulum extans in paroeciali ecclesia civitatis Portus Mauritii dioeceseos Albinganen. plus minusve per aetatum decursum semper apud parochum institit, ut tandem aliquando ipsi Capitulo adscriberetur *ius deferendi stolam in associatione cadaverum,* et anno 1674 videtur super hac controversia aliquam habitam fuisse arbitralem sententiam. Anno 1902 Capitulum expostulavit ab Episcopo ut declararet curam habitualem penes Capitulum esse, et praesertim Capitulo competere ius deferendi stolam in cadaverum adsociatione etiamsi non *collective* sed *singillatim* Capitulares intersint. Sed cum adversam sententiam die 29 ianuarii 1903 tulisset Episcopus, contra hanc Capitulum appellationem ad H. S. C. interposuit, et cum res amice componi non posset, instante Capitulo in Curia auditi fuerunt testes utriusque partis circa consuetudinem vigentem quoad delationem stolae in casu. Tamen omnibus peractis parochus actualis Iacobus Thomatis a pro-vicario generali, qui testium depositionem acceperat, petiit et obtinuit ipsas depositiones, quas postea remittere renuit allegans examen peractum non esse ex mandato H. S. C., proindeque eas non habere nisi caracterem privatum et simpliciter informativum, minime vero iudicialem. Contra eiusmodi parochi agendi rationem protestationem Capituli defensor emisit, petens insuper ut idem parochus ad dictas depositiones transmittendas cogeretur, et, concordato dubio, quaestio in comitiis mensis Martii mox elapsi proposita fuit.

Capituli defensor nonnullis praemissis circa relatam quaestionem, contendit ne maiestas H. S. C. vilescat, et ne parochus ex propria malitia lucrum reportet, ei inhibendam esse productionem novorum testium, et insuper iniungendum ut excussa testimonia in suis originalibus a pro-vicario generali accepta exhibeat.

Pergens deinde ad quaestionis meritum primum contendit infirmandum esse decretum episcopi ob quaedam vitia substantialia quibus illud scatet, verum expostulat ut infirmetur etiam ex aliis gravioribus argumentis, quorum principem desumit ex eo quod in Capitulo residet cura habitualis, quae ei competere patet quia collegiata Portus Mauritii est etiam parochialis. Argumentum de cura habituali in Capitulo confirmat ex eo quod Praepositus Collegiatae praeposituram semper obtinuit sine concursu ante Bullas Clementis XI et Benedicti XIV praecipientes concursum etiam pro dignitatibus adnexam habentibus curam animarum. Ex pluribus actibus iurisdictionalibus a Capitulo una

cum parocho exercitis idem argumentum adstruere nititur advocatus, et praesertim ex facto quod in duobus iudiciis a Praeposito intentatis contra parochum finitimum circa finium parochialium delimitationem et cuiusdam funeris vindicationem, ipse in his iudiciis una cum Capitulo egit.

Insuper adnotat advocatus Capitulum nedum habere curam habitualem, sed ei etiam competere nonnulla iura, et quando paroecia est unita ecclesiae Collegiatae et eiusdem Capitulum admittitur ad participationem nonnullorum iurium parochialium, haec participatio praesumere facit in Capitulo inesse curam habitualem; ergo concludit Capitulo curam habitualem in casu denegari non posse.

Hisce ex praemissis advocatus fluere asserit ius deferendi stolam in levandis cadaveribus, eorumque adsociatione, quoties praepositus absit, tribui non posse vice-parocho, nam inter iura quae Capitulum cum praeposito exercet est etiam ius levandi cadavera missam exequialem canendi etc.; igitur si parocho et Capitulo par est iurisdictio in cadavera, aequum profecto est ut absente parocho in iure deferendi stolam quod est signum iurisdictionis, non succedat vice parochus, sed potius Capitulum, seu eius vices gerens.

Ex altera vero parte qui iura Praepositi parochi tuetur, sustinet decretum Episcopi in suo robore manutenendum esse, et ad suum assertum comprobandum, in triplicem partem propriam orationem dispescit, et primum ostendere nititur curam habitualem paroeciae, de qua sermo est, nullo modo Collegiatae competere. Hac priori parte fusiori calamo pluribusque argumentis illustrata, ad alteram suae orationis partem gradum facit, seu ad praetensum canonicorum ius stolam in cadaverum associationibus deferendi, et in primis contendit eiusmodi ius in parochialibus functionibus ad parochos dumtaxat pertinere, at, notat patronus, quaestio praecise non vertitur relate ad casum quo ipse Praepositus parochus funeribus intersit, sed relate ad casum quo parocho et Capitulo non interessentibus ad funera adest tantum vice-parochus, una cum sacerdote sacrista qui de gremio Capituli esse nequit. Absente autem Sacrista, loco eiusdem intervenit unus ex canonicis, et in hoc casu Capitulum contendit ius stolam deferendi canonico competere. Atqui hoc praesumptum ius sustinet advocatus nullo solido niti fundamento. Certum est enim, iuxta ipsum, parochos quum sint ex iure deputati ad universa in exercitium actuum parochialium ex. gr. baptizandi, benedicendi nuptias, etc., sacerdotes quos maluerint delegare posse iuxta tritum adagium: *qui per alium facit, per seipsum facere videtur*. Si igitur parocho exclusive competit ius deferendi stolam in funeribus hoc ius Vice-parocho, qui de animarum cura participat, tribuere valet, nec ulla adest ratio cur hoc ius deb-

gari necessario debeat canonico collegiatae. Demonstrato autem hoc praetensum Capituli ius neque privilegio, neque reservatione, neque consuetudine fundari, in tertia orationis parte patronus quaedam praecipua obiecta canonicorum diluere nititur, et demum concludit sententiam extraiudicialem Ordinarii latam die 29 Januarii 1903 confirmandam esse, reiectis e contra canonicorum postulatis.

Et proposito dubio:

« *An decretum Curiae Albinganensis diei 29 Januarii 1903 sit confirmandum vel infirmandum in casu* »,

Emi Patres, omnibus argumentis rationibusque sueta diligentia perpensis, ac aequa lance libratis, responderunt:

« *Decretum esse confirmandum: et ad mentem, quae est decere ut vice-parochus in concursu cum aliquo canonico ipsi, honoris causa, cedat stolae delationem, salvis ceteris eius iuribus* ».

---

1394/5

VIII. — NEOCASTREN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII *(extra ordinem)*.

TRIGINTA fere abhinc annis in ecclesia Cathedrali Neocastrensi Vincentius Adamo et Teresia Amendola, qui ex patre ignoto geniti fuisse videntur, coniugale inierunt foedus, quod tamen inconsummatum mansisse ferunt. Nam eadem die, qua nuptias celebraverant, quin coniuges soli permanserint, primis vespertinis horis quidam Fortunatus Renda, ballista ignea instructus, cubiculum, in quo coniuges sese simul cum duobus senibus, qui mulierem educaverant, adiit, audacterque Teresiam expostulavit, quae quidem haud obsistens, viro relicto, eundem Fortunatum, cum quo iam antea illicitos per duos annos amores foverat, sequuta est. Teresia adhuc vivit cum raptore suo, et vir aliquot post annos civile iniit matrimonium cum quadam Concepta Pandolfo et cum ea fere viginti tribus annis degit.

Serius ipsi, id est mense martio anni elapsi 1905 propriae conscientiae consulere cupientes supplicem obtulerunt Summo Pontifici libellum dispensationem a matrimonio rato et non consummato expostulantes.

Jussu H. S. C., peracto in Curia processu tam super non secuta matrimonii consummatione, quam super causis dispensationis, quin tamen vinculi defensor deputatus fuerit, quaestio oeconomica proposita fuit iudicio S. C. C.

Petita quadam actorum sanatione ob defectum defensoris vinculi, consultor, qui de sententia hac in re rogatus est, demonstrat sive ex partium, sive ex testium depositionibus desumi legitime posse inconsummationem matrimonii; quare concludit petendam esse a SSmo dispensationem super matrimonio rato et

non consummato in casu, ad quam insuper plures et quidem graves concurrunt rationes.

Hisce conclusionibus adhaeret vinculi defensor; sed cum oratores dispensationem cupiant ut matrimonium faciant, et vir quidem cum Concepta Pandolfo quacum matrimonium civile fecit, mulier autem cum Fortunato Renda eius raptore et amasio, quocum vivit in concubinatu, putat in casu, quonimus legitimum fiat matrimonium, obstare impedimentum criminis, saltem ex adulterio cum promissione de futuro coniugio, quam promissionem in casu quis negare poterit an intercesserit vel minime?

Tamen Emi Patres propositum dubium:

« *An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* »,

dimittere putarunt sequenti responso:

«*Affirmative ad cautelam*».

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**I. — Extenditur ad universas O. S. Benedicti Monialium familias indultum quo quinquies in anno absolutionem generalem recipere valeant.**

*Beatissime Pater,*

HILDEBRANDUS DE HEMPTINNE, Abbas Primas O. S B. ad pedes S. V. provolutus, humillime petit, ut S. V. privilegium, a. b. m. Leone XIII per Breve apostolicum de die 28 Martii 1903 Ordinis S. Benedicti monachis concessum, ut scilicet in perpetuum « quinquies in anno, diebus semel tantum a Primate ejusdem Ordinis designandis, Absolutionem Generalem seu Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia recipere valeant », benigne extendere dignetur ad universas Ordinis S. Benedicti Monalium familias. Et Deus...

SS. D. N. Pius PP. X, in audentia habita die 10 Januarii 19.. ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia juxta preces, servatis conditionibus quae in memoratis Apostolicis Litteris praescriptae sunt. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem C. S, die 10 Januarii 19..

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

*Pro Secret.:* Jos. M. Can. COSELLI, *Substit.*

*Nota.* — Dies a Revmo Abbate Primate O. S. B. in perpetuum designati sunt: Vigilia Nativitatis Domini, Caput Quadragesimae, Vigilia Pentecostes, Vigilia Assumptionis B. Mariae Virg. et Vigilia Omnium Sanctorum.

**2. — Extenditur ad universos fideles indulgentia olim concessa Neerlandis, qui pro conversione Neerlandiae oraverint.**

*Beatissime Pater,*

Superior Generalis Congnis B. M. V. Matris Misericordiae, existentis Tilbergi, Dioec. Boscoducen., ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit quae sequuntur:

Die 11 Junii 1852, per Rescriptum S. R. C., Summus Pontifex Pius IX favore christifidelium in Neerlandia degentium, qui peculiares quasdam preces pro conversione illius regionis recitaverint, benigne concessit: « ut fideles singuli toties, quoties ora« rint pro exposito fine, consequi valeant Indulgentiam ducen« torum dierum, et Plenariam Indulgentiam semel in mense lu« crari dummodo per integrum mensem tali modo orarint, die « qua vere poenitentes ad S. Synaxim accedent, et aliquas etiam « preces fuderint iuxta mentem Sanctitatis Suae ». Cum vero huiusmodi pia praxis, orandi scilicet pro Neerlandiae conversione per diversas orbis regiones iam diffusa reperiatur, humilis orator enixe petit, ut S. V. praefatas Indulgentias ad omnes ex utroque sexu christifideles, ubique degentes, benigne extendere dignetur. Et Deus etc...

SSmus Dnus Noster, Pius Pp. X. in audientia habita die 14 Martii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congnis, die 14 Martii 1906.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

L. ✠ S.

D. Panici, *Archiep. Laodicen. Secret.*

---

**3. — Indulgentiae Archiconfraternitatis a Corde eucharistico Iesu.**

*Beatissime Pater,*

Mathias Raus, Congregationis SS. Redemptoris Superior generalis, nec non Archisodalitatis SSmi Cordis Jesu Eucharistici supremus Moderator, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, suppliciter petit, ut Christifidelibus eidem Archisodalitati addictis, sequentes plenarias indulgentias, defunctis quoque applicabiles, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur, nempe:

I. Quo die SS. Sacramentum in tabernaculo reclusum, in ecclesia Archisodalitatis vel in ecclesiis seu oratoriis ubi aliqua

sodalitas Archisodalitati legitime aggregata reperitur, saltem per dimidium horae adoraverint.

II. Prima dominica vel prima feria quinta cujusvis mensis.

III. In festis et diebus infra descriptis, scilicet: 1. Epiphaniae Domini N. Jesu Christi; 2. Die anniversaria erectionis primae sodalitatis (22 jan.); 3. S. Tarcisii Mart. (27 jan.); 4. Purificationis B. M. V. (2 febr.); 5. S. Thomae Aquinatis (7 mart.); 6. S. Joseph, Sponsi B. M. V. (19 mart.); 7. S. Benedicti J. Labre (16 april.); 8. S. Paschalis Baylon (16 maii); 9. S. Antonii Patavini (13 junii); 10. B. M. V. de Perpetuo Succursu (dominica ante festum S. Joannis Bapt.); 11. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch. (dominica prima mensis julii); 12. SSmi Redemptoris (dominica tertia mensis julii); 13. S. Alphonsi M. de Ligorio (2 aug.); 14. S. Joachim, patris B. M. V. (dominica infra octavam Assumptionis); 15. Nativitatis B. M. V. (8 sept.); 16. S. Theresiae Virg. (15 oct.); 17. S. Gerardi Majella (16 oct.); 18. Omnium Sanctorum; 19. Commemorationis Fidelium defunctorum; 20. Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 dec.); 21. S. Joannis Ap. et Evang. (27 dec.).

Dummodo praefatis diebus iidem sodales confessi ac sacra Synaxi refecti ecclesiam Sodalitatis devote visitaverint, et inibi ad mentem Sanctitatis Vestrae pias preces fuderint.

Et Deus, etc.

*Ex Audientia SSmi diei 22 Novembris 1905.*

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus juxta preces, in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 Novembris, 1905.

A. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

**Non licet clericis sive saecularibus sive regularibus in Gallia candidatos se sistere ad Deputatorum comitia absque consensu proprii Ordinarii ac ordinarii loci ubi se sistunt.**

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI
*die 2 Aprilis 1906.*

QUAESITUM est ab hac S. Congregatione Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita num clericis sive saecularibus sive regularibus in Gallia liceat, in praesentibus rerum adiunctis, candidatos se sistere in proximis electionibus ad Deputatorum

comitia. Re igitur per me infrascriptum Secretarium ad Sanctissimum D. N. Pium PP. X delata, Sanctitas Sua respondere dignata est eisdem id non licere absque consensu proprii Ordinarii, ac Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis.

L. † S.

† PETRUS, Archiepiscopus Caesariensis,
*Secretarius.*

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

**De Matrimonio.**

§ 1. — *Notio, ritus.*

*Notio.* — Matrimonii Sacramentum est unius viri cum una muliere individua consociatio « in facie Ecclesiae » inita ut procreandi appetitui satisfiat et filii christiana ratione educentur instituta.

Huius Sacramenti materia remota, de universali doctorum certa sententia, sunt contrahentium corpora aut proprie eorum in sui conjugis corpus jus. Materia vero proxima est traditio corporum, seu mutua huiusmodi iuris traditio; forma est mutua traditi juris acceptio per verba aut alia signa expressa.

*Ritus.* Ut Matrimonium contrahatur caeremoniae sunt ubique adhibendae quas uniuscuiusque dioeceseos rituale praescribit. Ubi vero caput « *Tametsi* » Concilii Tridentini clandestina vetans Matrimonia non viget, nuptia absque denuntiationibus et ceteris Ecclesiae solemniis ineuntur, sed sufficit « consensus matrimonialis externus ». Hisce tamen in locis « copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione conjugalis contractus censetur, nec pro legitimo Matrimonio agnoscitur » (Leo Pp. XIII, Lit. ap. « Consensus mutuus ».

Nuptiae semper ea quam Ecclesia praecipit ratione in ecclesia parochiali (sed cum Episcopi venia, « laudabilibus concurrentibus causis, etiam in privatis oratoriis in quibus sacrum fieri valeat »), matutino tempore, et, quantum licet, una cum S. Missae sacrificio celebrandae sunt.

Quum jam omnia parata sint et alter sponsorum, etsi absque mortis periculo, adhuc ita aegrescit ut non sine gravi incommodo ecclesiam pro nuptiis petere queat, domi consensum (sacramenti

formam) praestare ex rituali licet; at benedictio nuptialis (si tamen in his sponsis admittatur) opportune in ecclesia tantum supplenda est.

Matrimonia occulta (conscientiae) quae coram parocho et duobus testibus (qui haec secreto tecta servare debent) nullis praecedentibus denuntiationibus celebrantur, quum iisdem quae clandestina periculis subsint difficillime et ex prorsus maximi momenti necessitate (ut quum concubinarii ab omnibus legitime conjuncti habentur) conceduntur. Diligentissime in his casibus inquirendum utrum impedimentum subsit necne et ex firmis testimoniis a praecedenti conjugio libertas in primis comprobanda.

Sacerdotis est qui hisce assistit matrimoniis: 1) ante conjugium contrahentes admonere ut nascituros filios quam primum baptizari curent, legitimos agnoscant, christiane instituant, haereditarium illis ius ne detrahant; 2) de celebrati matrimonii loco tempore et testibus et, quum proles nata fuerit, infra mensem de ejus parentumque nomine, nativitatis loco et die Episcopum certiorem facere qui haec omnia in proprios caute custodiendos libros refert.

§ 2. — *Sacramenti celebrandi ritus.*

Sacerdos, vestibus, quae pro Missa celebranda adhibentur praeter manipulum (at quum continuo post initum matrimonium Missam pro sponsis celebraturus forte non sit, superpelliceo et stola albi coloris) indutus, accepto a sponsis genu ante altare flexis consensu, iubet eos invicem iungere dexteras subiungens « *Ego coniungo vos in matrimonium in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». Mox addit « *Confirma* », etc., ut in rituali docetur

Sequitur inde solemnis coniugum benedictio quae est in propria pro sponso et sponsa Missa. In qua sacerdos, post dominicam orationem, patena extersa in cornu epistolae ad sponsos ita se vertens ut terga sacramento non obiiciat, ex missarum libro qui a ministro manibus coram se apertus tenetur solemnem matrimonii benedictionem (« Propitiare » et « Deus qui potestate », etc.) expansis manibus legit. Qua finita ad medium revertitur altare et quum genu flecterit, Missam prosequitur.

Postquam SS. Sanguinem assumpserit, sponsis Eucharistiam ministrari optimum est, ut magis per hoc intimae cum Christo communionis sacramentum mysticae Christi et Ecclesiae nuptiae reddantur novaque uberius societas foveatur. Dicto « Benedicamus Domino » (vel « Ite Missa est ») ante orationem « Placeat » aliam propriam pro sponsis orationem (« Deus Abraham », etc.)

ritu quo alias (« Propitiare », etc.) legit. Sermone inde gravi mutuam fidem, servandam poenitentiae diebus continentiam, filiorum in Dei timore institutionem sponsis commendet et aqua denique lustrali quum sponsos asperserit Missam perficiat.

Quum christianorum matrimonium Christi et Ecclesiae, ut supra innuimus, communionem adumbret faciliusque sit divini in terris regni dilatandi adiumentum, Missa pro sponso et sponsa aliis praefertur quae festis de praecepto (in parochialibus ecclesiis ubi una tantum Missa habetur etsi suppressis) aut duplicibus I et II classis aut diebus infra oct. Epiphaniae et Pentecostes aut huius vigilia aut octava Corporis Christi die aut die qui duplex II cl. respuat aut tandem (in ecclesiis parochialibus supra memoratis) diebus rogationum et 2° m. novembris celebrantur.

His diebus quibus Missa festi tantum occurrentis celebratur etiamsi duplices I et II cl. Missae nuptialis sub distincta conclusione post orationes a rubricis praescriptas sed ante illas quas Episcopus recitandas iusserit, fit commemoratio et solemnis legitur eiusdem nuptialis Missae sponsae benedictio (« Propitiare » cum « Deus qui potestate » et « Deus Abraham ») post « Pater noster » et ante orationem « Placeat ». Sponsorum enim benedictio extra Missam numquam datur. Quum vero huiusmodi benedictio dari non liceat (ut quum sponsa sit vidua quae benedictionem nondum in aliis nuptiis acceperit, aut matrimonium tempore vetito initur aut cum coniuge non catholico), nec Missa pro sponsis legitur neque commemoratur.

Missa pro sponso et sponsa est votiva privata quae sine « Gloria » et « Credo » celebratur.

Huiusmodi benedictio quae ab Ecclesia (non sub gravi) praecepitur quum continuo post nuptias data non fuerit quam primum in Missa, quae semper etiam si translata, privilegiis quae supra memoravimus gaudet, danda est.

« Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu et rite celebratis singulis matrimoniis dictaque pro singulis a parocho forma: « Ego vos », etc. nihil obstat, quo minus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia » (S. C. Inq. 1 Sept. 1841), Missae tamen orationes et benedictio, plurali non leguntur numero sed « prout in Missali ponuntur ».

Missa nuptialis tum tantum pro sponsis applicatur quum stipendium pro huiusmodi applicatione erogatur.

# RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS
# PUBLICATIONES

**Alfonso** P. **M.** di Gesù. — *La Santa Casa venerata a Loreto*, e la Madonna del Buon Consiglio a Genazzano. Osservazioni logico-critiche con appendice interessante intorno ad uno scritto del P. Leopoldo De Feis Barnabita. Vol. in-8, 310 pag. L. 2.50

**Aubray G.**, — Le problème de la loi de séparation. *La solution libératrice*. Deuxième édition. Vol. in-12 L. 0.75

**Aviñonet** P. **A. de.** — *Biografia del Imo y Rmo Señor D. Pedro Schumacher*, Obispo que fué de Portovieio. L. 2.50

**Bassi** P. **Domenico.** — *Religione interna*. Vol. in-8, 196 pag. L. 2 –

**Belser** Dr. **J.** — *Einleitung in das Neue Testament*. Zweite, vermehrte und verbesserte Auflage. L. 15 –

**Bolo** Abate **Enrico.** — *La piena di Garzia*. (Ave Maria). — Versione italiana del Sac. Prof. G. Gargiulo. Vol. in-8, 230 pag. L. 1.50

**Bolo** Abate **Enrico.** — *Il domani della vita*. (Commemorazione dei morti). Traduzione del P. Ottavo Principe. Vol. in-8, 208 pag. L. 1.50

**Colletti** Can. **Onorato.** — *Di fronte all'avvenire*. Discorsi ai giovanetti che hanno fatto la prima comunione. Seconda edizione riveduta e corretta. Vol. in-8, 318 pag. L. 2.50

**De Glatigny Jean-Baptiste.** — *Les commencements du Canon* de l'Ancien Testament. Vol. in-8, 246 pag. L. 3 –

**De la Mennais F.** — Essai d'un système de *Philosophie Catholique* (1830-1831). Ouvrage inédit recueilli et publié d'après les manuscrits avec une Introduction, des Notes et un Appendice par *Christian Marechal*. Vol. in-8, 430 pag. L. 4 –

**De Seilhac Léon.** — Manuel pratique d'*Économie Sociale*. Guide pour la formation et l'organisation de: Syndacats Agricoles - Associations - Syndacats professionnels - Sociétés coopératives (Consommation. Crédit, Production) - Jardins ouvriers - Sociétés d'habitations à bon marché - Sociétés de secours mutuels. — Divisé en 3 parties: I. Manuel. - II. Législation. - III. Statuts et Formulaires. Vol. in-8, 580 pag. L. 4.50

**Hablitzel** Dr. **J. B.** — *Hrabanus Maurus*. Ein Beitrag zur Geschichte der mittelalterlichen Exegese. L. 3.35

**Hoberg** Dr. **G.** — *Die Psalmen der Vulgata*. Übersetzt und nach dem Literalsinn erklärt. Zweite, vermehrte und verbesserte Auflage. L. 12.50

**Knecht** Dr. **F. J.** — *Compendio de Historia Sagrada*, para uso dos meninos. Versão portuguêsa com algumas narrações e textos tirados da Historia Sagrada do Cónego J. I. Roquette, por um sacerdote brasileiro. Con 46 estampas. Quarta edição. L. 0.50

**Lehmkuhl A.**, S. J. — *Probabilismus Vindicatus*. L. 2.25

**Luzerne**, Bischof de la — *Homilien über die Evangelien der Sonntage und Feste des Herrn*. Aus dem Französischen übersetzt von W. Müller. Mit einer Einführung von Dr. P. W. von Keppler. Vom ersten Adventsonntag bis Epiphanie. L. 2 –

**Maier F.** — *Der Judasbrief*. Seine Echtheit, Abfassungszeit und Leser. Ein Betrag zur Eeinleitung in die Katholischen Briefe. L. 5.50

**Manual de Piedad, Pequeño.** Dedicado a los devotos del Sagrado Corazón de Jesú. Undécima edición, aumentada y mejorada. L. 1.65

# ACTA PONTIFICIA

## I. — BULLA

**Canonizationis Beati Alexandri Sauli e Congregatione Barnabitarum, Episcopi Papiensis.**

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Calamitosis hisce temporibus, quibus Ecclesiæ Dei hostes totis viribus nituntur, christianos greges obsequio et obedientiæ pastorum a Christo constitutorum subducere, eosque ad mortifera pascua impellere; peropportunum accidit ut Beatus Alexander Sauli in Sanctorum numerum adscribatur, qui se totum cunctasque animi et corporis facultates in commissi sibi gregis utilitatem contulit, quemque vivum mortuumque grex fidelium maximo amore et obsequio complexus est. Spei enim locus est, ut tam illustri exemplo proposito, inter christianos pastores ac greges vincula magis magisque coarctentur; et ad mutua implenda munera cum magno christianæ reipublicæ emolumento, utrique incitentur. Nam et discent Præsules, hac de causa populo christiano se esse præpositos, ut spirituali ejus bono nihil antiquius habeant, et ad illud assequendum nullos labores, nulla discrimina subire detrectent; et plebes discent pastoribus a Christo constitutis arctissime adhærescere, eos diligere, dictisque eorum in omnibus audientes esse.

Mediolani natus est Beatus Alexander, xv calendas Martias anno MDXXXIV ex genuensibus parentibus nobilibus piisque, Dominico Sauli et Thomasia Spinola. Latinas, græcasque litteras, historiam ac philosophiam domi didicit, deinde in Papiensi athenæo jurisprudentiam. In his studiis acrioris ingenii adolescentis magni fuerunt processus; majores tamen pietatis ejus atque electissimarum virtutum. Cumque ad perfectiorem vitam a Deo se appellari sentiret, perpetuam ei castitatem vovit, matureque petiit, ut inter nuper Mediolani institutos Barnabitas sodales reciperetur.

Sacras eorum vestes induit anno MDLI, et post trienne tirocinium, quo nisus est virtutum perfectionem adipisci, religiosa vota nuncupavit; cumque biennium in sacris studiis consumpsisset, anno MCLVI sacerdos inauguratus, eo fervore iisque lacrymis sacrum primum celebravit, ut adstantium animos maximo opere commoverit. Delatum sacri concionatoris munus, cum eximia sacrarum disciplinarum prudentia salutisque animarum impenso studio obivit; ita præclaros percepit fructus, multorumque Christifidelium mores emendavit.

Papiam anno MDLVII missus, omnes suas vires contulit ad concionandum, recipiendas confessiones, pueros rudesque docendos, ægrotantes invisendos, morientibus præsto esse, obeunda nosocomia et carceres, adjumento esse adolescentibus qui in Papiensi athenæo studiis vacabant. In eo Barnabitarum collegio docuit philosophiam et theologiam; facultas vero theologalis non doctorem modo eum renunciavit, sed in suum quoque collegium ultro recepit. Sed Papiensis episcopus doctrinam ejus, charitatem, humilitatem miratus, in visitationibus pastoralibus sibi eum exa-

minatorem prosynodalem elegit, negotiumque commisit, ut ad docendum clerum sermones morales haberet.

Verum cum anno MDLXVII Barnabitæ patres Mediolanum convenissent quo supremum sibi moderatorem constituerent, hoc munus in Beatum Alexandrum, quamvis invitum, sed omnium dignissimum, contulerunt. Eo magis ille summa contentione conatus est, virtutum omnium sodalibus eximia exempla præbere, seque ita despicere, ut si illorum omnium esset famulus statutus. Igitur ad eorum commoda persequenda se totum mancipabat, spiritualia tamen temporalibus præponens; quod tum maxime eluxit, cum S. Carolus Borromæus, Mediolanensis Archiepiscopus, ad *Humiliatos* sodales, qui ditissimi erant, corrigendos, consilium agitabat, eos cum pauperibus Barnabitis in unum corpus commiscendi. Nam vehementer restitit Beatus Alexander, cujus opera et consiliis S. Antistes utebatur, veritus ne majus Barnabitæ detrimentum quam emolumentum Humiliati, ex tali permixtione, recepturi forent.

Tres fere annos Barnabitis sodalibus præfuit, quibus ne ullum quidem, in Mediolanensium Christifidelium bonum, suscipere laborem recusavit. Tunc Decessor Noster S. Pius V animo constituit renuntiare eum Episcopum Aleriensem; cujus diœcesis, imo totius Corsicæ insulæ, miserrima erat conditio. Nam rerum ad religionem spectantium summa oblivio; sacræ ædes derelictæ et in profanos usus versæ; sacerdotes desidiosi, rudes, dissoluti; nulli per annum festi dies, nulla jejunia, nulla sacramentorum frequentia. Ad occurrendum tantis malis, peropportuna Pontifici visa est Beati Alexandri charitas et alacre studium. Ut vero consilium hujusmodi Mediolanum innotuit, totis viribus reluctati sunt Barnabitæ ne tam præclarum magistrum amitterent; nec minori contentione reluctabatur ipse Alexander, episcopali se indignum dignitate putans. Ut vero certam expertus est Pontificis Romani voluntatem, se demisse subjecit et IV idus Martias anno MDLXX in æde metropolitana Mediolanensi a S. Carolo episcopus est consecratus.

Ad Corsicam cum applicavisset, Aleriam se contulit; ibi vero, præter arcem, nihil invenit, quod urbis vel oppidi simile esset. Cogebatur itaque huc illuc episcopalem sedem, prout opportunitas vel necessitas ferebat, transferre; cumque in universa diœcesi nullus esset manendi locus, adactus fuit aliquod tempus extra diocœesim, Bastiæ (hæc princeps insulæ urbs erat) manere, ut seminario, juxta leges Tridentinæ Synodi instituendo, sedulam operam navaret. In ea horrida vastaque diœcesi per sacram visitationem obeunda, incredibile est quanti ei labores erant tolerandi. Iter explebat quotidie duodecim vel quindecim passuum millium, equo aliquando vectus, sæpius pedibus, per impeditas semitas, ut dissitas casas ac segregata tuguria adiret; non enim continentia oppida fere occurrebant. Nec cibus in his domunculis præsto erat, nec vinum ad reficiendas vires, nec quiescendi vel manendi locus. Hos labores alacri ipse animo tolerabat, ut pasceret dilectas oves, aiens Deo serviendum esse ubi quaque ipse ratione sibi serviri velit; ac Pauli repetens verba: *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.*

Majores etiam ei subeundi fuerunt labores in Balagna provincia, quam disciplinæ reluctantem expertus, ad eam ipse se contulit et quatuor ibi annos mansit. Exemplo ac verbis sacerdotes excitabat, ut sacris muneribus alacriter fungerentur; pa-

storales obiens visitationes, ægros adibat, sacramenta ministrabat; pauperes, miseros, calamitosos potiores habens, eis erat pecuniæ, eis curæ, eis benevolentiæ largissimus. In tam asperis laboribus sustinendis, quartana febri, cum virium magna imbecillitate correptus est; adeoque morbus invaluit, ut Beatus vir sacro Viatico fuerit munitus. Morbo tandem superato, ad dejectas vires recuperandas coactus est Corsicam relinquere, et aliquot menses Mediolani manere.

Ad diœcesim reversus, fere biennium moratus est in oppido Corte, in media insula sito, ubi potissimum partes vigebant rubeorum ac nigrorum, in quas Corsi dividebantur. Ad eas sedandas ipsi magnopere adlaborandum fuit, atque eximia charitas et fortitudo adhibenda; non enim dubitabat inter armatos pugnantesque se interponere, furentiumque ictibus corpus suum objicere, ut quaque ratione illos ad pacem ac fraternam charitatem reduceret.

Ratus tamen sibi esse consulendum ut episcopi Alerienses stabili quadam sede potirentur, oppidum Cervione, quod viginti millia passuum Aleria distat, ad hoc elegit, eoque anno MDLXXVIII se contulit. Ædificavit ibi cathedrale templum, seminarium, episcopi et canonicorum ædes, et corruens templum cœnobiumque sodalium Franciscalium instauravit. Ad novam episcopalem sedem firmius stabiliendam, cum Romam profectus esset, nuntiatum est in itinere malas tempestates Corsicæ ita agros vastasse, ut nulla jam spes messis superesset. Statim itinere intermisso, Cervionem reversus est, magna vi commeatuum Genuæ Labroneque comparata; quibus tanta prudentia diœcesis pauperes aluit, ut nulli eorum quæ necessaria ad vitam agendam sunt, unquam defuerint.

Eamdem erga oves charitatem exhibuit, proximo anno MDLXXX, quo Corsica pestilentia vastata est. Nam et precibus bonisque operibus Deum placari curavit, et sapientes normas præscripsit ad morbi diffusionem præcavendam; et lue correptis diu ac noctu adfuit, animas eorum et corpora juvans. Quidam quoque eorum narrantur Beati episcopi benedictione ad sanitatem fuisse revocati.

Non raro enim, præsertim trepidis in rebus, ministrum omnipotentiæ suæ Deus fidelem servum fecit. Qui aut futura prævidebat, aut revelabat occulta, aut ingruentes tempestates discutiebat, aut ægrotantes sanabat, aut e cælo eliciebat pluviam, qua sitientes agri recrearentur.

Ita Beatus Alexander, *animam suam dans pro ovibus suis*, Aleriensem diœcesim rexit, usque ad annum MDXCI, quo Gregorius XIV Decessor Noster eum ad sedem Papiensem transferre constituit. Ingens inde et Corsorum dolor, qui dilectissimum pastorem erant amissuri, et ipsius Alexandri, qui oves, quas unum et viginti annos tanto studio paverat, relinquere cogebatur. Ergo Romam perrexit; sed frustra nisus est hanc translationem avertere. Quare, ut honores fugeret, qui singulares ei in Urbe habebantur, Papiam iter suscepit.

Quamquam majores etiam honores ei a Papiensibus parabantur, non oblitis eximiarum ejus virtutum, quas viginti annos jampridem experti fuerant. Itaque inter lætas omnium ordinum significationes et acclamationes, XIV calendas Novembres anno MCXCI, Papiam ingressus, ad vineam Domini excolendam omnes animi et corporis vires intendit. In valetudinariis versabatur, et catechesis christianæ scholis, jamdudum a se institutis; nec pue-

ros ipse docere fastidiebat, et virtutum germina in tenellos animos infundere. Populum, a profanis solatiis abstractum, ad SS. Eucharistiam adorandam cogebat, et incredibili quodam fervore apud eum concionabatur. Divitibus exemplo hortationibusque auctor erat ut opibus suis pauperum indigentiam sublevarent.

In deserviendo Deo nullos labores recusans, absoluta in civitate sacra visitatione, ad eam persequendam diœcesim peragrare cœpit. Cumque pridie calendas Octobres anno MDXCII ad oppidum Calotium advenisset, sequentem diem consumpsit concionans, docens catechesim, confirmationem ministrans, visitans sacram ædem et altaria, atque omnes ad se admittens quotquot eum alloqui petebant. Proxima nocte articulorum doloribus febrique ita correptus est, ut mane e lectulo surgere non valuerit. Ne parocho loci gravis esset, passus tunc est deferri domum Herculis a Robere Calotii comitis, cujus hospitium initio detrectaverat. Febris diebus insequentibus invaluit, additusque, cum acribus doloribus, totius corporis tumor. Hæc hilari vultu tranquilloque animo tolerabat, submissa voce sæpe aiens: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Vitæ totius peccatis patri Rottoli Barnabitæ confessis, instantibus precibus SS. Viaticum petiit, quod allatum ad eum est v idus Octobris, frequenti populo comitante; hoc ut conspexit cubiculum introiens, quamquam fractis erat viribus, de Sacramenti illius excellentia dimidiam horam loquutus, flagranti charitate illud suscepit. Rogantibus de valetudine respondebat: ***Expecto donec veniat immutatio mea.*** Postridie sacro oleo inunctus est. actisque Deo gratiis, quod in extrema hora mentem retineret. precibus animæ commendationis respondit; tum a patre Rottoli petiit ut ex S. Joannis Evangelio Jesu Christi passionem legeret. Id ille aliquanto præstitit; deinde eum immotum perspiciens, jamque mortuum arbitratus, substitit. At beatus vir subito excitatus petiit cur legere supersedisset, addens: Oh quantam hæc intermissio mihi eripuit voluptatem! Instanter rogatus ut rem patefaceret: scilicet dignatus est Dominus, inquit, cælesti visu mihi felicitatem ostendere qua electi ejus fruuntur. Perge sane, perge legere. Igitur, eo legente, levatis oculis in cælum. et leni ducto suspirio, animam placide reddidit Deo, agens ætatis annum octavum et quinquagesimum.

Tam sancti viri amissionem universa diœcesis deflevit. Sed Calontium tanti fuerunt hominum concursus, ut non domus modo, sed oppidi ipsius claudendæ fuerint portæ, quo multitudo paullatim ingrederetur, appetentium pedes manusque Beati episcopi osculari, piasque res ad veneratum corpus admovere. Nec absimilis populi frequentia postridie fuit ad parochiale templum. cum funus eius celebraretur. Deinde per Tanarum, Padum Ticinumque sacrum corpus deductum Papiam; cumque ibi, XVI calendas Novembres, solemnes exequiae eius conficerentur, tanta populi multitudo se ad feretrum iungebat, ut impetus eius, positis custodibus, coercendus fuerit. Tandem, ex eius iussu, in eodem templo humi corpus datum est, ante gradus quibus ad presbyterium ascenditur.

Sepulcro Beati episcopi multus honor habitus est. Cumque, piis turbis accurrentibus, prodigia facta fuerint, loricula, venerationis causa, circumseptum est, ad quam tabulae votivae et oblationes appendebantur. Hanc vero venerationem, quae Sedis Apostolicae nulla venia nitebatur, tolerandam non esse Ioannes

Baptista Billia episcopus ratus, cum nulla via tollere eam potuisset, Romam rem detulit. De ea igitur Cardinalis Bellarminus, qui Sacrorum Rituum Congregationi praeerat certiorem reddidit Paulum V Decessorem Nostrum, qui censuit tam sancti viri publicum cultum non esse omnino abolendum. Ita populi pietati libera via patefacta est; et, ne editis quidem Urbanianis decretis, hac de re quidquam est immutatum, nisi postquam causa beatificationis inita est. Quare et Calotii et Papiae et in Corsica Beatus Alexander publice colebatur. Neque a rudibus tantum hominibus, sed a doctis et prudentibus et sanctis quoque in Sanctis numero habebatur.

Verumtamen Barnabitae sodales, pro pietate quam erga eum fovebant, atque observantia qua Romanam Sedem prosequebantur, ea facultate de Beato Alexandro colendo, quam Paulus V concesserat, non contenti, exoptabant ut Pontifex Romanus solemniori quadam ratione huius cultus auctor fieret. Petierunt itaque ut beatificationis et canonizationis eius causa apud Sacrorum Rituum Congregationem institueretur. Preces eorum benigne excepit Decessor Noster f. r. Gregorius XV, qui anno MDCCXXIII, XV calendas apriles commissionem introductionis huius causae signavit. Quamobrem de virtutibus Beati Alexandri Apostolica auctoritate quaesitum est, diu tamen deinde sustentata est haec causa; donec Clemens XII, anno MDCCXXXII die Natali Domini Nostri, edidit decretum quo sanciebat: *Constare de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Charitate, necnon de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia Servi Dei Alexandri Sauli earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Benedictus XIV, qui Pontificatu Romano Clementem XII excepit, quique Beatum Alexandrum singulari pietate colebat, miracula approbavit, quae requirebantur ut ille in Beatorum numerum referretur; cumque in quaestionum tabulis multa prodigia narrarentur, decreto solemniter edito, VIII calendas februarias anno MDCCXLI, *ex propositis miraculis, duo in tertio genere approbavit, nimirum sextum: fratris Laurentii Mariae Obez, laici professi praefatae congregationis septuagenarii, qui cum ex febri maligna et pustulis animam iam ageret, superposito Ven. Episcopi rochetto, statim sanatus est, die 31 Augusti 1674. Et decimum: Caroli Bertol militis sexagenarii, qui, ut letali pro febre rochetti eiusdem impositione depulsa, gratias ageret, ad Venerabilis Episcopi sepulcrum in sella gestatoria delatus, ac super lapidem stratus, a sexennali etiam crurium debilitate liberatus, repente surgens, domum suis pedibus rediit. die 12 Decembris 1678.* Idem Pontifex, V idus Aprilis eodem anno decrevit tuto procedi posse ad beatificationem Venerabilis Alexandri Sauli, quae paucis post diebus, IX calendas maias anno MDCCXLI, ad Petri penes Vaticanum montem solemni ritu celebrata est.

Nova tamen cum miracula supervenissent, idem f. r. Decessor Noster, IX calendas augustas anno MDCCLIII, commissionem resumptionis causae sua manu signavit. Quae tamen quum ob temporum calamitatem diu deinceps conticuit, tum quod sodales Barnabitae sollicitudinem praecipuam contulerunt, ut Antonio Mariae Zaccaria Patri legifero Sanctorum honores compararent. Hoc, anno MDCCCXCVII inter sanctos feliciter adscripto, ad causam Beati Sauli eo maiore alacritate est reditum, quod, augescente fidelium pietate, nova recentius prodigia evenerant. Quare ab actoribus duo miracula selecta sunt, ad assequendam Beati

Viri canonizationem, alterum quidem ex veteribus promptum, alterum ex recentioribus.

Primo miraculo valetudinem Modoestiae recuperavit Carolus Riva qui altero iam anno inferiorum membrorum et motu et sensu amisso, neque ambulandi neque exercendi sarcinatoriam artem retinebat potestatem, atque eleemosynis sustentare vitam cogebatur. Cumque, Iulio mense exeunte, atque ineunte Augusto anno MDCCXLI, Barnabitae Patres, in honorem novensilis Beati Sauli, in templo Sanctae Mariae a Carrobiolo in triduum solemnia, Carolus ad templi portas, ut stipem quaeritaret, a filio est carrulo vectus, ibique cum esset, a novo Beato sanitatem imploravit, petiitque ut reliquiis eius benediceretur. Vix est benedictus, sensu ac motu temporis vestigio recuperato, e currulo surrexit, et per longum iter domum pedibus rediit, neque amplius, donec vixit, paralysi laboravit.

Alterum miraculum actum est, anno MDCCCIC, XI calendas aprles, in oppido Cerbione Corsicae insulae, in quo iamdudum Beatus Alexander sedem episcopalem fixerat. Hoc miraculo sanitati restituta est Maria Canessa, misera quaedam puella, quae tenuem infirmumque corporis habitum sortita, aetatis anno septimo, correpta est vehementibus crurium doloribus, deinde tumefactionibus, postremo, non in cruribus tantum, sed in reliquo etiam corpore, ulceribus vulneribusque, ex quibus tabes raniesque difflubeat. Ita, saevis excruciata doloribus, viribus destituta, macie confecta, lectulo ut plurimum affixa, ad primum vicesimumque aetatis annum pervenit, nulla spe relicta recuperandae sanitatis. Eo res pervenerat, ut quae ad eam sepeliendam erant necessaria, iam essent comparata; cum conscientiae moderator eam hortatus est, ut quod nequiret ab hominibus accipere, per novendiales preces a Deo, deprecationibusque Beati Sauli, fidenter peteret. Cum dicto audiens illa fuisset, sexto precum die, reeiisse sibi vires sentiens, surrexit iam valens, et ambulavit. Nam vulnera coaluerant, cruciatus omnes evanuerant, nec in posterum de pristino morbo quidquam reverti visum est.

De hisce duobus miraculis triplici, iuxta morem, disceptatione habita, Nos XV calendas maii huius anni solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis: de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Caroli Riva a diuturna et gravi paraplegia, e mielite chronica transversa exorta; de altero; instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Canessa a gravi et diuturna affectione struma-tubercolari.* Deinde IV calendas iunias, iterum decrevimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Alexandri Sauli canonizationem.*

His praemissis constitutisque ut in solemnissima caeremonia cuncta servarentur, quae ab Antecessoribus Nostris, ad celebritatem eius et decus, sunt sapienter praescripta, primum omnes S. R. E. Cardinales XVIII calendas Decembres hoc anno, sententiam quemque suam prolaturos, Nobis in Consistorio iussimus adesse; qui, dilecto filio Dominico Pucci Sisti, Consistorialis aulae advocato, de gestis Beati Alexandri Sauli dicente, audito, Nos uno ore ad causae huius legitimam definitionem sunt cohortati. Interea vero curavimus ut non viciniores modo episcopi, sed et remotissimi quique, de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione ad hoc datas, admonerentur, quo, si facultas esset, sententiam et ipsi prolaturi, Nobis adstarent. Qui ex dissitis regionibus cum non pauci convenissent, mature causa

cognita, tum ex illis quae eo usque gesta fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis habito, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis quorum exemplar singulis traditum est, in Consistorio semipublico, nonis decembribus coram Nobis habito, in eamdem, quam dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinales, sententiam iverunt, cuius rei instrumenta publica a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis delata sunt.

Solemni igitur Canonizationi celebrandae diem praefinivimus III idus Decembres; atque interea communi indicto ieiunio, fideles sumus vehementer cohortati, ut ferventes ingeminarent preces, in iis praesertim sacris aedibus in quibus SS. Sacramentum publice adorandum ex praescripto proponeretur, ut et ipsi ex tanta caeremonia fructus uberiores perciperent, Nobisque, in tam gravi officii Nostri munere, Spiritus Sanctus benignus adesset.

Auspicatissima et optatissima dies quum advenerit, omnes quum saecularis tum regularis cleri Ordines, omnes Curiae Romanae Praesules et Officiales, omnes denique qui in Urbe aderant venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, in Vaticanam Basilicam magnifico cultu ornatam convenerunt; Nosque, iis omnibus solemni supplicatione praeeuntibus, eamdem ingressi sumus Tunc vero dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Octavio Pio Conti Consistorialis aulae advocato, vota Nobis et preces detulit sacrorum Antistitum universaeque familiae Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ut Beatum Alexandrum Sauli, una cum Beato Gerardo Maiella, in Sanctorum numerum referremus. Id cum iterum tertioque iidem Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis aulae advocatus instantius et instantissime egissent, Nos, caelesti lumine ferventius implorato, - ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione et voto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictum Beatum Alexandrum Sauli e Clericis Regularibus S. Pauli, Episcopum Aleriensem et deinde Papiensem, Sanctum Confessorem esse ediximus, - eique eodem decreto, sociavimus B. Gerardum Maiella, virtutum omnium laude et gloria miraculorum praeclarum. Memoriam porro S. Alexandri Sauli quotannis die V idus Octobres recolendam, in Martyrologio Romano notari mandavimus, et Christifidelibus, qui exuvias eius eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique ob tantum beneficium gratias Deo Optimo Maximo ex animo egimus, et solemne Sacrum litavimus. Post Evangelii lectionem, clerum ac populum homilia alloquuti sumus hortans, ut non modo Apostolorum Principes, sed etiam Sanctos novensiles, spei et charitatis pleni, sibi, Ecclesiae universae, hominum societati propitios mererentur. Postremo cunctis adstantibus plenariam peccatorum indulgentiam amantissime impertiti sumus.

Nunc vero omnium Christifidelium oculi in novensilem Sanctum convertantur, qui cum in lustranda per sacram visitationem dioecesi, morte se deprehendi conspiceret, gratias Deo egit inter

pastoralia munera obeunda sibi e vita mortali cedere contigeret. Oh beatum virum! qui, aegra voluntate auctus episcopatu, non est ratus se aliis esse potiorem factum, imo omnium famulatui addictum esse atque mancipatum. Nunquam enim Christi Domini oblitus est verba: *Qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator* (*Luc*, XXII. 26); nec unquam oculos a Christi exemplo avertit, qui de se ipse dixit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (*ibid.*, 27). Quibus igitur non est potestas collata, S. Alexandri Sauli exempla imitantes, eam non exoptent, animo reputantes, magis, in ea oneris esse quam honoris, atque satius esse obedire quam imperare. Qui vero potestate potiuntur, tam eximio exemplo et ipsi edocti, perpetuo recogitent, non in suam, sed in subditorum utilitatem, sibi esse eam datam ut omnes cognoscant et diligant Iesum Christum Dominum Nostrum, eique fideliter serviant.

Omnibus itaque quae erant inspicienda, rite perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere aut attentare praesumpserit, vel ei ausu temerario contraire, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo quarto, III idus Decembres, Pontificatus Nostri anno II.

EGO PIUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus. - Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae. Card. Vannutelli, Maior Poenitentiarius. - Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi. S. R. E. Vice-Cancellarius. - Ego V. Episcopus Praenestinus, Card. Vannutelli. - Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli. - Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla. - Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina. Presbyt. Card. Di Pietro. - Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt, Card. Gotti. - Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata - Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam. Presbyt. Card. Cretoni. - Ego I. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali del Drago. - Ego F. de Paola tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta. - Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli. - Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu. - Ego P. tit. SS. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi. - Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli. - Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gennari. - Ego C. tit. S. Calisti, Presbyt. Card. Nocella - Ego B tit. S. Mariae in Ara Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni. - Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani. - Ego R. tit. S. Praxedis, Presbyt. Card. Merry del Val. - Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodia-

conus Macchi. - Ego A. Soc. Ies. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber. - Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna. - Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti. - Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. della Volpe. - Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto. - Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Tripepi. - Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A. Card. Di Pietro, *Pro-Dat.* - A. Card. Macchi.

*Visa*

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus
*Registrata in Secret. Brevium.* V. Cugnonius.

---

## II. — EPISTOLA

**Qua Pius PP. X laetatur de fide, obsequio et studio Seminarii Theologici Mediolanensis erga Sedem Apostolicam.**

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI. - MEDIOLANUM.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Vigere in Seminario Theologico Mediolanensi fidem, obsequium, studium erga Nos et Apostolicam Sedem, iamdiu noveramus; agnovimus autem nuper ex iis, quas tu curasti ad Nos perferendas amantissimas litteras, atque huius amoris pignus, Petrianam stipem. Id vero scias delectationi fuisse Nobis et solatio. Multa quidem sunt, quae perfunctionem Pontificatus maximi difficilem Nobis laboriosamque faciunt: sed illud in primis Nos angit et sollicitat, quod, quum ad despicientiam auctoritatis proiecta sint tempora, contumaces quosdam spiritus videmus inter bonos quoque serpere: atque huic vitio temporum nonnullos aliqua ex parte indulgere, qui minime omnium debeant. Profecto nihil tam absurdum tamque perniciosum cogitari potest, quam homines sacri ordinis esse ullos, quorum sentiendi agendique ratio obtemperationem et reverentiam Vicario Iesu Christi debitam non plane praeferat. Iamvero quidquam huiusmodi suspicari non licet de alumnis Seminarii tui, in quo sanctissimi Caroli disciplina etiamnum, te accurante, spirat: ac pro certo habendum est, eos omnes futuros tales ministros sacrorum, quales testantur se esse velle, idest Beati Petri Cathedrae toto pectore coniunctos, atque omnibus in rebus dicto audientes Pontifici. Nos interea haec pietatis observantiaeque testimonia libenter grateque amplectimur; eumdemque animorum habitum ut perpetuo tueatur et foveat ad propriam ipsorum et communem salutem divina benignitas, preca-

mur. Ac coelestium munerum auspicem, Nostraeque paternae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili Noster, Seminarii Theologici moderatoribus, praeceptoribus et alumnis, iis praesertim qui sacerdotium inituri proxime sunt, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Aprilis a. MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## III. — EPISTOLA

**Ad sac. Joseph Aertuys e sodalitate SSmi Redemptoris, auctorem operis cuiusdam de Theologia Morali.**

PIUS PP. X

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tuos de morali theologia libros quemadmodum iucundo animo, oblatos muneri, accepimus, ita libenti et grata voluntate dilaudamus. Equidem magister disciplinae tam gravis, qui quinquennia esset quinque in tradenda theologia morum emensus, nullum poterat uberiorem sive scientiae sive usus rerum proferre fructum quam qui editus a te est. In quo non perspicuitas sententiarum placet sola, sed gravitas etiam rerum, optimis suffulta non tam auctorum quam rationum fundamentis; quamquam, si doctorum velimus praestantiam spectare et pondus, eum tibi reperimus delectum habitumque constanter ducem, quem huius studiosus quisque doctrinae inoffenso semper decurrat pede. Quamobrem meritum te praeclare quum de clericis in studia incumbentibus, tum de sacrarum confessionum administris, gratulatione prosequimur et voto; tali nempe voto, ut non modo perficiendae Sacerdotum scientiae prosis abunde, sed etiam parandae facilius fidelibus multis saluti. - Testem benevolentiae Nostrae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam tibi Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Maii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## IV. — MOTU PROPRIO

**De Sacris Congregationibus super Disciplina Regulari et de Statu Regularium Ordinum extinguendis.**

PIUS PP. X

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices, decessores Nostri, congruenter necessitatibus tempo-

rum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus,* Congregationem instituit *super Disciplina Regulari:* quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum,* quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod memoratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis.*

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XXVI Maii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## V. – EPISTOLA

**Pii PP. X commendantis volumen ab Episcopo Rupellensi editum, in quo Loisyani errores refelluntur.**

VENERABILI FRATRI
AEMILIO PAULO EPISCOPO RUPELLENSI ET SANTONENSI. – RUPELLAM.

PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

LIBRUM, quem Nos ipsi ut conscriberes desideravimus, conscriptum inque lucem editum, cum litteris observantissimis, nuper a te accepimus. Argumentum sane scriptionis tuae necessa-

rium quam quod maxime summique ponderis! De refellendis enim erroribus agebatur, qui in volumine quodam Loisyano continentur: quod equidem Apostolica auctoritate Nos damnavimus, atteri adhuc manibus imprudenterque nimis a quibusdam iuvenibus sacri cleri volutari dolemus. Decebat profecto ut ubi error ortus esset atque in primis glisceret, ibi etiam episcopali calamo refelleretur. Hoc te pro tua sapientia praestitisse gratulamur. Dumque tibi de suscepto exactoque labore laudem tribuimus, enixe cupimus et ominamur ut quos inde percipiendos fructus spectasti, uberrime Deus percipi concedat. Scimus plane qua tu diligentia sacri Seminarii alumnis prospicias, ut eam hauriant scientiam, quae non inflet, sed amandatis delirantium fabulis, traditae a Deo veritati respondeat. Pergito atque urgeto, Venerabilis Frater, maximum hoc pastoralis officii munus. Quod ut abunde fortunetur tibi, Apostolicam Benedictionem, pignus benevolentiae Nostrae et caelestium gratiarum auspicem, tibi universoque clero tuo, praesertim vero sacri Seminarii doctoribus et alumnis, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

## SECRETARIA BREVIUM

### I. — BREVE

**Beatificationis Ven. Iuliae Billiart fundatricis Congregationis Sororum Nostrae Dominae Namurcensis.**

PIUS PAPA X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod Ioannes vidit in monte Sion Virginum agmen sequi quocumque ierit Agnum qui inter lilia pascitur, et suavissimum audivit edere canticum quod nemo poterat dicere, luculenter demonstrat quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas ea nimirum vivendi ratio, angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Et sane providentissimus Deus, qui investigabili sapientiae suae consilio, infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat, sanctas saepe foeminas, quae mundi illecebris posthabitis, sese totas coelesti Sponso manciparunt, ad magna et praeclara facinora peragenda excitat, et nefariis ausibus hominum profligatorum divina et humana omnia permiscentium muliebres vires opponit. Ex agmine enim Virginum, quae sequuntur Agnum, aliae intra claustra umbratilem et solitariam vitam ducentes, quasi hostiae voluntariae precibus, ieiuniis et continenti vitae ratione illatas Deo iniurias expiare ac divinam iustitiam compe-

cere student; aliae contra, actuosam in assidua bonorum operum xercitatione aetatem agentes, in nosocomiis, in hospitiis, in cholis et in militaribus quoque castris, sollicita Marthae ministeria sortitae in proximorum emolumentum, industria christianae :aritatis, studio incubunt. Has inter, admirando non minus quam ucundo spectaculo anxiis bonorum animis de sorte iuventutis ıtriusque sexus, tot obnoxiae periculis, ex impiorum hominum liuturno molimine, lectissimae illae sunt foeminae quae virgiıum animis ceu teneris virgultis excolendis, et ad solidam pie:atem doctrinamque informandis, quasi positae custodes in vineis ınimum adiecerunt, juxta illud Ecclesiastici: *Rigabo hortum neum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Hanc illustrem in aciem iure enumeranda est venerabilis Dei famula Iulia Billiart, saeculo decimo octavo Gallici coeli lucidum sidus optime de christiana republica per puellarum institutionem merita, et Mater legifera Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis. In veteris Picardiae oppidulo, cui vulgo nomen *Cuvilly*, dioecesis Bellovacensis intra fines nata et lustralibus aquis abluta est die duodecima mensis Iulii anno millesimo septingentesimo quinquagesimoprimo, et Mariae Rosae Iuliae nomina infantulae sunt indita. Parentes tenuis conditionis habuit, qui agros colentes et exiguam mercaturam agentes, victum sibi suisque quaeritabant. Vix tener animus sese explicuit, constat mirificam in puellula enituisse virtutis indolem, quae quotidie magis confirmata est cum ad eam accederet optima parentum disciplina, qui in Iuliam e natis dilectissimam, curas omnes suas diligenti studio ponebant, ut pia et laboris amans succresceret. Ea aetate, quae maxime solet ineptiis nugisque esse dedita, nihil ipsa pueriliter fecisse dicitur, sed genitoribus ac magistris obsequens et domi ad modestiam composita, ut ne leviter quidem de ea parentes queri possent, curavit. In schola tam uberes brevi progressus fecit et doctrinae christianae praeceptis sic est erudita, ut puella septennis jam eadem in curiali templo aequalibus suis annuente parocho facile posset tradere. Videre erat Iuliam iam zelo illo accensam, quo per vitam integram exarsit, pueros et puellas natalis oppidi ultro ad se accire eosque aeternae fidei rudimenta mira patientia docere. Qua morum innocentia primam aetatem duxerit, ex eo facile coniici potest, quod eidem novenni et jam maximo coelestis convivii desiderio flagranti concessum fuerit, ut Sacrae Mensae particeps fieret, idque secreto, ne ceterarum invidiam excitaret. Sic adolevit dulcis egregiaeque indolis puella, singulari illi christianarum virtutum excellentiae praeludens, quam postea fuit consequuta. Annum agens quartumdecimum aetatis suae, quo coelesti Sponso liberius deserviret, se voto castitatis obstrinxit. Interea coetibus et ludis etiam licitis abstinens saepe in secretum domi seducta, divina mysteria meditabatur, et quotidie domesticis negotiis studiose absolutis, subcessivum tempus in Ecclesia devote ante Sanctissimam Eucharistiam flexis genibus orans insumebat, quasi in coelestium rerum contemplatione defixa, Deum flagitaret ut novas sibi vires animumque adderet ad proximos tribulationis dies tolerandos. Crescentibus enim rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel agrestes labores aggredi non dubitavit, ingenti cum fructu colonorum quos inter ipsa versabatur, haud minus operum socia, quam pietatis magistra. Saepe sub diu dum intermisso labore recederent, illa rusticos homines ad divinas simul

laudes concinendas compellebat. Nondum quintum aetatis lustrum compleverat, cum subito in ipso iuventutis flore, paralysi correpta in lectulo iacuit ubi duos ac viginti annos affixa mirae fortitudinis ac patientiae documentum extitit. Et saevos enim destinati morbi cruciatus aequo iugiter animo sustulit, et exemplo, precibus, consilio, adhortationibus nunquam iuvare proximos intermisit. Pueros et puellas circa lectulum assidentes catechesim docebat saepe adultos homines, sed religionis praecepta non minus ignorantes, dulci eloquio ad eadem mandata servanda atque ad virtutis semitam terendam haud frustra hortabatur. Impetrata a parocho quotidianae Communionis venia, plures diei noctisque horas orationi dicabat, atque orans amore erga Deum ita inflammabatur ut coelestis ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Sed brevi spirituale hoc etiam solatium Venerabili Dei Famulae defuit Nam ea tempestate in Galliis, nefarie Rege interempto, summa rerum in manus profligatissimorum civium venit; hinc teterrima in bonos orta insectatio praesertim in nobiles et ecclesiasticos viros, qui Deo Regique fideles, iuramentum reipublicae detrectabant. Pulso in exilium patrii oppiduli Parocho, Iulia quam iam sanctae vitae fama invisam christiani nominis hostibus dabat, non sine praesenti Dei auxilio mortem effugit. Clam elata, infirmis enim cruribus insistere nequibat, huc illuc saepe ad necem a factiosis hominibus quaesita, perfugit. Itinerum difficultate, coeli inclementia, morbi cruciatibus, et instantis mortis metu confecta vix querulas edere voces poterat, donec fere semianimis Ambianum traducta, penes piam et nobilem foeminam Comitissam de Boudoin securo tandem in asylo consedit. Hic futuri operis sociam Mariam Ludovicam Franciscam Blin, nobilitate generis non minus quam virtutum ornamento praeclaram puellam repperit, quae lectulo Iuliae christianae charitatis spiritu adducta dum assideret arctis se cum paupere infirma spiritalis et frugiferae amicitiae vinculis devinxit. Cum Venerabilis Dei Famula tot etiam ac tanta inter discrimina in apostolatu suo perseveraret, haec nobilis puella accitis ad se quinque aliis sociis ad finem praecipuum tradendi infantibus catechesim, prima posuit religiosae familiae fundamenta, ipsa in domo quae infirmam Iuliam recipiebat; et eam, quae licet decumbens, precibus et consiliis inchoatum opus sospitabat, dulci ineuntis communitatis matris superiorissae nomine coepit compellare. Interea cum paullum civilis tumultus in Gallia resedisset, accidit ut Patres a Fide nuncupati sacrae Missionis causa, duce Patre Varin e Societate Iesu, Ambianum peterent. Hic autor Venerabili Dei Famulae consilii fuit instituendae societatis ad christianam puellarum educationem, hoc adiutore atque auspice frugiferum opus continuo obediens aggressa est. Nam Iulia illis cum paucis, quas sibi adsciverat, sodalibus operam religiosis viris contulit saluberrimam de feminis populi edocendis maxime sollicita, quarum nonnullae in tanta temporum tristitia rudimenta religionis ignorabant. Quo vero utilius commisso apostolico munere fungi posset, pater qui missionibus praeerat nomine Enfantin probe noscens quot uberes, si convaluiset Venerabilis Dei Serva in Dominico agro fructus perceptura foret, labente mense Maio anno millesimo octingentesimo quarto, quasi divino spiritu afflatus, Iuliam ut novendiales Sacro Cordi Iesu preces funderet, flagitavit. Quinto earumdem die ipsam in viridario piae domus Ambianensis de more sedentem adit, ut ambulet iubet, et statim dicto audiens Iulia e sella surgens incedit.

Sic viginti ac duos post annos divinitus propulsata paralysi, novissimo illius novendialis supplicationis die venerabilis Dei famula firmo procedens gressu, mirantibus omnibus adstantibus et Sororibus puellisque, quae dulcibus consolationis lacrymis temperare non poterant, solemnes in communitatis sacello pro recuperata valetudine Deo gratias agere potuit. Alacrior effecta restitutas sibi vires omnes, quantum vitae superfuit in operis suscepti propagationem effudit. Primum Instituto regulas ipse pater Varin dedit: illique nomen factum est: *Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis*. Nec mora; Venerabilis Dei Famula mirandum in modum nullis laboribus parcens, asperrima per aestus per glacies itinera suscepit, et ea numquam fere intermisit, sive ut suae Congregationi nova domicilia excitaret, sive ut iam constitutis melius consuleret. Sed ardua pluribus obiectis impedimentis initia operis fuere, verum iam tot adversis rebus exercita planeque erudita Fundatrix, in Deo confisa numquam animo cecidit, sed sparso felici semine et aucta in dies postulantium et alumnarum numero sollicitudinis constantiaeque condignum brevi praemium tulit. Et sane quamvis Venerabilis Dei Famula Galliam, ubi iam plures aperuerat domos, deserere, et in Belgium una cum Sororibus migrare coacta fuerit, maximos inibi; veluti uberi solo commissa arbor, Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis progressus nacta est. Florentes enim alumnarum frequentia domus pluribus in Belgi civitatibus, magno cum civium plasu et annuentibus Episcopis, erectae sunt, praesertim Gandavii et Namurci qua in urbe Fundatrix domum Congregationis principem collocavit. Ipse autem decessor Noster Pius Papa Septimus dum apud Castrum Fonte-Bellaqueum iniqua in custodia tenebatur, Iuliae ad sua genua provolutae spem bonam dederat, futurae per universum terrarum orbem propagationis tam frugiferi operis pro ecclesiae iuventutis et christianarum familiarum bono feliciter atque ex auspicato instituti. Ab anno millesimo octingentesimo septimo ad annum mortalis aevi supremum, septem in Belgio Venerabilis Dei Famula domos aperuit, quarum pio regimini atque etiam incolumitati, licet inter maximi belli discrimina, mira prudentia prospexit; ac verbo, epistolis, sanctaeque vitae potissimum exemplis, in humilitatis, paupertatis, orationis, charitatis et christianae perfectionis spiritu Instituti sui religiosas sorores confirmavit, ita ut vere suavissimae Sororum Beatae Mariae Virginis appellationi responderent, atque in puellarum institutione, meliori illo uterentur magisterio quod manat ab exemplo, sicut ait Paulus Apostolus: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* Verum tot pro gloria Dei, proximorum salute et Congregationis propagatione laboribus extenuata adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores tres menses aequissimo animo perpessa Mariae Franciscae Blin, dulcissimae amicae et apostolatus sociae, quae Matris a Sancto Ioseph nomen in religione assumpserat et pro viribus in ministerio Fundatricem adiuverat universae communitatis regimen concredidit, atque in obtutu Crucifixi Redemptoris haerens placidissimo exitu obdormivit in Domino, coelestes virginum choros tandem assequuta et Eius aspectu potita *in quem desiderant angeli prospicere* Namurci septimo idus Apriles anno millesimo octingentesimo decimo sexto aetatis suae sexagesimo quinto. Vita functae vultus nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses corruptionis expers repertum est. Quae autem viventem prosequuta est fama sanctitatis ea non

defecit mortuam, sed viguit roborata miraculis quae per eius intercessionem a Deo patrata ferebantur. Religiosa autem communitas ab ea fundata, cui tot christianae familiae, temporibus difficillimis optimam puellarum institutionem acceptam referre debent, haud se Namurci Belgiique finibus continuit, sed a Sancta Sede probata vel in remotissimas plagas brevi se effudit, et sic maternae sanctitatis odor longe lateque manavit. Quare collectis testimoniis, et iuridicis inquisitionibus rite persolutis penes Sacrorum Rituum Congregationem agi coepta est. Et cum Venerabilis Serva Dei adeo multiplici virtute floruerit, ut exempla eius proponi cuivis ferme vitae generi possint, modestiam enim et mansuetudinem cum fortitudine et constantia sociavit, cum urbanitatis officiis patientiam, cum sollicitudine regiminis poenitentiam, cum pietate charitatem, et cum assidua coelestium rerum contemplatione actuosam vitam, ipse Decessor Noster sanctae memoriae Leo Papa decimustertius in sollemni conventu in Vaticanis aedibus in sua praesentia habito plane recordatus est se quo tempore Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebatur, saepissime graves e Clero viros atque etiam Episcopos audivisse praeclarissimae illius foeminae sanctimoniam summis cum laudibus efferentes, et per decretum octavo Idus Ianuarias anno millesimo nongentesimo tertio datum, Venerabilis Dei Famulae Iulia Billiart virtutes heroicum attigisse fastigium asseruit. Inita est deinde actio super tribus miraculis, omnibusque iuridicis probationibus absolutis Nos ipsi per decretum die decima mensis Decembris anno superiore datum de singulis constare diximus. Cum autem de virtutibus ac de tribus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi interrogarentur, utrum Beatorum coelitum honores Venerabili Dei Famulae Iuliae Billiart decerni tuto possent. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Ferrata Causae Relator in generali conventu coram Nobis, in Vaticanis aedibus tertio Kalendas Februarias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum iudicium. Quod cum impense fecissemus tandem Dominica prima Quadragesimae huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis et adstantibus Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto et Dominico Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Ferrata Causae Ponente una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi eiusdem Congregationis Secretario, nec non Reverendo Patre Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart Beatificationem quarto nonas Martias anno millesimo nongentesimo sexto. Quae cum ita sint Nos precibus permoti universae Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Iulia Billiart, Institutrix eiusdem Congregationis, Beatae nomine in posterum nuncupetur eiusque Corpus seu Lypsana seu Reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis

decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de Illa recitetur Officium, Missa celebretur singulis annis de Comuni Virginum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Namurcensi et in omnibus ecclesiis et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Religiosa Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui horas canonica recitare teneantur: et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beatae eiusdem festum agitur confluentibus, servato decreto Sacrorum Rituum Congregationis sub numero termillesimo octingentesimo sexagesimo secundo, Urbis et Orbis, die nona Decembris anno millesimo octingentesimo nonagesimo quinto. Denique concedimus ut Sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart in dioecesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die decimasexta Decembris anni millesimi nongentesimi secundi de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus, fieri intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decimanona Martii anno millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS CARDINALIS MACCHI.

---

## II. — BREVE

### Beatificationis ven. Bonaventurae a Barcinone ex Ordine Minorum.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SALVATOR ac D. N. Iesus Christus, qui *infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat* saepe numero humili atque obscuro loco natos homines, nullis artibus, nulla eruditione, nulla eloquentia, nullo denique instructos humanae potentiae praesidio excitat, ad illustria facinora pro Ecclesiae suae bono et religionis incremento patranda. Inclyta Minorum Fratrum Familia, vertente saeculo decimo septimo, inscrutabilis huius Divinae Providentiae consilii mirabile exemplum prodidit, quum humilis illius laicus Venerabilis Dei Famulus BONAVENTURA A BARCINONE, non sine maximis contentionibus et laboribus tutum communire sodalibus suis asylum ad rigidius ac perfectius vivendi genus ineundum, atque etiam Sacrum in hac Alma Urbe Nostra Recessum fundare

non dubitavit. Nimirum in eo apparuit quantae sit veritatis ac virtutis Summi illa Magistri promissio: ***Qui sequitur me habebit lumen vitae,*** nam divina tantum ope fretus, et propositum sibi finem, omnibus difficultatibus devictis, assequutus est faciliter, et innumeros socios ad sanctitatis semitam decurrendam instruxit et vitae suae actis universo Franciscali Ordini novum decus atque ornamentum addidit.

Anno reparatae salutis MDCXX die novembris mensis quarto et vicesimo, in oppidulo ***Riudoms*** prope Barcinonem urbem Hispaniarum florentissimam, a Michaele Granet et Catharina eius uxore natus, eodemque die lustralibus undis ablutus, Michael Baptista nomen habuit. Parentes tenuis conditionis fuere, sed vitae integri, qui agrorum cultura sibi victum suisque comparabant. Accepta ab iis Christianae pietatis rudimenta, vel a primis annis moribus suis, egregiae indolis puer optime expressit; nugis enim atque oblectementis aetatis illius propriis omnino abstinens ac solitudinis potius silentiique cupidus, innocentia, pudicitia et mira erga genitores obedientia floruit. Scholam non sine laude per breve tempus celebravit, nam crescentibus rei familiaris angustiis, illam deserere coactus, et magistro et condiscipulis magnum sui desiderium reliquit. Itaque custodiae gregis addictus, assiduae rerum divinarum commentationi vacavit, et saepe rusticas ante aras in Virginis Imagine defixus devote flexis genibus orans, suavi illam matris nomine compellebat. Postquam prima vice ad S. Synaxim accessit, cum dilecto Iesu consociatus pius adolescens, ad uberiores efficiendos in virtute progressus curas omnes suas cogitationesque intendit, ideoque religiosas induere vestes, seque Deo totum mancipare summopere cupiebat, Sed licet invito nuptias parabat pater, dictoque audiens Michael, quam ille proposuerat puellam, duxit uxorem. At nuptiarum die laetum fugiens convivium, novus in templo sponsus manebat, Angelorum Dominam fervidis precibus flagitans, ut sibi quaeque vitae comiti virginitatis florem intactum servaret. O praeclarum facinus et angelicae potius quam humanae naturae proprium! Michael a sponsa tuendae puritatis promissionem obtinuit, et donec uxor vixit, videlicet sexdecim mensium spatio, sanctissimi coniuges, non sine Dei praesensione, promissis steterunt. Equidem morti proxima mulier assidenti matri, se Michaeli sororem fuisse, non uxorem, et purum illibatumque Deo corpus reddere fatebatur.

Mortua uxore, atque impetrato tandem genitoris consensu, S. Francisci Assisiensis habitum postulavit; sed Provincialem loci patrem diu reluctantem expertus est, qui denique humilitate ac virtutum Michaelis fama motus illum diuturni voti compotem reddidit. Anno MDCXXXIX aetatis suas decimo nono, die mensis Iulii decimo quarto, quo S. Bonaventurae Doctoris festum agitur, in

Coenobio S. Michaelis oppidi *Escornalbou* asperum Fratrum Minorum sagum, coelestiali laetitia profusus,. assumpsit, et Michaelis in illud auspicatissimum Bonaventurae commutavit. Vix tyrocinium posuerat, iamque in ipso vitae claustralis exordio, Christianae perfectionis formam apprime referre visus est. Religiosae disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem illi umquam defuit, et paupertatem, castimoniam, humilitatem ac virtutes omnes servantem munientemque obedientiam, singulari prorsus studio est prosequutus. Paupertatem ita dilexit, ut in victu cultuque vilissima quaeque semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, munera infima libens impleret et cellam inhabitaret angustiorem. Simplicitatem et candorem cum poenitentia coniungens, innocens corpus ieiuniis, flagellis, vigiliisque compescuit. Ad obedientiam quod attinet mandata praepositorum adamussim servavit, et nullam unquam parendi moram interposuit: tandem in unaquaque virtute ita enituit, ac si ceteris posthabitis, illam unam viribus totis solummodo excoluisset. Ex eo factum est, ut a tyronibus non modo, sed etiam a provectioribus sodalibus absolutissimum Seraphicae vitae exemplar sit habitus.

Tyrocinii anno rite confecto sollemnia vota nuncupavit, atque inter Ordinis laicos cooptatus est. Tarassiae ad S. Agnetis atque in illis Catalauniae regularis provinciae Coenobiis in quibus moram duxit Venerabilis Dei Servus Bonaventura vitae sanctimonia admirationem sibi omnium conciliavit, accedentibus etiam coelestibus signis. Nam cum ipsi conrogandae stipis cura fuit concredita, per compita et finitima loca pedetentim incedens, patientiae et christianae charitatis documenta dedit miranda. Sollertia maxima et flexanimis verbis perditos homines ac dissolutas foeminas e vitiorum coeno revocare nitebatur, aegrotos et pauperes humanis officiis recreabat, alebat. Puerum iam fere animam agentem, obstupescente medico, a suffocationis periculo liberavit.

Saepe dum coqui munus obiret, paratas dapes aut ignis absumpsit, aut et rapuere feles, aut ipse egenis imprudens distribuit, et nihilominus statis horis suavioribus cibis mensa fratrum redundavit. Saepe in extasim coram populo rapiebatur procul a terra, et licet in ipsum, ira aestuans christiani nominis osor, interdum noctu diris cruciatibus et multo verbere saeviret, Omnipotens Deus, qui iam Venerabilem Dei Servum ad maiora vocabat, humilem eundem laicum delegerat, in quo abundantiores gratiae suas divitias ostenderet. Quare ab omnibus Frater Sanctus appellari publice coepit, et cum divino spiritu afflatus Romam adeundi veniam a superioribus, id aegre ferentibus, impetravit, magna christiani populi discessum morantis turba ad portum usque Barcinonensis urbis Bonaventurae est comitata. Sed ille tenax propositi, nec fletu fidelium nec terrae natalis charitate permotus,

navim conscendit, et post varia procellosae navigationis pericula et piratarum incursionem in nomine Domini reiectam Genuam appulit. Inde regulae statuti obsequens, etsi adulta hyeme altis terra rigeret pruinis, longum Romam versus iter pedes emensus est, et primum Sanctam Lauretanam domum invisit, dein Assisium, qua in urbe, dum loca S. Francisci vita et miraculis clara summa devotione lustrat, quod iamdiu coeperat consilium coelesti signo acceptum superis esse persensit. Nam dum noctu ad S. Damiani, coram SSma Eucharistia, orans advigilat, audivit vocem de coelo dicentem: « I Romam laetatum domum meam ». Et sane Ven. Dei Famulus Bonaventura a Barcinone salutare illud propositum animo moliebatur instituendi in Romana Provincia Sacrum pro religionis viris sui Ordinis Recessum, in quo iidem rigidiori ratione Seraphici Patris legem servantes, suae proximorumque saluti atque aedificationi uberius consulere possent; eundemque ad finem ex Hispania ad hanc Almam Urbem ipse properabat.

Vix Romam pervenit anno MDCLIX ianitor in Conventu S. Isidori positus, in humili officio tanta ac tam singulari virtutum praestantia enituit, ut non modo penes confratres, verum etiam penes Romanos omnis conditionis cives magnam sanctimoniae famam adeptus fuerit. Verum ubi primum instituendi Recessum consilium patefecit, innumerae continuo ortae difficultates, ipsis regularibus superioribus mirantibus, quod laicus Hispanus, qui vix litteras calleret, italicae linguae ignarus atque omni prorsus eruditione destitutus, tam arduum opus aggredi praesumeret. Sed destinatus Dei Servus, in Eo tantum sperans qui humiles corde exaltat, adversa cuncta patientia constantiaque vicit. Cardinalis enim Barberinus, Franciscalis Ordinis Protector, Bonaventurae votis annuens, illum ad pedes Alexandri PP. VII rec. memoriae Praedecessoris Nostri adduxit, qui in obscuro laico Dei spiritum agnoscens, Sacri Recessus institutionem probavit, illiusque regulas et statuta ab eodem Dei servo exarata, Apostolicis Litteris quorum initium « Ecclesiae Catholicae regimini » die XXX mensis augusti anno MDCLXII datis, suprema auctoritate interposita sanxit.

Idcirco Recessui Sacro inchoando adsignatus fuit Conventus S. Mariae a Gratiis oppidi Ponticelli in Sabina, montanus ac silvester, sed aptus solitudini ac poenitentiae locus. Plures sine mora religiosi viri Franciscales illuc ad umbratilem vitam, in assidua oratione, ieiunio, et carnis afflictationibus ducendam confluerunt, quibus gratum admodum fuisset, si sanctus institutor ac legifer Recessus ipsius regimen obtineret. Sed renuit humilis laicus praeesse sacerdotibus, atque utpote coquus sodalibus suis maluit inservire, donec a Cardinali Protectore, sub sanctae obedientiae vinculo adstrictus, Custodis munus licet invitus assumpsit. Qua

prudentia commissum officium implerit, qua charitate, qua solertia in timore Dei et virtutum omnium exercitatione, suis potissimum exemplis, sodales confirmaverit, ex eo facile coniici potest, quod recurrentibus impedimentis ac difficultatibus feliciter superatis, primum Montorii, dein Variae in agro Tiburtino duae aliae sacri recessus domus brevi apertae fuerint. His Venerabilis Dei Servus modo uti Custos praefuit, modo uti Commissarius Visitator advigilavit, modo omni abdicata dignitate, dimissis in officiis ianitoris, coqui vel olitoris inservit. Interea sanctitatis illius fama percrebuit in dies *tanquam prodigium factus multis:* quocumque incederet, dimissus et pedes, laeto populorum concursu excipiebatur: inter finitimas gentes veteres simultates iam ad caedem prorumpentes, quasi e Coelo delapsus angelus, adspectu suo tantum composuit; omnesque eum optimum tanquam parentem ducebant sanctumque appellabant, mutationis enim cordium et prophetiae dono divinitus pollebat.

Anno Iubilaei MDCLXXV et Romae, in hoc Orbis Catholici centro, pia Sacri Recessus domus condita fuit. Nam Cardinalis Barberinius, ab eodem Venerabili Dei Famulo a certae mortis discrimine liberatus, illi locum in Urbe ubi Conventum aedificaret quaerenti, penes veteres Caesarum Palatii ruinas solitarium ac praeruptum, spinis et dumetis refertum agri modum donavit. Nulla mora, benefactorum tantum eleemosynis fretus, perarduam ille operam inchoat, et quamvis paupertatis voti observantissimus ne obolum quidem possideret, tamen operarii fabricae addicti ne uno quidem die pacta mercede caruerunt. Ipse Bonaventura, permixtus aliis laicis, saxa et latera congerens, structores adiuvabat, et post plurimos per quinquennii spatium exantlatos labores, coenobio et continenti templo, ad finem adductis, quod templum Deo in honorem S. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris sacrum esse voluit, Venerabilis Dei Servus tum novi Conventus Custos, cum universi Recessus moderator et praepositus est Apostolica Auctoritate renuntiatus. Verum etsi iure ac merito supremus esset sacri Recessus praeses, vilia tamen officia nusquam detrectavit, immo sese in illis versari maxime in deliciis habuit. Itaque dum Recessus coenobia ex demandato sibi officio lustrat diligentissime, nunc Variae, nunc Montorii, nunc in Conventu S. Mariae Gratiarum vel mensae confratrum consulit, vel stipem pro iis, sarcinis onustus, quaeritat, vel infirmis suavibus fraternae charitatis officiis ministrat. At Romae non modo populares, sed viri Principes, Praesules et Sanctae Romanae Ecclesiae etiam Cardinales certatim ad S. Bonaventurae Conventum Dei Famulum allocuturi confluebant, nemo non recreatus abibat, minime deficientibus prodigiis, cum humana subsidia deficerent. Divino enim lumine illustratus cum viris doctissimis de theologicis disceptationibus in-

doctus disseruit, et Patris Assisiensis indolem suavissimam referens, nudo simplicique dicendi genere animorum motus et lacrimas ciebat. Romanis quoque Pontificibus Alexandro VII, Clementi IX ac X atque Innocentio XI Praedecessoribus Nostris rec. mem. acceptissimus fuit, qui humilis laici coeptis annuentes, Sacrum auctoritate sua Recessum firmarunt, eleemosynis sospitarunt, indulgentiis ac spiritualibus gratiis auxere.

At sanctus Fundator dissolvi cupiens et cum Christo esse, hilari vultu *in paradisum*, *in paradisum* repetens, adesse sibi finem persentiebat. Mors autem fuit vitae tam sancte actae plane consentanea. Nam febri correptus, etsi medici eum morti proximum minime subolerent, tamen se triduo moriturum nunciavit et revera die undecima mensis septembris anno MDCLXXXIV, aetatis suae sexagesimo quarto, Ecclesiae Sacramentis rite munitus, benedictis confratribus suis circa lectum adstantibus, placidissimo exitu mortale aevum cum immortali commutavit. Quoniam vero *in memoria aeterna erit iustus,* corpus quidem conditum sepulchro est non sine tumultu Romanorum civium, sancti viri vultum postrema vice invisentium: virtutum vero famam consequentes etiam aetates exceperunt; nam Sacri Recessus opus, ab ipso Venerabili Dei Servo tam strenue propugnatum, uberiora semper in Franciscalis familiae bonum incrementa suscepit; et surgens adhuc medias inter veteris urbis ruinas in Palatino clivo Recessus, a S. Bonaventura nuncupato, quasi testimonium christianae humilitatis super ethnicum fastum victoriam referentis, pluribus in posterum sanctissimis viris tuta fuit sedes, ac potissimum Leonardi a Portu Mauritio apostolatu praefulsit.

Itaque etsi serius propter publicarum rerum in Hispania conversionem de Bonaventurae fama sanctitatis et prodigiis penes SS. Rituum Congregationem causa agitari coepta est, et iuridicis probationibus rite confectis, virtutes illius heroicum attigisse culmen rec. mem. Pius PP. VI Praedecessor Noster decreto edixit XVIII kal. septembres anno MDCCLXXV dato. Inita deinde actio est de miraculis, quae eo deprecante divinitus patrata ferebantur, omnibusque de iure absolutis, Nos Ipsi per decretum diei vicesimi quarti mensis aprilis nuper elapsi super duobus miraculis Apostolica Auctoritate constare sanximus. Cum autem de virtutibus ac duobus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum superarat inquirendum nimirum ut VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Congregationi SS. Rituum praepositi interrogarentur, utrum Beatorum Coelitum honores Venerabili Dei Famulo Bonaventurae a Barcinone tuto decerni possent. Hoc praestitit dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata causae Relator, in generali conventu coram Nobis in Vaticanis Aedibus octavo kal. Maii labentis anni habito, omnesque tum

praedicti Cardinales, cum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda Mente Nostra supersedimus rati exorari Deum oportere ante edendum supremum in re tam gravi iudicium. Quod cum impense fecissemus tandem Dominica tertia post Pascha huius anni, Eucharistico litato Sacrificio accitis adstantibusque Aloisio S. R. E. Cardinali Tripepi SS. Rituum Congregationi Pro-Praefecto et Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata, causae Relatore, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo titulari Laodicen., eiusdem S. Congregationis Secretario ac Rev. Patre Alexandro Verde, Sacrae Fidei Promotore, sollemni decreto sanximus tuto procedi posse ad Venerabilis Servi Dei Bonaventurae a Barcinone laici professi Ordinis Minorum S. Francisci et conditoris sacri Recessus S. Bonaventurae Almae huius Urbis sollemnem Beatificationem.

Quae cum ita sint, universi Ordinis Minorum S. Francisci supplicationibus permoti, Auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Servus Bonaventura a Barcinone, eiusdem Ordinis laicus professus, nomine Beati in posterum nuncupetur, eiusque Corpus et lypsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus, in hac Alma Urbe Nostra eiusque districtu, et in civitate ac Dioecesi Barcinonensi, nec non in templis omnibus et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Ordo Minorum, ab omnibus fidelibus, tam saecularibus, quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus saecularibus sive regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 3862 Urbis et Orbis IX decembris MDCCCXCV. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Bonaventurae a Barcinone in templis supradictis celebrentur ad normam seu instructionem SS. Rituum Congregationis diei XVI decembris MCMII de Triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus, die per Ordinarium designanda intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Denique volumus, ut harum Litterarum exemplis, etiam im-

pressis, dummodo manu Secretarii praefatae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Maii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

L. ✠ S. ALOIS. CARD. MACCHI.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ORDINIS S. BENEDICTI

**Indultum privatim recitandi Officium parvum B. M. Virginis.**

*Beatissime Pater*,

PRAESES Congregationis Benedictinae Bavaricae exponit quod Constitutiones a Capitulo generali recognitae atque Apostolica auctoritate nuperrime confirmatae, sub n. 93 praeascribunt. « Conversi pro Officio divino Dominicis et festis de praecepto Officium parvum Beatae Mariae Virginis communiter recitant; aliis vero diebus SSmi Rosarii quinque decades cum una ex litaniis approbatis ». Porro quum in quibusdam monasteriis in usu iam sit quotidie recitandi publice Officium parvum Beatae Mariae Virginis lingua latina, vespere autem litaniam una cum precibus vespertinis necnon privatim SS.mum Rosarium, humiliter declarari postulat:

I. An Fratres conversi celebrare possint Officium parvum B. M. V., quod in Breviario invenitur, etiam diebus infra hebdomadam?

II. An iidem Fratres, non obstante supra relata Constitutionum praescriptione, illud recitare valeant lingua latina?

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, Praesidi Congregationis Bavaricae, firmis remanentibus Constitutionibus, facultatem tribuit permittendi ut Fratres conversi, qui hucusque Officium B. M. V. quotidie celebrare solebant publice, ex mera devotione privatim persolvere valeant, servata, quoad linguam sive latinam sive vernaculam, uniuscuiusque monasterii consuetudine.

Romae 29 Ianuarii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S. PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius*.

# S. CONGREGATIO CONCILII

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. Congregationis de iure resoluta in generalibus comitiis diei 19 maii 1906.**

*Per summaria precum:*

I. – NUSCANA. – CONGRUAE CURATAE SEU ORDINATIONIS CAPITULI (*Reservata*).
R. « *Ad mentem* ».

---

II. – CERVIEN. – DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.
R. « *Dilata et ad mentem* ».

---

III. – FULGINATEN. – SUBSIDII QUOAD PRAEBENDAS CANONICALES ECCLESIAE CATHEDRALIS (*Reservata*).
R. « *Ad mentem* ».

---

*In folio:*

I. – ROTHOMAGEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII (*Sub secreto*).
R. « *Affirmative ad cautelam* ».

II. – VILNEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII (*Sub secreto*).
R. « *Affirmative ad cautelam* ».

---

3020
4

III. – SYRACUSANA. – NULLITATIS MATRIMONII.

Duobus mensibus vix transactis a nuptiarum propositione, semel, hoc brevi tempore, abruptis inter contrahentes de nuptiis tractationibus, omnino suasionibus, minis et verberationibus quidem a patre coacta, Caelestina Spagna ex Panormitana urbe oriunda et domicilium a teneris annis Syracusis habens, vix decimum octavum aetatis annum attingens mense octobris 1883 nuptias celebravit cum Michaele Grassi annorum 27, quamvis ex intimo corde amore quendam alium iuvenem prosequeretur.

Infelicem obtinuit exitum eiusmodi matrimonium, nam quamvis sponsi communem vitam instituere coeperint, invitum vir mulieris animum etiam pro debito coniugali cito expertus est, et mulier postquam, eadem tamen semper perdurante in virum

aversione, duodeviginti fere mensibus cum eo cohabitaverit, eum reliquit ac Panormum suum apud avunculum confugit. Ferunt eius patrem eiusmodi facti cum poenituisset, filiam paternam in domum revocasse, ubi ipsa ex hoc tempore mansisse videtur, quin amplius vita coniugalis instaurata fuerit.

Postea eadem mulier a laico tribunali petiit dieque 25 augusti 1891 sui matrimonii nullitatis sententiam obtinuit, et mense iulii 1893 Syracusano Archiepiscopo libellum obtulit, efflagitans ut processus instrueretur pro declaranda ex capite vis et metus sui matrimonii nullitate.

Die praeterea 28 octobris eiusdem anni, oratrix alio supplici oblato libello, poposcit ut matrimonii nullitas etiam ex capite impedimenti consanguinitatis decerneretur, a quo invalide ob vitium obreptionis ab ipso Archiepiscopo eos dispensatos fuisse contendebat. Narrant enim dioecesanam curiam a parroco Zivillica, nunc demortuo, deceptam fuisse, nam hic in petitione facienda falso duplicem causam pro dispensatione impetranda alligavit, videlicet nimiam sponsorum familiaritatem ante matrimonium habitam, eorumque paupertatem, qua solummodo stante, Siciliae Archiepiscopis facultas a Pio IX per const. *Multis gravissimis* tributa est dispensationem concedendi in tertio et quarto consanguinitatis gradu.

Syracusana Curia die 31 Maii 1904 nullum declaravit matrimonium et cum sacri vinculi defensor de more ab hac sententia appellasset, eadem causa iuxta Apostolicam Constitutionem Pii IX ad Curiam Calatahieronensem senioris suffraganei episcopi delata est, sed, partes licet a iudice delegato ad comparendum citatae fuerint, vadimonium deseruerunt.

Verum postea suum matrimonium civili, uti vocant, ritu contractum iam a pluribus annis legitimare exoptans, vir anno 1914 institit ut eadem causa pro matrimonii sui cum Coelestina contracti nullitate declaranda in gradu appellationis pectractaretur.

Rebus sic stantibus, ad hanc S. C. transmissis actibus, Consultor, qui in hoc themate scripsit suamque aperuit mentem, nullitatem matrimonii fusiori calamo demonstravit tum ex capite vis et metus, tum ex capite impedimenti consanguinitatis ob vitium obreptionis in obtenta dispensatione.

Hisce conclusionibus plene vero inhaesit Vinculi defensor, qui praeterea ab omni animadversione in merito consulto abstinuit. Quare Emi Patres ad dubium:

« *An sententia Archiep. Syracusanae Curiae, diei 31 maii 1904 prolata, sit confirmanda vel infirmanda in casu* »,

responderunt:

« *Sententiam esse confirmandam* ».

IV. — AQUINATEN. — PRIVATIONIS PAROECIAE (*Reservata*).
R. « *Ad mentem* ».

3972
4

V. — POTENTINA. — IURIUM.

In oppido *Avigliano* Potentinae Dioeceseos extat Ecclesia receptitia sub titulo B. M. V. e Carmelo. Huius Archipresbytero in animarum cura ipsiusque paroeciae administratione vicissim per hebdomadas vicariam operam usque praebuisse videtur totus eiusdem ecclesiae clerus, eumque ab immemorabili e communi massa, quae parochi congruam efformabat, caeterorum instar e receptitio clero, aequalem percepisse partem ferunt, licet ex quodam huius Ecclesiae Statuto - *Piano della Chiesa* - maior pro ipso, scilicet 200 duc. summa statuta fuerit.

Quoad utriusque stolae incerta dividenda inter Archipresbiterum et Clerum dictae ecclesiae in articulis 18 et 19 Instructionis 18 nov. 1822 haec statuta sunt:

« Art. 18 - iura paroecialia minora, dicta quoque stolae albae et « nigrae, dispescentur in duas partes aequales, quarum unam paro- « chus habebit, alteram vero inter omnes participantes distribuetur ».

« Art. 19. In defunctorum adsociationibus parochus, cum in- « terest sive per se, sive per alterum sacerdotem, semper dupli- « cem obtinebit portionem ».

Archipresbyter Pace, qui nunc paroeciam obtinet, dictam ducatorum 200 summam pro congrua a Gubernio relictam in communem, prouti antea a suo decessore factum fuerat, contulisse massam videtur spatio 18 vel 19 annorum, donec anno 1904 obtentis, pro congruae ipsius paroeciae augmento. libellis mille, prout refert Episcopus, motu proprio, quin nempe edoceret Episcopum, sibi retinuit integrum beneficium cogruae parochialis; motu proprio totum clerum receptitium dimisit a cura et administratione spirituali paroeciae, eligit ac nominavit quatuor novos coadiutores, quarum duos paulo ante Episcopus privaverat facultate *ad audiendas;* item motu proprio disposuit quoad libellas mille, eas dispescens novis coadiutoribus. Ex his omnibus, innumerae exortae sunt reclamationes et querelae inter clerum receptitium, quarum vero non defuit echo inter fideles.

Quare idem Episcopus die 18 octobris 1904 decrevit ac mandavit « *Nihil esse immutandum* saltem usque dum responsum « auctoritativum non habeatur ab Episcopo Ordinario, vel a S. C. « Congregatione rem definiente »; praecipiens insuper « novos « redditus, qui, nuperrime e gubernio civili redempti, in benefi- « cium Ecclesiae Avilianensis obvenerunt, ..... integros et absque « ulla diminutione servari apud ipsum Archipresbyterum Pacem,

« et id ad nutum Apostolicae Sedis super hac re citissime interrogandae ».

Verum Archipresbyter Pace, cum idem decretum, quod in S. Visitatione ab eodem Episcopo latum fuisse negabat, exequi renueret, iterate ab ordinario sub poena censurae monitus est. Immo cum ille asseruisset dictam S. Visitationem numquam ab Episcopo in Avilianensi civitate fuisse peractam, hic die 8 septembris 1905 ipsum Archipresbyterum *a divinis* suspendit usque dum quae dictitaverat non retractasset.

Exinde Archipresbyter ad H. S. C. appellationem instituit, simul significans nullum citatum Episcopi decretum robur habere. Hic autem, occasione arrepta petit ut actualis paroeciae ac receptitiae ecclesiae status Avilianensis civitatis immutatus maneat, tum etiam ut libellae 1000 nuper obtentae, pro duabus in Avilianensi agro perpetuis Vicariis erigendis impedantur, quae quidem propter distantiam a parochiali Ecclesia, ut animarum bonum consulatur, prouti refert, necessariae videntur.

Ad H. S. C. re delata, partium procuratores, ad omnem in posterum vitandam quaestionem, plura proposuerunt dubia sive circa congruae curatae naturam, sive quoad libell. 1000 elargitionem a Gubernio factam, sive quoad ius vice-parochos nominandi, sive denique quoad utriusque stolae caeteraque incerta dividenda Perlongum est, attenta praesertim spatii avaritia, partium rationes argumentationesque pro et contra omnia proposita dubia referre. Quare, hisce omissis, decisiones tantum referimus.

Ad dubia:

1um « *An Archipresbytero Ecclesiae Receptitiae loci* Avigliano *spectet congrua 200 ducatorum, seu potius eadem congrua dividenda sit inter Clerum memoratae Ecclesiae in casu* ».

2um « *An elargitio libellarum 1000, facta a Gubernio, impendenda sit pro Vice-parochis, vel potius eroganda sit iuxta mentem Episcopi in casu* ».

3um « *An eidem Archipresbytero spectet ius nominandi Vice-parochos, salvo iure Episcopi eosdem confirmandi, in casu* ».

4um « *An incerta utriusque stolae dividenda sint inter Archipresbyterum et Clerum dictae Ecclesiae ad tramites articulorum XVIII et XIX Instructionis 18 nov. 1822, in casu* ».

5um « *An quoad caetera incerta eidem Archipresbytero spectet aequa portio una cum Participantibus, in casu* ».

Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad 1um «*Affirmative* ad 1am *partem, negative* ad 2am ».

Ad 2um « *Enunciatam summam dividendam esse pro prudenti arbitrio et conscientia Episcopi, partim favore duorum Vicariorum Curatorum, qui in Agro Avilianensi constituendi sunt,*

*partim favore Participantium ecclesiae receptitiae, excluso Archipresbytero* ».

Ad $3^{um}$ « *Negative* ».

Ad $4^{um}$ et $5^{um}$ « *Servetur consuetudo* ».

VI. — PISCIEN. — INHIBITIONIS CELEBRATIONIS MISSAE *(Reservata)*.

R. « *Attentis actualibus adiunctis, affirmative et ad mentem* ».

3133
5

VII. — VITERBIEN. — ADSCRIPTIONIS SEU ADIUDICATIONIS BONORUM.

ANNO 1622 in civitate Viterbiensi erectum fuit Collegium Soc. Iesu, quorum munus erat publicas habendi scholas pro iuventutis institutione. Secuta ex dispositione Clementis XIV an. 1773 suppressione huius Societatis, etiam Collegium extinctum fuit, et eius bona R. Camerae Apostolicae devoluta fuerunt. Verum, instante Episcopo Viterbiensi, primum domus et ecclesia cum omnibus supellectilibus extincti Collegii, deinde huius bona ex benignitate Summi Pontificis Seminario dioecesano donata et cessa fuerunt. Verum quia cum cessione bonorum adiectum fuit onus publicam tradendi instructionem, sicuti antea Iesuitae solebant, ita Seminarium passim nuncupari coepit Seminarium et Collegium Episcopale,

Anno 1815 Societate Iesu restituta, instante Viterbiensi Communitate et annuente Pontifice, Collegium S. Ignatii redintegratum fuit in possessione bonorum, quadam inita conventione inter dictam Communitatem et Collegium, vi cuius ex una parte patres S. I. sese obligabant nedum ad habendas scholas publicas, sed etiam ad retinendum apud se Convictum seu Collegium puerorum, ex altera vero Communitas sese adstringebat ad rependenda quotannis eidem Collegio Iesuitico 500 scutata pro scholis publicis et alia 300 pro manutentione dicti Convictus.

Anno vero 1826, hoc Collegio cum publicis scholis et Convictu extincto vi decreti suppressionis Superioris Generalis S. I., Episcopus, ut alias evenerat anno 1773, cupiens necessitatibus Seminarii occurrere, expostulavit a Summo Pontifice ut bona Collegii Seminario addicerentur. Revera quaedam, annuente Pontifice inita fuit concordia, vi cuius, eaedem fere permanserunt conditiones.

Ex eo tempore in aedibus Seminarii duo incoeperunt adesse Instituta, nempe Collegium clericorum et laicorum Convictus, qui novissime ab an. 1878 insigniri coepit nomine *Collegio-Convitto*.

Haec duo instituta sub unica administratione fuerunt, et quam-vis Communitas Viterbiensis nixa fuerit cessum patrimonium vin-dicare coram laico tribunali, tamen causa cecidit. Recenter vero occasione separationis bonorum utriusque entis, quaestio exorta est utrum et quatenus dictum Collegium ius haberet in bonis Iesuitarum Collegio an. 1827 ad Seminarium devolutis.

Collegii Moderatores cuidam arbitrariae sententiae Episcop. Montisfalisci, quam uti simplex votum reputarunt, non acquiescen-tes, recursum ad S. C. C. porrexerunt ut quaestio iuris ordine ser-vato dirimeretur.

Partium procuratores in sequens dubium dissentiendum con-venerunt, scilicet:

« *An et in quanam mensura constet de iure Collegii Episco-palis Viterbiensis in bona antiqui Collegii Iesuitarum per ces-sionem diei 2 ianuarii 1827 Seminario et Collegio Episcopali data in casu* ».

Quod dubium placuit Emis Patribus dimittere sequenti re-sponso:

« *Negative in omnibus et amplius* ».

---

**VIII.** — VIENNEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII *(sub se-creto). Extra ordinem.*

R. « *Affirmative ad cautelam et vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione* ».

---

# SS. RITUUM CONGREGATIO

## I. — ORDINIS S. BENEDICTI. DECRETUM.

**Confirmatio cultus ab immemorabili praestiti Beatis Placido M. et Sigisberto abbati, fundatoribus monasterii Desertinensi in dioe-cesi Curiensi.**

AD humillimas preces Rmi Dni Benedicti Prevost, Ordinis S. Benedicti, Abbatis Monasterii Desertinensis, intra fines Curien. dioeceseos, SSmus Dominus Noster Pius Papa X, per decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 7 Julii, hoc la-bente anno 1905, dispensare dignatus est a forma consueta Inqui-sitionis Ordinariae super cultu praedictis Beatis et Sanctis nun-cupatis Placido M. et Sigisberto Abb. exhibito, seu super casu excepto a decretis Urbanianis; dummodo huiusmodi cultus seu casus exceptus rite comprobetur. Perhibent autem auctores S. Si-gisberti Abbatis an. 636 defuncti corpus in sepulcro S. Placidi quadriennio vel sexennio antea interempti depositum fuisse, ut qui in vita, religione et virtute erant coniuncti, post mortem tu-mulo et veneratione haud forent separati. Exinde incoepit cultus

simultaneus qui asseritur utrique sancto per ultra duodecim saecula praestitus. Fama prodigiorum ad tumulum increbescente, veneranda corpora ab Abbate Adalberone an. 663 in S. Martini templum translata et an. 670, ob belli periculum, in oppidum Thuregum traducta, paulo post Desertinensi monasterio restituta fuerunt. Haec sacrorum pignorum translatio die 30 Julii, peculiari festo immemoriali ibidem recolitur. Tello autem Abbas Desertinensis et Episcopus Curien. pro sacris illis exuviis custodiendis novum sarcophagum an. 760 extrui curavit, ex cupro inaurato, figuris Placidi et Sigisberti gesta referentibus decoratum. Hic sarcophagus cum reliquiis ab Uldarico Abbate an. 1048, securitatis causa, ita terra obrutus fuit, ut, lapsu temporis, ab hominum memoria pene exciderit. Instaurata a Ioanne VII Brugger Abbate ecclesia S. Martini, thesaurus ille an. 1498 die 14 Februarii inventus est. Inde sacrarum reliquiarum translationis festo alterum quoque inventionis adiectum fuit, praedicta die quotannis recolendum, atque utrumque festum respectivo officio proprio ab Apostolica Sede an. 1893 approbato condecoratum est. Praeter haec festa secundaria quorum origines antiquissimae descriptae sunt, festum primarium statutum et die 11 Julii affixum in synopsi Annal. Desertin. ad an. 784 ita exibetur: « Moritur Tello, qui creditur B. Placidum martyrem et Sigisbertum confessorem in numero sanctorum retulisse, facultate eo tempore Ordinariis locorum competente, eorumdemque festum ut annua solemnitate et publico cultu recolatur ad V Idus Julii instituisse ». Ad probationem casus excepti conficiendam, alia quoque in medium producta sunt argumenta desumpta ex antiquis et recentibus Kalendariis Librisque liturgicis Curien., Beronen. et Einsiedeln., ex ecclesiis, altaribus et simulacris honori horum sanctorum dicatis, ex fidelium peregrinationibus ad sacras eorum exuvias quas etiam cum pietatis affectu et venerationis signis visitarunt, inter alios praestantissimos viros, Carolus Magnus, Lotharius postea Imperator, Otto I Imp. et S. Carolus Card. Borromaeus; praesertim vero ex Bulla Callisti Papae III d. d. XVII Kalend. Augusti an. 1456, in qua Placidus et Sigisbertus vocantur sancti et monasterii Desertinen. patroni aeque praecipui cum Sancto Martino, et conceditur indulgentia unius anni omnibus vere poenitentibus et confessis qui ecclesiam eiusdem monasterii devote visitaverint annuatim in eorumdem sanctorum Martini, Placidi et Sigisberti patronorum solemnitate. Quibus ceterisque documentis authenticis Sacrorum Rituum Congregationis examini subiectis, ad enixas iteratasque preces praelaudati Rmi P. D. Benedicti Prevost, monasterii Desertinen. Abbatis, attentisque obsequentissimis litteris commendatitiis plurium Rmorum Helvetiae Episcoporum et Abbatum Benedictinorum, una cum Rmo P. D. Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Steinhuber huius causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrae eiusdem Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An constet de casu excepto a decretis s. m. Urbani Papae VIII, in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendnm censuerunt: *Affirmative seu constare*. Die 5 Decembris 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X

per infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationis Rituum Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 6 eisdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret*

## II. — ORDINIS FRATRUM MINORUM.

**Approbantur Officia propria ac Missae de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque de Septem Gaudiis Beatae Mariae Virginis.**

EXERCITIUM pietatis a Via Dolorosa, sive Crucis, nuncupatum quo reverens Fidelium studium in praecipua Loca et Mysteria Dominicae Passionis magnopere nitescit, merito coaevum Ecclesiae primordiis censendum est. Exemplo namque Deiparae Virginis et Apostolorum inciti Christifideles, tum indigenae, tum advenae pie Hyerosolimam peregrinantes, ea Monumenta et sacrum potissime ad Calvarium iter, Divini Sanguinis vestigiis purpuratum, numquam colere desiverunt. Pia tamen Ordinis Minorum industria, praecipue a seculo decimo quinto et deinceps factum est, ut quemadmodum Hierosolymis, ita alibi sacrum illud iter a Praetorii situ ad Calvariae locum in spiritu a Fidelibus conficeretur, nempe, per Exercitium, ut aiunt, Viae Crucis. Hoc sane pietatis exercitio, quod sensim fere ubique institutum, Sancti Leonardi a Portu Mauritio ferventi opera per Italiae regiones saeculo decimo octavo labente diffusum, viget ac floret nostra hac aetate; depictis tabellis Mysteria Christi Dolorum, vel sacris litteris vel constanti universali traditione innixa, seorsim referentibus, quatuordecim Loca sive Stationes illius itineris (per Auctores et Peregrinos cuiuscumque saeculi, necnon ex locali traditione indubie designatas) velut invisimus, ipsumque Dominum patientem et Cruce oneratum devota mente subsequimur. Saluberrimum vero eiusmodi morem sive piam peregrinationem Viae Crucis Romani Pontifices multo Indulgentiarum thesauro locupletarunt. Tantis rationum acti momentis Franciscales praesertim e Custodia Hierosolymitana, iamdudum concupierant, ut quae pia Mysteria hactenus privato tantum et populari velut more ubique gentium coluntur, ea ipsis in locis, ubi parta sunt, atque ab Ordine Minorum universo legitime celebrari liceret. Hisce itaque votis libenter obsecundans Reverendissimus Pater Bonaventura Marrani, Procurator totius Ordinis Minorum, et nomine Reverendissimi Patris Ministri Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus rogavit, ut Festum de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi Feriae VI, ante Dominicam Septuagesimae, sub ritu duplici secundae classis in Kalendario ac Breviario et Missali Ordinis affigi valeat, cum Officio ac Missa propriis, quorum schema supremae sanctioni Apostolicae Sedis demississime subiecit.

Quum insuper ad peculiarem devotionem omni antiquitatis aevo celeberrimam, Sancto Martyri Thomae Cantuariensium Antistiti valde familiarem, atque a Summis Pontificibus Indulgentia-

rum largitionibus ditatam, qua Deiparam Virginem in gaudio non minus quam in dolore admirabilem pientissime veneramur, Minorum Ordo antiquitus vocatus dici possit, quemadmodum de Virginis ipsius Doloribus praedicandis et assidue colendis Servorum Ordini munus coelitus traditum fuit; hinc Reverendissimus idem Pater Procurator Generalis Festum quoque Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplici secundae classis, Dominica prima post Octavam Assumptionis, cum exhibitis Officio ac Missa propriis, ab ipso Minorum Ordine recolendum flagitavit.

Itaque, ad iuris tramitem, quum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Relator, eiusmodi Officia cum Missis propria de utroque Festo in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, ita rescribere censuerunt: « *Pro gratia et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei* ». Die 20 Februarii 1906.

Postmodum duobus iisdem Officiis ac Missis diligenti studio revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, benigne indulgere dignata est, ut Festum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi atque alterum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis cum eiusmodi Officiis ac Missis propriis ab Ordine Fratrum Minorum quotannis expetita Feria et Dominica recoli valeant: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Martii, eodem anno.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

## III. — SAMOGITIEN.

**Cantus Responsorii « Libera me, Domine », et Absolutio fieri possunt post Missas de die, exceptis duplicibus primae classis.**

HODIERNUS Rmus Episcopus Samogitiensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter expetivit, ut, ad devotionem populi pro animabus defunctorum fovendam et secundum antiquam ac vigentem in dioecesi Samogitiensi consuetudinem, licite possit post Missas de die et non de Requie, cantatas vel lectas, in medio ecclesiae extendi pannus niger, et, posito prope et extra illum crucifixo, cantari a sacerdote induto pluviali nigro et a cantoribus *Libera* cum aspersionibus et incensationibus, quae fieri solent ad tumulum.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

« *Servetur decretum n. 3780* Romana *12 Iulii 1892 ad VIII: et si dicatur Officium defunctorum, fiat in casu Absolutio immediate post ipsum et ante Missam* » (1).

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## IV. — LINCIEN.

**Commutatur Missa de Requie, fundata a Ven. Rudigier, cum Missa de SS. Trinitate pro felici exitu causae eiusdem beatificationis.**

VENERABILIS, Servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier, Episcopus Linciensis, in ultimo suo testamento paucis ante obitum diebus scripto inter alia fundari Missam quotannis die obitus sui in ecclesia nova cathedrali celebrandam iussit.

Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est quantum exigitur ad fundandam Missam solemnem de Requie una cum Officio Defunctorum, et haec Missa necnon Officium exinde quotannis die 29 Novembris, qui est dies obitus Venerabilis Servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

Quum vero die 6 mensis Decembris elapsi anni 1905, Sanctissimus Dominus Noster Pius X signare dignatus sit Commissionem introductionis Causae beatificationis eiusdem Ven. Servi Dei, Rmus Dñus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit an in posterum celebranda sit Missa fundata de Requie pro ipso Venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo sive pro Anniversario in levamen Episcopi defuncti qui Ven. Servo Dei immediate successit quique Missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in Causa beatificationis et canonizationis eiusdem Venerabilis Servi Dei.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, declarare dignata est, pium legatum a praedicto Ven. Dei Famulo institutum esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris quotannis die obitus ipsius Ven. Servi Dei peragendi, Missa solemnis celebretur

---

(1) En VIII dubium cum sua resolutione:

Dubium VIII. Num absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepulturam cantari quotidie possit; maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas?

Ad VIII. « Affirmative; exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, nunquam post Missam de die, nisi omnino independenter ab eadem ».

de SSma-Trinitate pro felici Causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Aprilis 1906.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**Conceditur indulgentia recitantibus precem " Je vous adore,,.**

*Beatissime Pater,*

Felix Episcopus Foroiuliensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit ut dignetur S. V. tercentum dies de vera indulgentia impertire quibuslibet fidelibus recitantibus precem sequentem quam e methodo meditationis S. Francisci Salesii atque Venerabilis F. F. Olier, substantialiter deprompsit, videlicet: et quam, duobus abhinc annis, a puellis et aliis, lectiones de Religione a se Aquissextiis accurate audientibus, pie recitare iam in usu gaudebat esse, videlicet:

« Je vous adore, ô Dieu, en trois personnes; je m'anéantis devant Votre Majesté. Vous seul êtes l'Etre, la vie, vérité, beauté, bonté. Je vous glorifie, je vous loue, je vous remercie et je vous aime, tout incapable et indigne que je suis, en union avec votre Cher Fils Jésus-Christ, notre Sauveur et notre Père, dans la miséricorde de son cœur et par ses mérites infinis. Je veux vous servir, vous plaire, vous obéir et aimer toujours, avec Marie Immaculée, Mère de Dieu et la nôtre, aimant aussi et servant mon prochain, pour votre amour. C'est pourquoi donnez-moi votre Saint-Esprit qui m'éclaire, me corrige et me guide dans la voie de vos commandements, et en toute perfection, en attendant le bonheur du Ciel où nous vous glorifierons à jamais. Ainsi soit-il ».

*Recitantibus hanc precem tercentum dierum indulgentiam in Domino concedimus.*

*Die 28 Feb. 1906.*

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 18 Aprilis 1906.

L. ✠ S. † D. Panici Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# APPENDIX

*Valde putamus utile nostris subnotatoribus referre in hac Appendice Normas quas Ecclesiastica Auctoritas praescripsit servandas omnibus Curiis, Capitulis, Paroeciis monasteriisque quae in proprio Archivio monumenta alicuius momenti possideant.*

**Schema di Regolamento per la custodia e l'uso degli Archivii e delle Biblioteche ecclesiastiche.**

## AVVERTENZA

Il regolamento presente, come più d'una volta è accennato nel testo medesimo, non è un regolamento obbligatorio ed immutabile per tutti e singoli gli Istituti, ai quali è spedito, ma sibbene *un'istruzione particolareggiata intesa a suggerire le norme migliori per le diverse ordinarie necessità del buon governo* d'un Archivio o d'una Biblioteca ecclesiastica. Ogni Istituto pertanto, a seconda dell'importanza e delle altre condizioni tanto proprie quanto della collezione di sua pertinenza, ha da foggiarsi un proprio regolamento, nel quale - salvi sostanzialmente i provvedimenti necessarî per la sicurezza e per l'uso conveniente della collezione - introduca le modificazioni suggerite dalle condizioni proprie singolari, come, ad es., riguardo alle ore dell'apertura, ai mesi delle revisioni e simili. Per questo s'è creduto opportuno di stampare anche a parte il regolamento pubblico, ossia la parte IV dell'Istruzione, lasciando spazî vuoti dove presumibilmente sono da introdurre i cambiamenti.

---

## VERSIO LATINA.

**Statuti forma ad custodiam atque usum Archiviorum Bibliothecarumque ecclesiasticarum.**

## MONITUM.

STATUTUM hoc, prout pluries in ipso textu adseritur, non est adamussim servandum neque immutabile omnibus singulisque Institutis, ad quae mittitur; est enim instructio quaedam singillatim redacta ut aptiores suggerantur normae variis consuetisque necessitatibus rectae custodiae cuiusque archivii aut ecclesiasticae bibliothecae. Unumquodque itaque institutum, iuxta momentum aliasque conditiones sive sui ipsius sive suae collectionis, necesse est ut sibi peculiare constituat statutum, cui - salvis substantialiter mediis necessariis ad tutelam ac usum aptiorem collectionis - modificationes accedant propriis conditionibus aptatae prout exempli gratia ratione habita horarum archivium aperiendi, mensium documenta revisendi, etc. Hac de causa opportunum visum est separatim edere statutum publicum nempe IV Instructionis partem, vacua relinquendo spatia ubi mutatio aliqua introducenda sit.

Il regolamento però in sostanza, specialmente per ciò che riguarda la vigilanza della custodia e la sicurezza (Part. II, n, 5-15) è da osservare rigorosamente non solo nelle collezioni ricche di manoscritti, pergamene, incunaboli, ecc., ma eziandio nelle minori, anche se ne contengano soltanto qualcuno. Perocchè - a tacer d'altro - in tal caso, ordinariamente, sono manoscritti e carte locali con testi talvolta non trascritti e conservati altrove, e però - come unici o rarissimi - di valore straordinario per la storia religiosa e civile del luogo.

Infine giova qui rilevare che le norme suggerite a pp. 9-12, sono per un *inventario sommario* delle collezioni, il quale, ove con saggio consiglio si voglia pubblicare, deve essere al possibile arricchito delle altre indicazioni e riferenze solite a darsi nei migliori cataloghi, in guisa da riuscire un *inventario veramente scientifico*. Regole e modelli per un tale inventario volentieri si daranno ai benemeriti che si risolvessero di compilarlo.

# REGOLAMENTO

## INTRODUZIONE

Scopo del presente regolamento è I) di assicurare il buon ordine, la conservazione ed integrità perfetta dei monumenti lituri gici, storici, letterarî, ecc. posseduti dagli Istituti ecclesiastic- d'Italia e II) di provvedere all'uso conveniente d'essi, quale è richiesto dai bisogni della scienza e dalla dignità dei possessori.

---

Statutum vero quoad substantiam, praesertim eiusdem pars quae custodiam tutelamque respicit (Pars II, n. 5-15) servandum est exacte nedum in collectionibus refertis manuscriptis, pergamenis, incunabulis, etc., sed etiam si de minoribus collectionibus agatur, ubi aliquis tantum reperiatur codex. Quo sane in casu inveniuntur manuscripta et chartae locales cum textibus aliquoties non transcriptis et alibi adservatis, ideoque quia unicae vel rarissimae inextimabilis sunt valoris pro historia religiosa et civili eiusdem loci.

Optimum heic censetur animadvertere normas pp. 9-12 exponi pro inventario summario collectionum, quod si sapienti consilio edatur ornandum omnino est ceteris adiunctis notitiisque quae dari solent in optimis catalogis, ut *inventarium* vere scientificum habeatur.

Normae et exempla huius inventarii libenter dabuntur illis qui idem velint compilare.

## STATUTUM.

### Pröemium.

Huius statuti finis est: I rectum obtinere ordinem, conservationem perfectamque integritatem monumentorum liturgicorum, historicorum, litterariorum etc. quae ab Institutis ecclesiasticis italis possidentur; II illorum aptiori usui consulere, prout scientia et dignitas possessorum requirere videntur.

Il regolamento pertanto ha da esser tale che, osservandolo,

I. *1*) mantenga o restituisca il buon ordine della preziosa suppellettile, secondo le migliori norme suggerite dall'esperienza e seguite negli Archivî e nelle Biblioteche che giustamente s'additano come modello;

*2*) renda quasi impossibile agli studiosi e ad altri, qualunque furto e guasto rilevante colpevole;

*3*) faccia - se mai per disgrazia avvenisse - scoprirlo dentro il termine utile di pochi mesi e giuridicamente provarlo mediante l'inventario, il registro dei codici, ecc. dati in uso e il verbale di revisioni periodiche determinate; in guisa da ottenere, per mezzo della giustizia, la restituzione o l'indennità;

II) finalmente tolga, mediante le agevolezze convenevoli, ogni ragione ed occasione di lagno e d'ingerenza indebita.

Al primo scopo mirano le parti prima e seconda del Regolamento, all'altro le due rimanenti. Di queste l'ultima dovrà comunicarsi agli studiosi al momento dell'ammissione, affinchè se ne possa esigere l'osservanza; le altre sono riservate agli amministratori e membri degli Istituti ecclesiastici ed ai custodi da loro scelti.

---

Statutum itaque tale esto ut, si servetur,

I. 1 servet vel restituat bonum ordinem pretiosae suppellectilis, iuxta optimas normas experientia suggestas atque adhibitas in Archiviis ac bibliothecis quae merito in exemplum adducuntur;

2) fere impossibile studiosis aliisque reddat quodvis furtum et damnum dolosum alicuius gravitatis;

3) modum praebeat haec advertendi, si unquam forte acciderint, infra tempus utile paucorum mensium et iure statuendi per inventarium, per codicem, catalogum, etc. in usu habitum et verbale statutarum revisionum; ita ut per magistratus restitutio vel indemnitas obtineatur.

II. Tandem auferat per convenientes aditus quamcumque causam occasionemque querimoniae atque indebitae intromissionis.

Priorem finem partes prima et altera statuti intendunt, alterum reliquae duae. Harum postrema erit communicanda cum studiosis cum admittuntur, quo eiusdem observantia exigi possit; ceterae administratoribus membrisque Institutorum ecclesiasticorum reservantur nec non custodibus ab ipsis delectis.

*(Continuatio in proximis fasciculis).*

# BIBLIOGRAPHIA

## I.

PIERANTONELLI (P.). **Ordo Iudiciarius in praxim traductus** matrimonialium causarum speciminibus accedunt locupletissimae annotationes suis locis adiectae et index rerum notabilium in calce. — Romae, Fridericus Pustet, 1906. Lib. 2.

Neminem latet quantae sint utilitati tractatus practici de re matrimoniali iudicialiter agenda. Curiae; parochi iique omnes, qui

huiusmodi causis instruendis operam dant, optimum invenient adiumentum in hoc novo opere cl. Pierantonelli, de modo iudiciali agendi Romanae Curiae versatissimi. Specimina enim aliqua ibi afferuntur matrimonialium causarum omnibus numeris absoluta et clarissima. Quod opus proinde maxima commendatione dignum putamus.

II.

GUILELMUS SEBASTIANELLI. — **Praelectiones Iuris Canonici. — De Iudiciis Ecclesiasticis.** — Pars prima. — De Iudiciis civilibus. — F. Pustet, 1906.

Hac ipsa in Ephemeride, Vol. 3 pag. 275, alteram recensentes editionem secundi voluminis praeclarissimi operis cl. Sebastianelli « Praelectiones Iuris Canonici. De Rebus » tertium prodituram nunciavimus volumen in quo *de Iudiciis* dissereretur.

En cl. A., qua par est solertia, ut suas praelectiones absolvat, tractationem *de Iudiciis* aggreditur. Duas in partes eamdem dividens, hac in priori de civilibus iudiciis agit, de criminabilibus in altera tractaturus. Superfluum sane videtur heic verba adiungere de Auctoris valore circa canonicas disciplinas: nimis nunc ipse notus est omnibus iuris canonici cultoribus sive propter eiusdem perlongum et classicum magisterium in Scholis Pontif. Seminarii Romani sive propter duplicem editionem eiusdem Praelectionum, quas omnes procul dubio prae manibus habuerunt.

In hoc novo opere A. peritissimum se prodit etiam circa materiam iudiciariam. Concisio expositionis et claritas conceptuum, more solito, dotes praecipuae sunt operum cl. Sebastianelli. Tramiti inhaerens Decretalium ipse tractationem dat rei iudiciariae nostris temporibus in Ecclesia vigentis, notitias historicas capta occasione brevissime adducens.

Non dubitamus quin omnes canonum cultores hoc tertium volumen statim sibi comparent atque iterum iterumque perlegant

III.

ALOISIUS A. PAQUET. — **Disputationes theologicae seu Commentaria in summam theologicam D. Thomae. De Reparatione post lapsum per Gratiam et Virtutes.** — Editio altera aucta. — F. Pustet, 1904.

Post laudes amplissimas Auctori tributas a Summo Pontifice in Brevi pontificio eidem dato, superfluum videtur de hoc opere verba promere. Sat est innuere cl. Paquet plura iam edidisse de S. Theologia opera in quibus mirum in modum eminent claritas et excatitudo conceptuum, quae sunt praecipuae dotes operis quod nunc iterum prodit per quodque iuvenum mentes severiori disciplinae subduntur et de ipsis fontibus thomisticis doctrinalem sapientiam haurire assuescunt.

Tractatio haec in tres dispescitur partes, quarum prima *de Peccato originali* agit, altera *de Gratia* peccati reparatrice, tertia de virtutibus quae ex ipsa gratia scaturire demonstrantur.

Valde mihi probantur, quia sunt maximae utilitati, Conclusiones quae peculiaribus caracteribus ponuntur ante thesium ipsarumque partium argumenta. Gratulamur cum cl. Auctore et vota nuncupamus ut alia pretiosa edat opera, quae ut a studiosis omnibus semper benignissime excipiantur ominamur.

Q. D.

# RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

*An abridgment of Christian Doctrine* prescribed by His Holiness Pope Pius X for all the Dioceses of the Province of Rome. L. 0 60

**Bautz** Dr. **Joseph** a. o. Professor der Theologie an der kgl. Universität zu Münster. — *Grundzüge der christlichen Apologetik.* — Dritte verbesserte und vermehrte Auflage. Mit kirchlicher Approbation. — Gr. 8° (VIII u. 176 S.) L. 2 50

**Bremscheid** P. **Matthias von** Ord.-Cap. — *Kurze Festtagspredigten für das ganze katholische Kirchenjahr.* — Mit kirchlicher Approbation. 12. (VIII u. 176 S.) L. 1 90

— — *Kurze Sonntagspredigten für das ganze katholische Kirchenjahr.* — Zweite durchgesehene Auflage. Mit kirchlicher Approbation. 12. (VIII u. 338 S.) L. 3 50

**Fell** Dr. **W.** — *Lehrbuch der allgemeinen Einleitung in das alte Testament.* — (Wissenschaftl. Handbibliothek). Mit kirchlicher Druckerlaubnis. — X. u. 244 Seiten gr. 8°. L. 3 90

**Jansen Joh. Laurenz** C. SS. R. — *Geschichte und Kritik im Dienste des « Minus probabilis ».* — Antwort an P. V. Cathrein, S. J. Mit kirchlicher Druckerlaubnis. 60 Seiten. gr. 8°. L. 1 25

**Hilling** Dr. **Nikolaus.** — *Die römische Kurie.* — Ein kurzes Handbuch für die Kenntnis der gegenwärtigen Verfassung und ein kanonistischer Führer für den praktischen Verkehr mit den obersten Behörden in Rom. (Seelsorger-Praxis XVI.) XII u 324 Seiten. L. 2 25

**Kissling** Dr. **J. B.** — *Lorenz Truchsess von Pommersfelden (1473-1543). Domdechant von Mainz.* — Ein Zeit- und Lebensbild aus der Frühzeit der Kirchenspaltung. (VIII u. 96 S.) L. 1 25

**Klarmann, Andrew** A. M. — *The Trial of Jesus Christ Before Pilate.* — A study in juridical Arrogance and pharisaical Justice. L. 1 —

**Meschler M.** S. J. — *Der Göttliche Heiland.* Ein Lebensbild der studierenden Iugend gewidmet. Mit einer Karte von Palästina zur Zeit Jesu. L. 5 65

**Paquet Aloisio-Ad.** — *Disputationes Theologicae seu Commentaria in Summam Theologicam D. Thomae.* — Vol. III: « De Reparatione post lapsum per gratiam et virtutes. — Editio altera aucta, un vol. in-8 L. 6 —

**Schynse C. M.** — *Die selige Mutter Theresia* vom hl. Augustin und ihre 15 Gefährtinnen aus dem Orden der reform. Karmeliterinnen der hl. Theresia zu Compiègne. Aus dem Französischen. Mit kirchlicher Approbation. 8° (61 S. mit Titelbild.). L. 0 65

**Sebastianelli Guilelmo.** — *De Iudiciis Ecclesiasticis* — Pars prima: « De Iudiciis Civilibus » — Un vol. in-8. L. 3 50

**Stura** Dr. **Francesco.** — *Le convulsioni del nuovo secolo.* — Vol. 42 e 43 della Biblioteca « Fede e Scienza ». L. 1 60

**Tyrrel Giorgio.** — *Nova et vetera.* — Meditazioni libere tradotte dall'inglese da T. Pioli. — Elegante volume in-12. L. 4 50

# ACTA PONTIFICIA

## I. — EPISTOLA

**Ad Emum Card. Gibbons de sollemniis centenariis Cathedralis Baltimorensis.**

PIUS PP. X

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum centum ante annos primus Baltimorensium Archiepiscopus primum statuebat lapidem aedi isti cathedrali aedificandae, lapidem enimvero locasse dicendus est, quo super, in fastigium et in gloriam, deberet America sacra consurgere. Nam sive ad efflorescentem eorum propaginem intendamus animum, qui aucti sacerdotio sunt aut episcopi consecrati, sive coacta apud vos ad haec usque tempora concilia cogitemus, sive habita istic splendidissima quaeque sollemnia recolamus, haec videmus omnia in Cathedrali Baltimorensi templo nativum quasi locum fortunate reperisse. Fortunate, dicimus, et cum omine meliorum quotidie rerum; quarum quidem argumento sunt et prolata apud gentem vestram hierarchia, et auctus catholicorum numerus, et tranquilla religionis conditio, et firma cum Romana Sede necessitudo, et solatia omne genus quae praebita cordi Nostro virtutibus vestris fuere.

Quapropter plurima dignum commendatione consilium arbitramur agendi communibus laetitiis auspicatam praeclari facinoris memoriam. Harum vero celebritatum non equidem opus est enarrare quam libenti Nos animo, quantis cum votis partem capiamus. Nostis enim omnes quaecumque maxime valerent ad decus Religionis nostrae in Americano populo provehendum, ea Nos et praecipuo semper desiderio quaesiisse, et velle nunc eodem ardenti studio complecti. Complectimur autem idcirco cupidius quia compertum exploratumque habemus responsuros fore vos invitationi Nostrae, una et eadem consensione voluntatum, si per opportunam hanc iucundamque tempestatem, eiusmodi impulsi sacrorum progressuum memoria, cohortemur Americanum populum ad maiora etiam quam usque adhuc comparandae rei catholicae incrementa.

Id quidem instantissime facimus, eo vel magis quod non modo ad amplificandam religionem, sed ad exaugenda etiam rei civilis commoda sciamus verba Nostra debere conducere. Vobis propterea universis, de sacris patrum memoriis ac de fidei illustrandae gloria sollicitis, intimo ex corde gratulamur, laudemque vere meritam, et pro studio unde laetitias publicas paratis, et pro eo qui inde elucet habitu animorum, tribuimus.

Tali sane animo vos esse demonstratis, qualem in catholicis omnibus valde expeteremus; tali nimirum, qui firmam fecundamque contineat futuri temporis spem.

Pro vestrarum felicitate ecclesiarum, itemque pro sollemnium saecularium exitu laetissima nuncupamus vota, auspicemque coelestium munerum ac testem praegrandis dilectionis Nostrae Apostolicam benedictionem tibi, episcopis, clero universoque populo Americae Septentrionalis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Martii anno MCMVI. Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## II. — EPISTOLA

**Summi Pontificis ad praesidem Conventus generalis Cooperatorum Salesianorum Mediolani habendi.**

AL DILETTO FIGLIO, IL PRESIDENTE DEL CONGRESSO GENERALE DEI COOPERATORI SALESIANI. - MILANO.

PIO PP. X.

DILETTO FIGLIO, SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE.

ABBIAMO appreso con somma letizia che a Milano si terrà un Congresso di coloro che si onorano del nome illustre di Cooperatori Salesiani, omai sparsi in ogni parte del mondo, intesi a promuovere, sia l'incremento della pia Unione, sia il maggior bene della religione e della società. Quanto, e quanto di cuore Noi bene auguriamo a tali Congressi, a voi lo dice il ricordo dei Congressi precedenti, e lo conferma luminosamente sia la Nostra continuata benevolenza verso i Salesiani, sia il programma medesimo che voi stabiliste di svolgere nelle adunanze. Invero Noi troviamo che gli argomenti comunicatici son tutti della più alta importanza e di universale interesse; quali sono, ad esempio, l'attendere alla educazione della gioventù studiosa ed operaia, il venire in aiuto, materiale e spirituale, delle masse popolari, con quali nuovi mezzi provvedere all'assistenza degli emigrati, e finalmente come far vieppiù risplendere il lume della Fede cattolica e quindi della civiltà in mezzo ai popoli selvaggi. Ed è perciò che vivamente Noi ci rallegriamo che siasi stabilito di rivolgere gli studi del Congresso su tali argomenti, e ne diamo lode ai promotori, i quali, mentre cercano lo sviluppo della pia Unione, hanno pure di mira assai opportunamente i bisogni del tempo. Pertanto Noi accompagniamo il Congresso colla ardente brama dell'esito il più fruttuoso; e senz'altro teniamo per certo che alla Nostra aspettazione abbiano a rispondere e il numero e l'operosità dei congressisti. Nelle deliberazioni e nei voti che si

faranno, vi assista benignamente la divina bontà, col donarvi l'abbondanza dei celesti favori.

Auspice dei quali, e come pegno della nostra benevolenza, sia l'apostolica benedizione, che a te e ai singoli congressisti con effusione di affetto impartiamo nel Signore.

Dato a Roma, presso S. Pietro, il 22 maggio dell'anno 1906, terzo del Nostro Pontificato.

PIO PP. X.

---

## III. — EPISTOLA

**Ad P. Ulbanum Schachleiter O. S. B., Praesidem Sodalitatis Bonifacianae. - Pragam.**

PIUS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Illustria atque explorata Sodalitatis Bonifacianae promerita, cuius fructus, tum ad religionem tum ad civilem cultum et patriae amorem abunde latos, plus semel dignos duximus laude, tuo esse nomini actionique coniuncta libenti animo novimus. Etenim moderatoris munere perfungentem Sodalitatis a Sancto Bonifatio ac menstrui commentarii, cui item a Sancto Bonifatio nomen, plurimum te utilitatis catholicis Austriae creare compertum habemus; eos quippe et in avita tuenda fide confirmas et a praejudicatis dissentientium opinionibus immunes reddis ac liberos. Id autem scribendi regendique commentarii opus, aetati tam congruum nostrae, actuosis etiam, crebris, fecundisque auges laboribus expeditionum sacrarum, illuc nimirum assidue prompteque te sistens, quo gravior ab hostibus feratur impetus. Itaque grate Nobis contingit, quae ipse multiplici studio atque industria perficis ad populorum sincera ac mansura provehenda bona, laude et commendatione prosequi, eam etiam in rem ut animos inde capias novos pro sollertia exaugenda tua. Nec minus gratum est hoc uti loco posse Benedicti Sauter, Abbatis dilaudandi, e quo quum exemplum profectum esse scimus prohibendi arcendique inimici conatus, tum potissima derivata fuisse operi praesidia cognovimus; te quippe is legit tribuitque rei ducem, comitemque adjunxit, propositi studiosissimum, Augustinum Galen. Mens vero Nobis est neque ullum non Nostra complecti voluntate, quem clara apud vos merita decorent, neque ullum debere in vobis esse reliquum, quem non ardor inflammet ejusmodi promerendae laudis. Quapropter et episcopos, et clerum et populum Austriae universum vehementer adhortamur, ut, conjunctis in unum viribus, jussaque aut consilia hinc dando, inde exequendo, audax funestissimumque facinus eorum propulsent, qui, cum ecclesiae patriaeque calamitate, animos

nituntur a Romana Fide segregare. Vota demum pro communis contentionis exitu nuncupantes, illudque etiam expetentes, ut quos labores pro re catholica fertis, et mente fideles percipiant et actione generose adjuvent, testem Nostrae benevolentiae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi ac ceteris, qui una tecum operam navant, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Junii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS P. P. X.

---

## IV. — EPISTOLA

**Qua Pontifex Episcopos Angliae collaudat de eorum cum Apostolica Sede coniunctione et zelo pastorali.**

VENERABILIBUS FRATRIBUS FRANCISCO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSIUM CAETERISQUE EPISCOPIS ANGLIAE. — WESTMONSTERIUM.

PIUS PP. X.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

SANCTORUM parentis Angliae, cuius gloriosam cum Romana Cathedra coniunctionem ac parta per id beneficia communibus litteris repetebatis, sinceram vos ingenuamque permanere sobolem demonstrastis, quum virtutis observantiaeque sensus qui maximi esse possent, in Personam Nostram, Pontificatus Summi dignitate auctam, aperire studuistis. Atque quidem cultus obsequiumque tam gratum expectationem animi Nostri plane sustinuit, quippe quos certa tenebat spes non fore ab iis argumenta voluntatis amorisque desideranda, qui cum sanctissimis vetustisque Angliae sacrae Patribus praecipua quadam ac peculiari omnino fidelitatis laude sociarentur. Et quoniam gratae mentis ergo verba haec prima ad Angliae Episcopos facimus gratulari vobis in ipso Pontificatus limine placet, e quibus tanta catholicis universis exempla profitendae amplificandaeque fidei proficiscuntur. Qua quidem in re, si strenua pro Ecclesia certantes illa vos gaudia defugiunt, quae ad fluxa ornamenta saeculi pertinent, at haec certa vos gloria manet, eamdem in vobis vim animi inesse, quae in fortissimis fidei vestrae praeconibus enituit. Vobis igitur egregiam Sedi huic Principi operam navantibus vehementer laetamur, nihilque in praesentiarum ambigimus fore ut maiora in dies curis vestris solatia animo Nostro comparentur. Horum autem effectricem bonorum caelestiumque mu-

nerum auspicem Apostolicam benedictionem, charitatis Nostrae testem, unicuique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XII Octobris MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

# SECRETARIA STATUS

## I. — EPISTOLA

**Ad Emum Card. Kopp de opere a Catechismis.**

*Eminentissime ac Reverendissime Domine mi Observandissime.*

COMMUNES litteras Episcoporum Borussiae, quibus pro Magnoducatu Hassiae Episcopus Moguntinus accessit, Beatissimus Pater accepit, eaque qua par erat diligentia perlegit. Iamvero iucundum Sanctitati Suae est idemque multae erga vos causa gratulationis, quod per receptas istic consuetudines et per piam sacerdotum optimorumque laicorum sedulitatem abunde satisfiat postulatis quorum mentio ac iussio in encyclicis litteris *Acerbo nimis* (1) habetur. Equidem si quid summopere Sanctitas Sua exoptabat ac praecipiebat, id erat procul dubio ut christiana catechesis omni ex parte et cum omnimoda fidelium utilitate traderetur. Quoniam vero haec tanta commoda iam sunt apud vos comparata ac provisa, hisce certe contentus Beatissimus Pater est, qui ea omnia unde melius et opportunius praeceptis eius obsecundetur, conscientiae et iudicio vestris committit.

Dum Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem ceterosque in episcopatu Borussico et Hassiae collegas de eiusmodi Pontificis Summi mente certiores efficio, altissimae existimationis sensus tibi aperio ac manus tuas humillime deosculatus, permaneo

Eminentiae Tuae,

humillimus et addictissimus vere famulus.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Romae, die 21 Augusti, a. 1905.

## II. — Approbatur opus a Catechismis Parisiis florens.

*Ex audientia SSmi die 29 Novembris, a. 1905.*

BEATISSIMUS PATER, libentissimo animo attendens florere in urbe Parisiensi egregiam Sodalitatem, cui nomen Opus a catechismis a s. m. Leone XIII, Decessore, probatam, et archiconfraternitatis

(1) Cf. *Acta Pontificia*, vol. 3°, pag. 5.

titulo ac privilegiis ornatam, talemque Sodalitatem cohaerere intelligens cum sensu ac spiritu legis quartae litterarum Encyclicarum *Acerbo nimis*, archiconfraternitatem eadem laude et probatione Sua augere dignatus est, eamque in omnibus privilegiis ac iuribus ipsi antea collatis benigna voluntate confirmavit, ita quidem ut qui nomen eidem Sodalitio dederint, praescriptis laudatae epistolae Encyclicae plenissime satisfacere censeantur.

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

# SECRETARIA BREVIUM

## I. — BREVE

**Quo Sanctuarium Caravagiense ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

TEMPLA Dei antiqua christiani populi religione celebria, quae prae caeteris vetustate, structura et artis operum splendore eniteant, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiaribus titulis honoris cohonestare pro re ac tempore satagimus. Hoc consilio nuper quinquagesimo anno a memorabili dogmatica definitione, ex quo Immaculatae Deiparae Virginis fulgentissimo diademati, novus accessit ac potissimus splendor, novos liturgicos honores, nempe Officium cum Missa proprium, in festo et per octavam Apparitionis B. M. V. de Caravaggio (addita Missa ritus etiam Ambrosiani), approbavimus et decrevimus. Nunc autem cum Venerabilis Frater Ieremias Bonomelli, Episcopus Cremonen., una cum dilecto Filio hodierno Sanctuarii Caravagiensis Custode, Nos enixis iteratisque praecibus flagitaverit, ut ipsam Sacram B. M. V. Caravagiensem Aedem primitus anno MDCCCCXXXII, aedificatam in amplissimum deinde templum saeculo decimosexto magnificis artis operibus conversam, quod ingentibus undique porticibus circumdatur, divite et copiosa suppellectili sacra refectum est, ac multo indulgentiarum thesauro a Decessoribus Nostris Romanis Pontificibus locupletatum, et cui, uti par est, sufficienti numero Clerus assidue famulatur, ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaremur; Nos preces huiusmodi excipiendas peramanter existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae favent, a quibusvis ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuum-

que in modum, Templum Caravagiense Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae dicatum, Basilicae Minoris titulo ac dignitate augemus, cunctis honorificientiis et privilegiis eidem attributis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris, die VII Maii MDCCCCVI. Pontificatus Nostri anno tertio.

Aloys. Card. Macchi.

---

## II. — BREVE

**quo Beatorum honores decernuntur Sexdecim Monialibus ex Ord. Carmelitarum Excalceatarum Compendii martyrio decoratis.**

### PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo sane tempore in Ecclesia Domini heroes defuere, et hi non modo integrae aetatis viri, sed etiam mulieres, senes ac teneri usque infantes, qui atroces inter cruciatus mortem oppeterent, et de christiana fide testimonium exhiberent. Neque solum in barbaris regionibus, ubi Evangelii praecones « a tenebris et umbra mortis » homines ad veritatem adducere conantur, verum apud excultissimos etiam populos et in opulentis civitatibus; nam infestus humanitatis osor ubique gentium odium contra Christi asseclas excitat atque movet. Ita duodevicesimo exeunte saeculo vel Parisii, divinis humanisque cunctis permixtis, fecundum martyrum sanguine rubuerunt. Ibi enim iniuriae libertatis nomine in Ecclesiam illatae magis magisque in dies crevere, ac sub terroris regimine, sublata publica catholicae regionis dignitate, pollutisque Altaribus, tum Sacerdotes piaeque Virgines in claustris abditae, tum cives cuiuslibet ordinis, quos neque honestas, neque scientia iuvit, in vitae discrimen continenter sunt adducti ac misere necati. Inter famosae huius crudelitatis victimas mirabili extiterunt exemplo sexdecim Moniales ex Ordine Carmelitarum Excalceatarum, quae vi iam Coenobio Compendiensi exactae, cruenta morte suae in fide et religiosis votis constantiae,

perinde ac si scelus admiserint, poenas Parisiis pependerunt. Venerabiles Dei famulae, quarum ultimum supplicium novum addidit, Ecclesiae splendorem ac notam iudicibus inussit, nulla oblivione delendam, haec fuerunt: Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriella Henrica a Iesu, Theresia a SS.mo Corde Mariae, Maria Gabriella a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier, et Catherina ac Theresia Soiron germanae sorores. Placet de iis aliquid meminisse, quo videantur singulae, quibus praeditae virtutibus, insigne pro suo coelesti Sponso martyrium fecerint. Theresia a S. Augustino, in saeculo Magdalena Claudia Lidoine, ortum Lutetiae Parisiorum habuit anno MDCCLII, et adhuc adolescentula ad Carmelum vocata, vicesimo primo aetatis suae anno Religionem est ingressa. Haec tam incenso sacrificii caritatisque enituit studio, ut in Antistitam electa, se et Communitatem Deo pro impetranda inter Ecclesiam et Gallias pace consecraret, ac martyrii flagraret desiderio. Mira in extremo supplicio apparuit eius virtus, nam omnes suas filias ad mortem excitare non destitit, usque dum ipsa gloriosa martyrum corona non fuerit redimita. Huic succedit Maria Anna Francisca a S. Aloisio e gente Brideau, quae anno MDCCLXX, aetatis suae decimo octavo, religiosam vitam amplexa, adeo singulari silentii et solitudinis amore praestitit, ut difficiliora sibi demandata munera summa cum diligentia expleverit, ac mortem libentissime obierit. Par non erat alacritas ad vitam amittendam Mariae Annae Piedcourt Parisiensi, novem et septuaginta annos natae, quae inter Carmelitides Mariae a Iesu Crucifixo nomen assumpserat; sed tanta fuit eius in Deum pietas atque in homines caritas, ut naturae voce devicta, hilari vultu patibulum ascenderit et suavibus verbis carnifici pepercerit. Tandem ac prior aetatem egit Anna Maria Thouret, in claustris Maria a Resurrectione nuncupata, neque minorem ei iniecerat formidinem martyrium, sed magis Christi potuit amor, quo in Monasterio infirmis heroice praesto fuerat; immo a militibus barbare e curru deiecta, maxime timuit, ne sororibus praemoriens, martyrii gloriam consequi non posset. Praeclaris animi ingeniique dotibus exornata Maria Claudia Brard, quae inter Carmelitides adlecta, sibi Euphrasiae ab Immaculata Conceptione nomen indiderat, ad se abiiciendam est pro viribus adnisa; propterea humilis et mitis omnibus admirantibus facta, mortem suae aetatis anno octavo et quinquagesimo libentissime excepit, ut suus propinquus ad bonam frugem revocaretur. Litteris pariter exculta et quidem poetrix fuit Maria Francisca de Croissy anno MDCCXLV Parisiis orta,

atque in religione Gabriella Henrica a Iesu vocata. A mundo penitus abhorrens, claustri vitam summu amore prosecuta, ac sanguinem pro Christo profundere cupiens, hniusmodi sensus facile versibus exprimebat. Martyrii itaque nuncium gaudio gestiens accepit, et gloriose ad superos evolavit. Septima accedit. Theresia a SS.mo Corde Mariae, in saeculo Maria Anna Hanisset, cui urbs Rhemensis patria fuit. Haec prudentia aliisque virtutibus, quibus Moniales excellere solent, elucens, duo et quinquaginta annos nata martyr occubuit. Fidelis regulae custodia una cum sanctitate, silentio et assidua cum Domino unione ita Mariam Gabriellam a S. Ignatio e familia Trezel illustrarunt, ut obrutus thesaurus vulgo nuncuparetur. Haec propinquis se deprecantibus, ut iam e Monasterio expulsa, domum reverteret, fortiter obstitit, atque a Domino impetravit, ut sibi natus nepos ad caelestia gaudia adhuc innocens duceretur. Spectatam in se victoriam retulit Rosa Chrétien, quae iam consobrino Chrétien de la Neuville data nuptum et paucos post annos marito viduata, ad Carmelum confugit, ubi Mariae Aloisiae a Iesu sibi nomen adscivit. Cum esset enim ardenti difficilique ingenio, tanta cura studioque suos mores emendavit, ut omnes ab ea modestiae sumerent exemplum. Sed nobiliorem palmam accepit quinquagesimo tertio suae aetatis anno; nam, quamvis supplicii cogitatione vehementer commoveretur, vitam tamen pro Domino animose profudit. Verecundia autem, praeclara Monialium virtus, in Anna Pelras apprime effulsit, quae anno MDCCLX parentibus pietate egregiis orta, primum in Vincentianum Institutum cooptata fuit, in quo germana soror Antistitae munere fungebatur, ac deinde utpote periculis propter singularem oris venustatem obnoxia, intra Carmeli claustra se recepit. Hic Mariae Henricae a Providentia sibi imposito nomine, infirmis adiuvandis ut inter a Caritate Sorores operam dedit, ac fortissimum contra tyrannos animum praebens, martyrium insigne fecit. De Angelica Roussel, id est Maria a S. Spiritu, anno MDCCLXVIII, suae aetatis decimoquinto inter Carmelitides excepta, commemoranda est heroica patientia, qua licet ardentissima praedita indole, totius vitae atroces pertulit poenas, ita ut glorioso martyrio eumdem habuerit et patiendi et vivendi finem. Ac pariter de Maria Dufour, in religione Maria a S. Martha, satis erit mirum illud praestantem virtutum recolere documentum, quibus uti prius in saeculo, sic postea, usque ab anno MDCCLXXII, aetatis suae tricesimo primo in communitate Compendiensi omnium sibi animos devinxit. In hac inclita mulierum cohorte decima tertia sequitur Elisabeth Verolot, cui vota nuncupanti Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio nomen fuit. Honesto loco nata, atque indole dulcis et festiva Carmelitidum vestem anno MDCCLXXXVII, vigesimo tertio suae aetatis induit; sese ad religio-

sae vitae labores et molestias sibi ab Antistita oculis subiecta libenter amplectenda paratam ostendit, atque in nuncio mortis est summopere laetata. Iunior inter has Maria Ioanna Meunier extitit, Constantia in Monasterio dicta, quae lege iniuria lata a Deo se votis obstrigenda impedita, cum parentibus pro viribus conflixit, non modo ut libere in claustris relinqueretur, sed etiam ut una cum Antistita piisque sororibus se ad mortem pro Christo offerre posset, quam vero duodetriginta annos nata libens oppetiit. Reliquum est, ut pauca dicamus de germanis sororibus Catharina ac Theresia Soiron quae, licet humilibus officiis in pia monasterii domo addicta, magno tamen fortique animo moniales aequarunt. Prima enim maior natu atque ob suam prudentiam ad ianuam custodiendam delecta, Antistitam cum lacrimis obsecravit, ne se ab ipsa disiungi pateretur, atque ita sibi quoque sanguinem pro Christo effundere liceret: altera autem ob ipsius pulchritudinem a femina Principe de Lamballe ad servitia arcessita, renuit, et claustri paupertatem aulae deliciis praeponens, cum ceteris Carmelitidibus supplicium consociavit. Hae venerabiles Dei famulae, decus et ornamentum totius ordinis Deiparae Virginis a Monte Carmelo sacri, vel ab ineunte Galliarum perturbatione e Compendiensi coenobio expulsae in exiguas manus decesserant, sive ad religiosa promissa, quantum liceret, implenda, sive ad pericula a fidelibus prudenter acriterque propulsanda; sed quum saevus ille furor in christianum nomen ut cum maxime increvisset, mites et innoxiae Virgines mense Iunio anno MDCCXCIV comprehensae sunt atque in vincula coniectae. Quod eas summo affecit gaudio, nam iterum omnes simul congregatae, carcerem pro Monasterio habuerunt, ibique pietatis exercitationibus, quoad fieri potuit, opera navantes, sese invicem ad martyrium cohortabantur. Illinc vero haud multo post, IV idest idus Iulias repente Parisios traducuntur. Grave est dictu, quantum in longo itinere sanctae hae mulieres excruciarentur. Duris curribus superiectae, manus ad tergum vinctis, circumdatae armatis ac plebis contumelias et irrisiones perferre coactae, hoc uno fruebantur solatio, quod Deo summas adhibentes preces, se ei in holocaustum offerrent. Ubi autem ad principem Galliarum urbem pervenerunt, denuo in orridum carcerem conduntur, novas et acerrimas molestias, famen nimirum, sitim, crassum foetidumque aerem, et quod gravius erat, nequam hominum societatem perpessurae. Sed heroicas Carmeli filias neque animus neque vires defecerunt, quin immo diem XVII ante kalendas Augustas, ipsarum supplicii praeludium, in honorem Nostrae Dominae Carmelitidis effusa laetitia celebrarunt, ita ut profanis visae sint potius ad nuptias quam ad mortem se parare. Postridie eius diei in ius raptae sine testibus, sine defensoribus praecipiti ac tumultuario

iudicio capitis damnatae sunt, huic tantum culpae affines, quod suo instituto se fideles servaverint ac SS.mum Iesu Cor eximia coluerint religione. Qua edita sententia incredibile est quantum moniales oblectarentur, utpote quae martyrii coronam tandem essent adepturae. Iter a Tribunali ad supplicii locum triumphi crederes viam, nam Carmelitides per mediam turbam, alto usans silentio, laetis iucundisque vultibus incedebant, Deo grates pro tanto beneficio cumulate persolventes. Ubi vero mortis pegma conspiciunt, suas voces, mox angelorum choreis commiscendas, elatius emittunt, atque hymnum Paracletum invocantem maximo cum fervore canunt. Itaque renovatis tum sacri Baptismatis tum religiosis votis, Theresia a S. Augustino antistita luculentum Machabaeorum exemplum imitata. omnibus precibus exorat, ut ad animos morituris addendos, securi caput ultima submittat. Atque ita delicati flores, omnigenas virtutes redolentes, singuli a tortore praeciduntur, et decoro effuso sanguine, uti efflagitavit Theresia, gratiam apud Altissimum pro Galliis invenerunt. Paucis enim abhinc diebus effrenata illa caedis cupiditas sensim restincta fuit et effluere desiit cruor quo nefarii cives nobilissimam regionem per biennium resperserant.

Tanta martyrii fama longe lateque protinus pervulgata propter caelestia signa nova luce refulsit. Quare eius caussa iuridicis inquisitionibus feliciter absolutis, ad SS. Rituum Congregationem delata est. A qua mature perpensis, ratisque habitis actis omnibus in ordinario ad has aedes Vaticanas conventu kalendas Decembres anno MDCCCCII celebrato, de eiusdem caussae introductione pertractatum fuit, quam XVII Kal. Ian. anni supradicti rec. me, Leo XIII Decessor Noster sua manu signavit. Praeterea nutu iussuque Nostro Apostolico actis confectis, aliisque quaestionibus rite solutis, signisque seu miraculis, quae ad earum Venerabilium Dei Famularum intercessionem a Deo patrata ferebantur, una cum martyrio et caussa martyrii ad trutinam de more revocatis, Nos per memoratae SS. Rituum Congregationis Decretum, die octavo Kal. Iulias superioris anni datum, memoriae Sancti Praecursoris dicato, de martyrio eiusque caussa, necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare rite declaravimus. Hoc unum tantum supererat inquirendum, ut VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. praefatae Congregationis SS. Rituum praepositi rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii eiusque caussa, pluribus signis seu miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto censerent procedi posse ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulabus decernendos. Quod dubium propositum fuit a Venerabili Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Card. Vannutelli Episcopo Praenestino et caussae Relatore in generalibus Comitiis coram Nobis XVIII

Kal. Dec. elapsi eiusdem anni habitis, omnesque qui aderant, tum Cardinales tum SS. Rituum Congregationis consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis comparemus. Denique IV Idus Decembr. superioris eiusdem anni, quo die Ecclesia Almae domus Lauretanae B. M. V. I. translationem celebrat, Eucharistico Sacrificio libato, adstantibus dilecto Filio Nostro Aloisio Diacono Cardinali Tripepi SS. Rituum Congregationis Pro Praefecto, ac supradicto Ven. Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Vannutelli, necnon Ven. Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, ac Rev. Patre Alexandro Verde Fidei Promotore, tuto procedi posse decrevimus ad solemnem Venerabilium Dei Famularum, quas supra memoravimus, Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus Dilecti Filii Nostri Francisci Mariae Beniamini S. R. E. Card. Richard, Archiepiscopi Parisiensis, una cum V.V. F.F. Archiepiscopis et Episcopis Dioecesum ad quas pertinebant Praedictae Venerabiles Dei Famulae, nec non universae Carmelitarum Excalceatorum familiae permoti, Apostolica Auctoritate Nostra harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famulae Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo. Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione Gabriella Henrica a Iesu, Theresia a SS.mo Corde Mariae, Maria Gabriella a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier ac germanae sorores Catharina et Theresia Soiron ex Ordine Carmelitarum Excalceatarum Beatarum nomine in posterum nuncupentur, earumque Corpora et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur; et sacris radiis Imagines decorentur. Insuper eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de Communi Virginum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis seu Breviari Romani. Huiusmodi vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus intra fines dumtaxat Dioecesium Parisiensis et Bellovacensis, itemque omnibus in templis religiosorum domorum Fratrum necnon Sororum Ordinis B. M. V. a Monte Carmelo, qui Excalceati dicuntur, ab omnibus fidelibus ad horas Canonicas recitandas obstrictis, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 5862 Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Demum concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilium

Dei Famularum, quas supra recensuimus, supra dictis in templis celebrentur, ad normam Decreti seu Instructionis SS. Rituum Congregationis die XVI Dec. MCMII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate definiendis intra annum postquam eadem solemnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae SS. Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Maii MCMVI Pantificatus Nostri anno Tertio.

L. ✠ S. ALOIS. Card. MACCHI.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

**I. — Indultum conceditur Monialibus Conceptionistis relate ad officium chorale.**

*Beatissime Pater,*

ABBATISSÆ Monasteriorum Monialium Conceptionistarum nuncupatarum in parochiis Jamedensi et Bastionensi, diœcesis Namurcensis, sub jurisdictione Ordinarii constitutorum, Rmo D. Episcopo Namurcensi approbante, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutæ, humillime exponunt et postulant ut sequitur:

In præfatarum Monialium regula, a Julio PP. II, anno 1511 approbata, circa recitationem divini Officii in choro sic præscribitur, nempe: « Sorores, quæ recipiuntur ad chorum, teneantur dicere divinum Officium, quoad solemnes festivitates in quibus non laboratur et octavas earum, et Dominicas primo ponendas et necessario recitandas, secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Octava Seraphici S. Patris Francisci celebretur, et nulla alia Ordinis ejusdem. Omnibus autem festis simplicibus et Dominicis non primo ponendis, dicent Officium Conceptionis cum commemoratione Dominicæ secundum formam Breviarii ad hoc illis deputati ».

Porro, ut ea quæ dubia erant et incerta declararentur, prodiit, die 8 Julii anni 1893, a S. Congregatione Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, Rescriptum quo, vigore specialium facultatum a SS. Dno Nostro concessarum, de modo ordinandi Officium in choro statuebatur:

1° Ut quotidie per annum legatur Officium Immaculatæ Conceptionis B. M. V., exceptis scilicet: prima Dominica Adventus; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. J. C.; Vigilia, Festo et octava Epiphaniæ Domini; Feria IV Cinerum; prima Dominica Quadragesimæ; Dominica Passionis; Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; Festo et octava Pentecostes cum Dominica SS. Trinitatis; Festo et octava SS. Corporis Domini; Festo Sacratissimi Cordis Jesu; Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ cum ejus octava; Festo SS. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum; Dedicatione omnium Ecclesiarum cum ejus octava; Festo S. Joseph patroni Belgici Regni; Festo S. Albani Martyris Patroni civitatis et diœcesis Namurcensis; Festo S. Symphoriani Patroni Jamedensis parœciæ; Festo S. Patris Seraphici Francisci cum ejus octava; cæteris quibuslibet festis primæ vel secundæ classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; quibus omnibus diebus et festis idem Officium recitatur quod Fratres Minores recitant.

2° Ut illud Officium assumatur, quod a SS. D. N. Pio PP. IX anno 1863 præscriptum fuit.

3° Ut sub eodem ritu celebretur, quo officium hujus diei apud Fratres Minores, cum commemorationibus de jure.

Animadvertendum est prædictum Rescriptum expresse juxta vigentem in Monasterio usum, postulatum fuisse, ac porro secundum eumdem usum ab initio interpretatum fuisse, nimirum ita ut si festum duplex non tamen classicum inter octavas ex prædictis non privilegiatas incideret, Officium Immaculatæ Conceptionis per se non impediret.

Animadvertendum etiam est, Dominicas quæ in Regula primo ponendæ et necessario recitandæ nuncupantur, posse jure merito recenseri non modo Dominicas primæ classis, sed omnes Dominicas classicas, quum præsertim festa omnia classica, licet minus exclusive quam Dominica, in Rescripto recenseantur ut celebranda. Et revera contraria dispositio anomaliam inducit, quam videre est quum v. gr. festum Purificationis incidit in Dominicam secundæ classis.

Præterea, Beatissime Pater, Moniales Conceptionistæ, quo sua erga B. M. V. pietas et devotio novum inde sumat alimentum, valde cupiunt posse a se celebrari festa particularia B. M. V. quæ

Kalendario Franciscano inscribuntur, ut festum Septem Dolorum B. M. V., S. Nominis Mariæ, Patrocinii ejusdem B. M. V., et similia.

Ac porro, congrua ratione, postulant ut ipsis etiam concedantur Officia festorum D. N. J. C. sub ritu duplici majori in eodem Kalendario assignata.

Tandem nonnulla necessaria statuenda videntur, ne quis deinceps anceps dubiusque hæreat in divino Conceptionistarum Officio ordinando.

Quæ quum ita sint, præfatæ Abbatissæ et Moniales Beatitudini Vestræ humillime ac instantissime supplicant, ut de speciali gratia, fausto recurrente quinquagenario a dogmatica Immaculatæ Conceptionis B. M. V. definitione jubilæi anno, indulgere, concedere ac declarare dignetur quemadmodum sequitur:

1° Moniales Conceptionistæ quotidie per annum legant Officium Immaculatæ Conceptionis a SS. D. N. Pio IX anno 1863 approbatum, exceptis scilicet omnibus diebus Dominicis primæ et secundæ classis; Vigilia, Festo et octava Nativitatis D. N. J. C.; Vigilia, Festo et octava Epiphaniæ Domini; Feria IV Cinerum; tota Hebdomada sancta et tota octava Festi Resurrectionis D. N. J. C., cum Dominica in Albis; Festo et octava Ascensionis Domini; Vigilia, Festo et octava Pentecostes cum Dominica SSmæ Trinitatis; Festo et octava Festi Corporis Christi; Festo Sacratissimi Cordis Jesu; Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistæ cum ejus octava; Festo SS. Apost. Petri et Pauli cum octava; Festo et octava Assumptionis B. M. V.; Festo et octava Omnium Sanctorum; Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum cum ejus octava (quod Festum sumatur proprium Ordinis); Festis S. Patroni diœcesis et S. Patroni loci; Festo Seraphici S. Patris Francisci cum ejus octava; quibuslibet festis ritus duplicis primæ aut secundæ classis in Kalendario Fratrum Minorum assignatis; Festis D. N. J. C. aut B. V. quæ in eoden Kalendario sub ritu duplici majori recoluntur. Quibus Dominicis, feriis, festis, octavisque privilegiatis, et etiam diebus infra octavas ex supradictis non privilegiatas, modo in istis fiat Officium de octava, recitetur Officium diei secundum Breviarium Romanum quod Fratres Minores recitant. Si vero infra octavam non privilegiatam recolatur festum cujus Officium a Conceptionistis nonest celebrandum, non impediat Officium de Immaculata Conceptione;

2° Kalendarii universalis Ecclesiæ octavæ non omittantur; Ordinis autem Fratrum Minorum, S. Patris Seraphici Francisci octava celebretur et nulla alia;

3° Immaculatæ Conceptionis Officium, diebus indultis, sub eodem ritu celebretur quo apud Fratres Minores festum seu Of-

ficium cui illud subrogatur, non tamen ritu minore quam semi-duplici;

4° Fiat commemoratio Officii currentis, cæteræque de jure, non omissa commemoratione de octava, de feria, de vigilia, etc., juxta Rubricas generales Breviarii.

Insuper ad præscindendas suborientes difficultates, dignetur Sanctitas Vestra declarare et concedere ut sequitur, pro Conceptionistis:

1° Missa Immaculatæ Conceptionis, Officio conformis, dicitur cum *Gloria* et *Credo*. In secreta dicitur: *quam in commemoratione Immaculatæ Conceptionis;*

2° Die 14 Augusti et die 7 Decembris, si sinit occurrens festum, Officium fiat de Immaculata, sed Missa erit de Vigilia cum commemorationibus occurrentibus;

3° Per octavam Assumptionis et Nativitatis B. M. V., Officium octavæ fiat loco Officii Immaculatæ Conceptionis, cum pari privilegio;

4° Lectiones primi Nocturni, etiam in ritu duplici majori, erunt de Scriptura occurrente; qua deficiente, erunt *De libro Genesis; Serpens.*

5° Quum successivis diebus fit de Immaculata Conceptione secundæ usque aguntur Vesperæ; quando vero post aliud recitatum Officium, resumitur Officium Immaculatæ Conceptionis, locus fit primis ipsius Vesperis;

6° Festa quæ non Officio, sed sola semper a Conceptionistis commemoratione recoluntur, dummodo propria die commemorari possint, non sunt transferenda, si accidentaliter impediantur; sed neque important translationem alterius Officii, licet inferioris qualitatis, cujus recitatio ex indulto concessa est;

7° In concurrentia cum aliis Officiis, Immaculatæ Conceptionis Officium ut primarium habeatur. Cesset tamen privilegium recitandi de Immaculata Conceptione, ubi concurreret hoc Officium cum alio festo B. M. V. vel cum die octava festi ejusdem B. M. V. cujus saltem commemoratio facienda sit.

Et velit Deus, etc...

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, attentis expositis, facultatem benigne tribuit Episcopo Namurcen, indulgendi ut Moniales Oratrices Officium divinum in omnibus juxta preces recitare valeant. Quo vero ad celebrationem Missæ, eadem S. Congregatio mandavit rescribi: Recurrendum esse ad Sacram Congregationem Rituum.

Romæ, 13 Martii 1905.

D. Card. FERRATA, *Præf.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

**II. — Extinctio et unio aliquarum abbatiarum Ordinis Benedictini in Brasilia.**

*Beatissime Pater,*

Abbates et monachi capitulares Congr. Brasiliensis Ord. S B. in Abbatia Bahiensi ad S. Sebastianum capitulariter congregati, humiliter exponunt Sanctitati Vestrae ad restaurationem Congregationis suae plurimum referre, ut duae antiquae Abbatiae, scilicet B. M. V. de Gratia in civitate Bahiensi et B. M. V. ad locum denominatum Brotas, in eodem Statu Bahiensi, nunc temporis redditibus ferme destitutae necnon de facto extinctae, iure etiam quoad ipsarum titulum abbatialem extinguantur et Abbatiae Bahiensi ad S. Sebastianum quoad temporalia incorporentur. Ad pedes igitur S. V. prostrati iidem Abbates et Patres Capitulares unanimiter petunt ut Sedes Apostolica, auctoritate sua suprema, Abbatias de Gratia et de Brotas denominatas, extinctas quoad titulum et Abbatiae S. Sebastiani Bahiae incorporatas quoad temporalia declarare dignetur. Insuper iidem Capitulares opportunum censent ut duae aliae eiusdem Congregationis Abbatiae, scilicet Abbatia S. P. Benedicti de Olinda et Abbatia B. M. V. de Parahyba sub eodem uniantur Abbate, ita ut Abbas Olindensis ipso facto sit etiam Abbas Parahybanus, et uterque titulus in eadem persona coniungatur. Ideo humiliter petunt ut Sanctitas Vestra Abbatiam Parahybanam Abbatiae Olindensi unitam declarare velit, ita ut uterque titulus in eodem permaneat Abbate, qui in utraque Abbatia iurisdictionem exerceat.

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, audito voto D. Abbatis Primatis, attentisque expositis rerum adiunctis, eidem D. Abbati Primati facultatem benigne tribuit ad extinctionem enunciatarum Abbatiarum deveniendi, facta etiam potestate Abbatiam Parahybanam Abbatiae Olindensi unitam declarandi in omnibus iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 20 Ianuarii 1906.

D. Card. Ferrata, *Praef.*

L. ✠ S.

Ph. Giustini, *Secret.*

Nos, Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., utentes facultate a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium per annexum rescriptum de die 20 Ianuarii Nobis tributa, praesentibus litteris Abbatias B. Mariae Virg. de Gratia in civitate Bahiensi et B. Mariae Virg. apud Brotas in Statu Bahiensi,

Congregationis Brasiliensis O. S. B., quoad ipsarum titulum extinctas et relate ad temporalia Abbatiae Bahiensi ad S. Sebastianum, eiusdem Congregationis, incorporatas volumus ac declaramus.

Insuper vigore eiusdem supradicti rescripti, Abbatiam B. Mariae Virg. de Parahyba, item Congregationis Brasiliensis, cum Abbatia S. P. Benedicti Olinda unimus et unitam testamur, ita ut uterque titulus in eodem permaneat Abbate, qui in utraque Abbatia iurisdictionem exerceat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum in Abbatia Nostra Primatiali S. Anselmi de Urbe, sub signo sigilloque nostris, die 23 Ianuarii 1906.

HILDEBRANDUS, *Abbas Primas O. S. B.*

## S. CONGREGATIO CONCILII

**I. — Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem C. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 30 Iunii 1906.**

*Per summaria precum:*

4612
4

I. — LICIEN. — REMOTIONIS IMPEDIMENTI SPONSALIUM.

Ob amatorias consuetudines, ex quibus prolem susceperat, cum Nemesto Danieli die 3 Aprilis 1902 impedimentum sponsalium Amista F. coram Vicario Capitulari Liciensi interposuit, et anno 1904, peracto processu, Curia Liciensis sententiam tulit, qua decrevit nunquam ab eadem concedi posse convento Nemesto testimonium libertatis status, quousque ipse vel actrici nuberet, vel eidem ad damna compensanda solvisset summam lib. 4000.

Interea actrix iam actionem suam experta fuerat coram laico tribunali, infausto vero sidere tum in linea poenali, tum in linea civili.

A sententia Curiae Liciensis appellavit conventus ad Metropolitanam Curiam Hydruntinam, quae, uti evidenter nullam sententiam Curiae Liciensis retinens, appellationem reiecit, at appellantem damnavit ad expensas iudicii.

Ad H. S. C. provocavit ab hac sententia tempore utili actrix, quare quaestio per summaria precum proposita fuit in comitiis generalibus diei 26 augusti elapsi anni, et dimissa fuit responso « Dilata et ad mentem ».

S. H. C. tunc censuit propositae quaestionis solutionem differre, et interim mandavit ut Episcopo scriberetur ad hoc, ut prudenter ageret et pertractaret pro inducendo convento ad congruam summam solvendam actrici, quam ipse, attentis omnibus, aequam in Domino aestimasset, ob damnorum compensationem pro qua propter passam deflorationem cum sequuta prole eadem actrix instabat.

Conventus per suum procuratorem uti compositionis modum solutionem libellarum 1000 proposuit, nuncium insimul mittens cuicumque indemnitati quae sibi competere posset pro expensis latis in iudicio coram laico tribunali.

Cum haec propositio ab actrice haud fuerit accepta, quaestio denuo in mox elapsis comitiis proposita fuit, nullis a partibus, licet rogatis, exhibitis allegationibus.

E.mi Patres iuxta suetam prudentiam respondendum censuerunt:

« *Sententiam Curiae esse infirmandam; et ad mentem* ».

---

3993/5

II. — MELEVITANA. — IURIS DEFERENDI STOLAM.

In civitate *Conspicua* Melevitanae dioeceseos an. 1822 Capitulum Collegiatae Ecclesiae a Pio VII institutum fuit, cui ab ipsa erectione habitualis cura animarum commissa fuit, reservata canonico Archipresbytero cura actuali. Contentionibus exortis, utraque cura Constitutione Pii VII anno 1830 Capitulo commissa est, exercenda tamen per dignitarios et canonicos, vel per Vicarium Curatum ab ipso Capitulo designandum. Attamen cum eadem Constitutio ob plures difficultates executionem habere non potuerit, serius praeeunte Melevitano Episcopo concordia a Capitulo inita est dein per Bullam Pii IX anno 1850 confirmatam, cuius tenor sequens est:

« 1. Ut cura actualis unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario Curato per Capitulum universum, comprehenso Archipresbytero, eligendo:

2. Ut ad Vicarium ipsum curatum spectet tantum administratio sacramentorum, et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit; salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori debeantur, cetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant ».

Nihilominus cum idem Capitulum plures adhuc paroeciales functiones per seipsum expleret, Vicarius Curatus ad H. S. C.

recursum habuit, quae ad dubium: « An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario Curato in casu »; die 20 dec. 1902 respondit: « affirmative quoad exercitium curae animarum ».

Contentionibus tamen inter Capitulum et Vicarium curatum haud extinctis, hic die 13 maii 1904 supplicem eidem Curiae libellum porrexit, expetens ut dictum Capitulum ad executionem decisionis S. C. Concilii die 20 dec. 1902 datae adigeretur, in specie autem in quibusdam se manuteneri iuribus expostulavit, inter quae ut sibi ius esset stolam deferendi cum praecedentia super Capitulum in deferendis in Ecclesiam defunctis. Verum cum Episcopus declarasset die 3 februarii elapsi anni ius stolae spectare ad digniorem in Capitulo, Vicarius Curatus eiusmodi decisione se gravatum sentiens ad H. S. C. appellationem instituit.

Patronus, quem sibi delegit, ut demonstret Vicario Curato in funeribus ius gestandi stolam spectare, contendit haud dubitari posse quin idem ius ad illum pertineat, qui sit actu parochus idque ex inducta a SS. Rituum Congregatione disciplina, prout in causa *Aliphana* 24 nov. 1691. desumit.

Nec praeterit ut eadem norma ubique servaretur generaliter ab eadem S. C. nuperrime praeceptum esse, adeo ut quicumque animarum curam agat, sive sit parochus, sive Capituli Vicarius in mortuo efferendo, Capitulo excluso, stola decoretur. Ulterius advocatus ad exceptionem a Capitulo motam evertendam pergit, qua hoc sibi suffragari consuetudinem substinet, allegans aliud SS. Rituum decretum quo Capitulis Collegiatarum Ecclesiarum ius in funeribus stolam gestandi tributum est, si eadem consuetudo sit legitime inducta, sed contendit dictum decretum haud amplius vigere, neque si vigeret, id quod Capitulares expetunt significaret, imo, etsi id significaret, eidem tamen Capitulo non suffragaretur.

Ex parte vero Capituli praeter alia, stat decretum S. C. Congregationis, 23 Aprilis 1895, quae clarissimis verbis statuit « eumdem parochum primum habere locum super omnem clerum, *excepto* (si interfuerit) *Capitulo Cathedralis Ecclesiae quod in adsociatione incedet post ipsum parochum; excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior Capituli Cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat parochus et idipsum servabitur si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post parochum incedat* ».

Vicarii Curati patronus vero contendit quoad hoc decretum, Episcopum errore ductum diversam in partem decretum accepisse. Nam illa decreti verba « dignior Capituli incedat cum stola et « etiam cum pluviale; *quod tamen non ferat parochus* » ita sonare iudicavit, veluti si parochus tum pluviali tum stola interdiceretur. Verum si mens decreti fuisset neutrum gestari a parocho, pro-

fecto dictum fuisset, *quae non ferat parochus*. Unum proinde parocho interdictum fuisse contendit per illud singularem numerum *quod*, scilicet non stolae usum sed pluvialis, eoque magis tum quia pronomen *quod* proximo verbo *pluviali* cohaereat oportet, tum quia femininum genus stola cum neutro genere *quod* componi nequit.

Demum tota controversia in eo versatur, an revera favore Capituli Conspicuae adsit consuetudo quae ab ipso decreto, ad instar necessariae conditionis requiritur.

Iamvero Vicarius Curatus Azzopardi, non denegans factum consuetudinis, hanc tamen in casu invocari non posse contendit.

Quare his ex utraque parte relatis sedulo perpensis, Emi Patres, quaestionem dimiserunt respondentes:

« *Decretum Episcopi esse confirmandum salvo Vicario curato iure deferendi stolam, si incedat loco proprio sui officii* ».

---

3670
4

III. — HIERACEN. — NOMINATIONIS AD CANONICATUM.

Ecclesia Cathedralis Hieracensis Capitulum olim 24, hodie 12 tantum canonicis praebendatis constat, quibus adiunguntur alii 8 canonici honorarii. Nunc Primiceriatus vacat. A remotis temporibus constitutum etiam fuit ad facilius et dignius sacras functiones obeundas, aliud beneficium quod obtinebat sacrista maior. Iste quamvis non fuerit de Capitulo, attamen saltem ab anno 1593, in choro sedem habuit post novissimum canonicorum, et in processionibus praecedentiam super caeterum clerum; necnon vi institutionis munus punctatoris exercere valebat, quamvis hoc officium ex usu inveterato iuxta Capitulares Constitutiones ab uno ex canonicis alterius hebdomadis persolutum sit.

Anno 1856 nominatus fuit uti Sacrista Maior sacerdos Simeon Ricupero, qui credito officio renunciasse perhibetur die 2 Iulii 1904, etsi huius renunciationis vel resignationis actus penes Curiam documentum non existat, nec Capitulo aliquid de ipsa notum factum fuerit.

Interim Episcopus elevare volens ad Canonicatus honorem beneficium Sacristae, votum Capituli exquisivit. Forma consueta et non extraordinaria, ut par erat, convocatis comitiis Capitularibus, de 11 canonicis, 9 personaliter interfuerunt. De aliis duobus Hector Migliaccio non interfuit eo quod personaliter non fuerat invitatus, et Joseph Ferrari valde senex interfuit per procuratorem, putans agi de ordinario Capitulo, et nihil sciens de fine speciali illius convocationis. Capitulum ita adunatum die 24 Iulii 1904 votum affirmativum emisit circa Episcopi petitionem.

Quare Episcopus beneficium Sacristae ad canonicatum elevavit, quamvis de hoc nullum authenticum habeatur in Curia documentum, et ad illud nominavit per Bullam diei 20 Augusti eiusdem anni Subdiaconum Paschalem Caserta nepotem renunciatarii, qui et sacrista maior et canonicus supernumerarius cum omnibus consequentibus iuribus et honoribus factus, et beneficii possessionem adeptus est die 28 eiusdem mensis, licet quidam ex canonicis praesentibus protestationem emiserit, choro illico relicto.

Omnibus sibi impositis oneribus novus beneficiatus satisfacere coepit, tum in qualitate sacristae, tum in qualitate canonici; redditus praebendae seu muneri sacristae respondentes percepisse videtur, at redditus canonicalis, necnon vox sive activa sive passiva, imo ipsa personalis praesentia in coetibus Capitularibus iugiter eidem denegata fuit, neque de hoc formalem protestationem canonicus Caserta exhibuit, sed tantum querelas.

Contra vero huiusmodi Episcopi agendi rationem, sub die 13 Dec. 1905 recursum habuit ad H. S. C. tum Canonicus Hector Migliaccio, tum alter Canonicus Joseph Ferrari qui contendunt factam nominationem nullam esse.

Interim Episcopus nonagenarius pendente recursu obiit, et actualis apostolicus administrator sese remisit pro solutione quaestioni H. S. C.

Tota quaestionis solutio pendet a renunciatione sac. Ricupero, et a validitate Comitii Capitularis diei 24 Iulii 1904. Munus Sacristae in Cathedrali Hieracensi prouti constitutum apparet, est vere et proprie beneficium, et hoc admisso facile est demonstrare renunciationem a sac. Ricupero factam substineri non posse. Juxta const. « *Quanta Ecclesiae* » S. Pii V. et « *Humano vix iudicio* » Gregori XIII haec conditiones ad validitatem renunciationis alicuius beneficii verificari debent, nempe:

*a*) Quod resignans beneficium habeat unde honeste et convenienter vivere possit;

*b*) Quod resignatio a legitimo superiore acceptata publicetur intra terminos statutos, modo etiam statuto, ad notitiam interesse habentium.

Sed hae conditiones in casu non verificantur, ergo videtur concludi posse pro invaliditate renunciationis a Sac. Ricupero factae.

Nec aliter dicendum est de Capitularibus comitiis diei 24 iulii 1904, nam cum ageretur de fine extraordinario oportebat personaliter convocare omnes Capitulares residentes et absentes, et monere de speciali ratione convocationis qui procuratorem nominarunt ne eorum deciperetur bona fides, vel adesset dolus. In casu vero neque dici potest sufficiens procuratio in forma ge-

nerica, uti egi Can. Ferraris putans de Capitulo ordinario agi, sed requiritur omnino mandatum speciale.

Ex dictis clarissime apparet nullam esse factam nominationem, quia fundatur in resignatione D. Ricupero, et in voto Capituli, quae substineri nequeunt.

Neque demum videtur sac. Caserta ad ita constitutum novum beneficium nominatum, aliquod ius habeat ex facto possessionis beneficii eiusque continuatione. Et hoc sive quia possessio non est iusta, sive quia mala fides clarissime elucet, tum ex facto renunciationis, tum ex facto convocationis Capituli, sive insuper quia possessio in casu ne dici quidem vera possessio, et multo minus pacifica, nam Sac. Caserta adfuit in choro cum habitu canonicali quidem, sed nunquam interfuit Comitiis capitularibus, quia iugiter ab ipsis eum canonici arcuerunt; numquam percepit tertiam partem conciliarem, ad quam bulla nominationis ius eidem concedebat.

Ex adverso D. Caserta pro aris et focis pugnare nititur in favorem propriae nominationis, asserens ad Episcopum spectare ius conferendi beneficia in propria dioecesi, dummodo non sint de iure patronatus. Proinde nominatio ab Episcopo facta semper substineri debet, eo vel magis, quod, quae dicta sunt de Capituli consensu, respiciunt non Cathedrales vel Collegiatas proprie dictas, sed tantum Ecclesias receptitias, quod nôn verificatur in casu.

Advertit insuper si Episcopus non publicaverit forma debita renunciationem D. Ricupero, hoc tribuendum esse peculiaribus circumstantiis illius dioeceseos, quae tales erant ut publicatio in illa forma facta, plures discordiae suscitare potuisset. Qua data circumstantia gravissima, sufficiens retineri debet publicatio facta ad valvas Curiae ad legalitatem actus.

Neque electio nepotis eiusque nominatio in beneficium patrui in themate videtur opponi sacris Canonibus, cum in his agatur potius de filiis, quam de consanguineis presbyterorum, et cum saepissime in parvis civitatibus necessarium sit conferre beneficia consanguineis presbyterorum ob parvum numerum sacerdotum ibi degentium.

Hisce aliisque sedulo perpensis, Emi Patres respondere censuerunt:

« *Praevia sanatione ad cautelam ob non servatam regulam decreti* AD DIRIMENDAS, *collationem factam favore Sacerdotis Caserta substineri* ».

---

Ob spatii deficentiam omittuntur referre causae *in folio* earumdem tantum responsa referuntur.

I. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII (*Sub secreto*)

R. « *Sententiam esse confirmandam* ».

---

II. — AVENIONEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*Sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

---

III. — RIPANA. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. « *Negative* ».

---

IV. — MEDIOLANEN. — REDINTEGRATIONIS BENEFICII.

R. « *Infirmandam esse sententiam* ».

---

V. — FERETRANA. — TRANSLATIONIS SEDIS PAROECIALIS.

R. « *Recedendum a decisis; et residentiam parochi transferendam esse in loco Mercatino Conca, salva potestate Episcopi providendi curae animarum in planitie superiore existentium, sive per Vicarinm cum plenitudine paroecialis iurisdictionis, sive per unionem ad proximas paroecias, salvo alio canonico modo sibi magis beneviso* ».

---

VI. — PONTISCURVI. — IURIS FUNERANDI.

R. « *Servandum esse ius commune* ».

---

VII. — IANUEN. — IURIUM.

R. « *Confirmandum esse Decretum Archiepiscopi: et ad mentem, quae est ut tres sacerdotes dimissi statim restituantur, et in posterum, secuta vacatione duarum participationum, eaedem non provideantur, donec dos massae proportionaliter non augeatur* ».

---

VIII. MILETEN. — MATRIMONII (*Extra ordinem*).

R. « *In decisis* ».

---

# S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

## I. — DECRETUM

**Laudis Tertiariis dominicanis de Racine in Milwaukiensi dioecesi.**

Quum Reverenda Mater Maria Aemilia a SS. Angelis, Priorissa generalis Instituti Sororum Tertii Ordinis S. Dominici congregationis Sanctae Catharinae Senensis, quarum domus princeps est in loco archidioecesis Milwaukiensis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis qui vulgo dicitur *Racine*, enixe petierit ut Sancta Sedes praedictum Institutum illiusque constitutiones adprobare dignaretur, eius petitio Romanae Commissioni pro examine constitutionum novorum Institutorum ab hac S. Congregatione dependentium institutae, cui Eminentissimus Cardinalis Franciscus Satolli praeest, prout opus erat delata fuit. Praelaudata vero Reverendissima Commissio, attenta huius Instituti pro missionibus in supradicta regione utilitate, de qua litterae commendatitiae Ordinariorum, in quorum dioecesibus Sororum domus extant, fidem faciunt, et attenta etiam illius aggregatione ad Tertium Ordinem Sancti Dominici a R. P. Magistro Generali peracta, idem Institutum interim laudandum eiusque constitutiones iuxta schema exhibitum, introductis tamen modificationibus prout in adnexo exemplari habetur, ad quinquennium per modum experimenti adprobandas censuit. Quare haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, iuxta votum Reverendissimae Commissionis, decretum laudis praefato Instituto et temporaneam praedictam adprobationem eius constitutionibus dare decrevit, sperans ipsum tale incrementum consecuturum, ut Sedis Apostolicae approbationem suo tempore obtinere valeat. Quam S. Congregationis sententiam ab infrascripto eiusdem Secretario, in audientia diei 9 Maii 1905 SS. D. N. Pio divina Providentia PP. X relatam, eadem Sanctitas Sua in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, et super his praesens decretum fieri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 10 Maii 1905.

Fr. Hieronymus Card. Gotti, *Praef.*

L. ✠ S.

Aloysius Veccia, *Secret.*

**II. — Missiones Insularum Carolinarum orientalium atque occidentalium in unam apostolicam Praefecturam uniuntur.**

DECRETO S. huius Congregationis Fidei propagandae praepositae, die 15 Martii 1886 dato, Leo f. r. Papa XIII duas Missiones instituit in Insulis Carolinis, unam nempe Carolinarum Orientalium, Occidentalium alteram, easque Minoribus Capulatis Hispanis excolendas commisit. Cum nuper autem praelaudati Ordinis Minister Generalis ab hoc S. Consilio petierit ut in illis insulis, quae hodie germanicae dominationi subsunt, loco duarum Missionum, unica erigeretur Praefectura Apostolica, qua Provinciae Westfaliensis eiusdem Ordinis curis traderetur, Emi huius S. Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus die 4 vertentis mensis Decembris habitis, hoc negotium pertractandum suscepere. Re itaque mature perpensa, iidem Emi Patres, ad maius rei catholicae incrementum in illis insulis procurandum, decreverunt ut loco duarum Missionum illic existentium, Insularum nempe Carolinarum Orientalium, unica constitueretur Praefectura Apostolica Insularum Carolinarum nuncupata atque Provinciae Westfaliensis Ordinis Minorum Capulatorum curis excolenda committeretur.

Hanc autem Emorum Patrum sententiam SSmo Domino Nostro Pio divina providentia PP. X relatam in audientia insequentis diei ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua benigne adprobavit ratamque habuit, et praesens ea de re Decretum edi praecepit.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 18 Decembris an. 1905.

FR. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

## SS. RITUUM CONGREGATIO

### I. — ORDINIS S. BENEDICTI.

**Indultum de translatione festorum primae et secundae classis.**

RMUS D. HILDEBRANDUS DE HEMPTINNE, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, SSmum Dominum Nostrum Pium PP. X supplex rogavit, ut Indultum apostolicum diei 24 Februarii 1905 Congregationi eiusdem Ordinis Cassinensi a primaeva observantia concessum, quo festa duplicia primae vel secundae classis, quoties a digniori Officio impedita occurrerint, in diem primam respective sequentem transferri valeant, redacto ad ritum sim-

plicem Officio ritus duplicis minoris (non tamen alicuius Sancti Doctoris) aut semiduplicis occurrente, benigne extendere dignaretur ad omnia Coenobia seu Monasteria sui Ordinis, quae eodem indulto iusta de causa uti voluerint.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Domino Nostro tributis, petitam enunciati privilegii extensionem benigne indulsit iuxta preces; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep, Leaodicen., *Secret,*

---

II. — ORDINIS S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

**Tertiariis Regularibus indulgetur usus Kalendarii, Missalis et Martyrologii Capuccinorum.**

*Beatissime Pater,*

PROCURATOR Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri Generalis eiusdem Ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat, pro gratia ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI (Const. *Religiosos Ordines* diei 6 Septembris 1785) Ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 8 Augusti 1835 (*Decret. authen. S. R. C*, n. 2735 ad VI), et 15 Aprilis 1904 editarum, non solum Moniales Capuccinae secundi et tertii Ordinis Regularis, quae iam vigore privilegii Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 Ianuarii 1688 (*Decret. authen.*, n. 1790 ad II) hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus Tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui sint Instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum Ordine Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 28 Augusti 1903 et Rescripti Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 18 Novembris 1905, eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum Officium quotidie recitent, sed Officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolvant in suis ecclesiis et Oratoriis, ut valeant Kalendario, Missali ac Martyrologio ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 Decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint sacerdotes, ecclesiae sive simplici sive parochiali canonice mancipati, in festis Patroni principalis tituli ac Dedicationis Ecclesiae tam propriae quam Cathedralis, necnon quibus diebus Missam appli-

care debent pro populo teneantur in Officio et Missa sequi Kalendarium dioecesis prouti Fratres primi Ordinis, ac deinde recurrente iuxta Kalendarium primi Ordinis aliquo Officio secundum Ordinem dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo Ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere. Et Deus etc.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne precibus annuit: exceptis tamen Tertiariis Franciscalibus tam saecularibus quam Regularibus, qui Kalendarium Ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in Horis Canonicis persolvendis Sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## III. — PISCIEN.

**Decretum quo vetera confirmantur, novaque conceduntur privilegia seu insignia Praeposito ac Canonicis insignis Collegiatae Ecclesiae loci « Montecarlo ».**

S. RITUUM Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, inspecto Motu Proprio « Inter multiplices » 21 Februarii 1905 una cum documentis exhibitis et Litteris testimonialibus et commendatitiis Rmi Dni Episcopi Dioeceseos Piscien, circa privilegia seu insignia tum Praepositi tum Canonicorum insignis Collegiatae Ecclesiae loci « Montecarlo » nuncupati memoratae Dioeceseos, atque attento Specialis Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit: Pro continuatione seu concessione privilegiorum seu insignium, nempe Praeposito uti Protonotario Apostolico *ad instar,* et Canonicis usum collaris violacei et mozzettae cum parvo caputio item coloris violacei, si Sanctissimo placuerit. Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacri ejusdem Consilii ratum habens, petitam continuationem et concessionem privilegiorum seu insignium Praeposito et Canonicis supramemoratis absque ulla Apostolici Brevis expeditione indulgere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Julii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

## IV. — SS. RITUUM CONGREGATIONIS DIARUM.

*Die 16 Januarii 1906:* In Apostolico Palatio Vaticano, adstantibus Emis ac Rmis DD. Cardinalibus aliisque Officialibus et Consultoribus habita est Congregatio praeparatoria ad discutienda bina miracula quae asseruntur a Deo patrata intercedente Ven. Fr. Bonaventura a Barcinone laico professo Ord. Min. ac Institutore Recessus S. Bonaventurae Romae, quaeque proponuntur pro eiusdem beatificatione.

*Die 20 Jan. 1906:* Coram SSmo in Palatio Apostolico Vaticano locum habuit Congregatio Generalis SS. Rituum, in qua Emi DD. Cardinalis, Praesules et Consultores theologici eiusdem S. C. discutierunt ac suffragium dederunt primum super dubio de *Tuto* pro solemni beatificatione Ven. Iuliae Bilitart, Institutricis Instituti sororum B. M. V., deinde vero super dubio virtutum in gradu heroico in causa beatificationis et canonizationis Ven. Annae Maria Taigi Matrisfamilias romanae, Tertiariae professae Ord. a SSma Trinitate pro captivorum redemptione.

*Die 20 Februarii:* Ad Vaticanum Congregatio Ordinaria SS. Rituum habita est in qua sequentia discussa fuerunt:

1° Introductio causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Sac. Gasparis Bertoni, Institutor Congregationis a SS. Stigmatibus D. N. I. C.;

2° Confirmatio cultus a tempore immemorabili praestiti Servo Dei Marco de Marconi Ordinis S. Hieromyni, Congregationis B. Petri a Pisis;

3° Confirmatio cultus ab imemorabili praestiti Servo Dei Ioanni Episcopi loci *Monte* Marano;

4° Confirmatio electionis B. M. Virginis a Divina gratia in Patronam Civitatis de Caceres;

5° Concessio et approbatio Officiorum et Missarum in honorem Mysteriorum Viae Dolorosae, et septem Gaudiorum B. V. Mariae pro Ordine Minorum;

6° Concessio et approbatio Officii cum Missa in honorem B. V. M. Immaculatae vulgo dictae « *de Apparecida* » pro Archidioecesi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii;

7° Concessio et approbatio Officii et Missae in honorem B. Ioannis Aloisii Bonard, Martyris, pro Archidioecesi Lugdunensi;

8° Circa revisionem scriptorum VV. Apollinaris de Almeida Episcopi Nicaeni, Abraam de Georgiis aliorumque S. I. in odium fidei a schismaticis interfectorum;

9° et servorum Dei Tristani de Attimis Sacerdotis professi aliorumque S. I. in odium fidei ad idololatris interfectorum:

10° et servorum Dei Georgii Haydoc. presbyteris saecu-

laris, Ioannis Roberts, monaci Ord. S. Benedicti, Arturi Bellis Ord. Minorum; Roberti Rontwell, sacerdotis professi S. I., Philippi Howard Comitis de Aremdel aliorunque bis centum quinquaginta quinque sociorum in odium fidei interfectorum Henrico VII et Elisabeth regibus;

11° et Servi Dei Philippi Ieningen, sacerdotis professi S. I.;

12° et Servarum Dei Mariae Clotildis Angelae a S. Francisco Borgia, et decem aliarum sororum Ursulinarum de Valenciennes.

13° et servarum Dei Magdalenae Fontaine et Sociarum filiarum a caritate;

14° et tandem circa quaedam dubia liturgica.

*Die 13 Martii:* In eodem Palatio Vaticano locum habuit Congregatio SS. Rituum Ordinaria Rotalis, quae praesidibus Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Ponentibus, Vincentio Vannutelli, Hieronymo Gotti, Dominico Ferrata et Aloisio Macchi iudicavit:

1° Circa cultum in obsequium Decretorum Urbani VIII nunquam praestitum Vener. Dominico Lentini, sacerdoti saeculari dioeceseos Policastren;

2° Circa validitatem processus apostolici instructi in Curia Nucerina Paganorum super fama sanctitatis virtutibus et miraculis in genere Ven. Caesaris Sportelli, Sacerdotis professi Congregationis SSmi Redemptoris;

3° Item circa validitatem processuum apostolicorum et ordinariorum instructorum in causa beatificationis et canonizationis Ven. Annae Magdalenae Remuzat, sororis professae Ordinis a Visitatione M. V.;

4° Tandem circa validitatem processus apostolici instructi in Curia Sublacensi super fama sanctitatis, virtutibus et miraculis in genere Ven. Fr. Mariani a *Rocca Casale,* Laici professi Ordinis Minorum.

*Die 27 Martii:* Ad Vaticanum habita est Congregatio praeparatoria ut discuteretur dubium circa virtutibus in gradu heroico Ven. Januarii M. Sarnelli, Sacerdotis Congregationis SSmi Redemptoris.

*Die 24 Aprilis:* Ad Vaticanum coram SSmo locum habuit Congregatio Generalis SS. Rituum, in qua Emi ac Rmi DD. Cardinales, Praesules ac Consultores theologi eiusdem S. C. suffragium dederunt primum super duobus miraculis, quae asseruntur a Deo patrata intercessione Ven. Bonaventurae a Barcinone, laici professi Ord. Minorum, et Institutoris Recessus S. Bonaventurae Romae; et deinde, approbatione horum miraculorum supposita, suffragium dederunt super dubio de *Tuto* pro solemni beatificatione eiusdem Venerabilis.

*Die 8 Maii:* De mane apud Emum ac Rmum Card. D. Aloisium Oreglia a S. Stephano, Episcopum Ostien. et Veliternen., Ponen-

tem in causa beatificationis et canonizationis Ven. Francisci Mariae Libermann, Institutoris Congregationis Spiritus Sancti ac Immaculati Cordis Mariae, habita est Congregatio SS. Rituum antepraeparatoria, in qua Rmi Praesules et Consultores theologi discutierunt dubium circa virtutes in gradu heroico eiusdem Ven. Servi Dei.

*Die 15 Maii:* In Palatio Vaticano locum habuit Congregatio ordinaria SS. Rituum, in qua sequentia discussa fuerunt:

1° Introductio causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioseph Cafasso, Sacerdotis saecularis, Rectoris Collegii Ecclesiastici Taurinensis;

2° Introductio causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Dominici Blasucci, Clerici scholastici Congregationis Sanctissimi Redemptoris.

*Die 29 Maii:* Ad Vaticanum habita est Congregatio novapraeparatoria ad discutienda bina miracula quae asseruntur a Deo patrata interceden te B. Petro Aloisio Maria Chanel, Sacerdote Marista, protomartyre Oceaniae; quaeque mi racula proponuntur pro eiusdem Beati canonizatione.

*Die 20 Maii:* In SS. Patriarchali Basilica Vaticana Beatificationis festum celebratum est ven. Juliae Billiart fundatricis Sororum a N. Domina.

*Die 27 Maii:* In eadem Basilica idem festum peragitur beatificationis Octo Martyrum Tunquinensium ex Ordine Praedicatorum.

*Die 3 Junii:* Pariter in Basilica Petriana promulgatur Decretum beatificationis Sexdecim Monialium Carmelitarum Excalceatarum Martyrum e Monasterio Compendiensi in Gallia.

*Die 10 Junii:* Taudem in eadem Basilica beatificationis Decretum publicatur ven. Bonaventurae a Barcinone ex Ordine Minorum.

Romae, die 15 Junii 1906.

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**I. — Indulgentiae conceduntur Societati ab " aegrotis domi sublevandis. "**

*Beatissime Pater,*

EPISCOPUS METENSIS ad pedes S. V. devote provolutus, quae sequuntur exponit:

Pluribus abhinc annis in civitate sua episcopali canonice erecta est pia matronarum societas ab aegrotis domi sublevandis

appellata quam amplissime commendat pietas et caritas, cum valde fructuose laboret sublevandis aegrotantium domi suae derelictorum corporibus, multo magis autem ipsorum spirituali bono procurando.

Ut tam frugiferum opus uberiora in dies incrementa capiat, episcopus orator enixe rogat ut S. V. sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles (excepta plenaria in articulo mortis lucranda), benigne concedere dignetur Moderatoribus societatis, piis feminis in eam adlectis, aliisque sive religiosis sororibus, sive laicis, quae piae societati ad normam statutorum, praestant operam:

1° Plenaria indulgentia die festo septem dolorum B. M. V., fer. VI post dominicam Passionis, vel uno ex septem diebus immediate sequentibus, dummodo praefatae personae, confessae ac s. Synaxi refectae, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem S. V. pias preces fuderint;

2° Plenaria indulgentia in mortis articulo lucrifacienda, dummodo uti supra dispositae, vel saltem contritae, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint;

3° Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis IV feriis quatuor temporum, si in sacello ubi societas erecta reperitur, pio exercitio ad normam statutorum peragendo corde saltem contrito ac devote adstiterint;

4° Indulgentia centum dierum quoties aliquod pium opus iusta statuta, corde pariter contrito et devote peregerint.

Et Deus...

SS. D. N. Pius PP. X in Audentia habita die 14 Martii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit in omnibus iuxta preces. Praesenti ad decennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., Congr. die 14 Martii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**II. — Indulgentia conceditur cuidam preci iaculatoriae ad N. Dominam a bonis studiis.**

CUNCTIS invocantibus Bmam Virginem per jaculatoriam: *Notre Dame des Bonnes Etudes, priez pour nous,* semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

Die 16 Maii, an. 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic

Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 22 Maii 1906.

† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

L. ✠ S.

# COMMISSIO PONTIFICIA PRO STUDIIS DE RE BIBLICA PROVEHENDIS

## PENTATEUCHI

**Authentia eiusque integritas confirmatur.**

Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Judaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?

Resp. *Negative.*

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moisen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divi-

-nae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?

Resp. *Affirmative.*

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti additamenta post Moisis mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. *Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.*

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
P. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
*Consultores ab Actis.*

# VICARIATUS URBIS

## DECRETUM

**Quo Romae proscribitur liber " La question biblique au XX$^{e}$ siècle par A. Houtin. „**

Cum Nobis constet de consilio proxime evulgandi in hac Urbe Roma librum cui titulus *La questione biblique au XX$^{e}$ siècle* par *Albert Houtin*, Paris, Libraire E. Nourry, *14, Rue N.-D De Lorette, 1906 ;*

Audita sententia aliquorum doctorum virorum, praedictum librum, auctoritate Nostra ordinaria, proscribimus atque proscriptum declaramus.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et conditionis Nostrae iurisdictioni subiecto librum proscriptum aut vendere aut legere vel retinere liceat sub culpa lethali.

Datum Romae, die 14 Maii 1906.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vicarius.

L. ✠ S. FRANCISCUS Can. FABERI, *Secretarius.*

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

**Continuatio de Matrimonii Sacramento.**
(Cf. *Acta Pontificia* Vol. 4° pag. 197-199).

§ 3. — *Qua ratione nullum revalescat matrimonium.*

Quum matrimonium, licet rite initum, non valeat, ut revalescat, quum possit, consulendum est. Quod publice aut secreto fit prout matrimonii impedimentum est publicum vel facile patefieri possit, aut omnibus ignotum est.

Ut publice (in foro externo) revalescat matrimonium coram proprio parocho et fide dignis testibus, ut plurimum absque proclamationibus, coerimoniis omissis, quum impedimentum certissimum non est, at quum id omnes noverint (ut matrimonium civile), nisi Episcopo ex certis adiunctis aliud videatur, publice matrimonii consensus est iterandus.

Secreto (in foro interno) matrimonium ut revalescat, qui putabantur sponsi in matrimonium, quod nullum esse etsi in facie Ecclesiae initum, certo noverint necesse est, consensum sine parocho et testibus mutuo, omnino sponte, aspectabilibus signis renovant. Qua ergo ratione consensus renovetur sponsos doceat sacerdos, sed ne culpam, ex qua dirimens forte ortum fuerit impedimentum quum adhuc innocentem partem lateat ne coniugalem pacem filios, etc. perturbet, eadem nunquam resciscat, caveat. Ut autem conditio quae ut impedimentum tollatur semper a S. Poenitentiaria imponitur servetur « impedimenti conscius libere declaret haud rite matrimonio consensisse quum primum celebratum fuit ideoque oportere, consilio confessarii atque internae tranquillitatis causa ut ambo consensum renovet seque id libenter factum ostendat. Quod si alter coniunx eandem voluntatem patefaciat, id satis erit ut novus consensus iuxta praescriptam normam elicitus intelligatur ».

At si omnibus mature perpentis, gravissimis incommodis obnoxiam hanc iudicet rationem Episcopum parochus adeat a quo qua alia via (a S. Poenitentiaria alteram partem de prioris consensus nullitate certiorem faciendi conditio tollatur; aut quia alia praecludatur via et grave simul periculum timeatur ut haec conditio habeatur impossibilis et S. Sedis licentia praesumatur) matrimonium revalere doceatur. Gravibus his adiunctis pars impe-

dimenti conscia, impedimento legitime ablato, per copulam coniugali affectu habitam novum exprimat matrimonii contrahendi consensum, qui cum virtuali alterius coniugis consensu, matrimonium revalescit.

Quum vero alterius consensum haberi nequeat, Apostolica Sedes quae matrimonium in radice sanet adeunda est.

Consensus non est iterandus 1° quum impedimentum dispensatur in radice; 2° vel quum matrimonium cum conditione initur; at si aperte conditio dimittatur aut matrimonium antequam conditioni satisfiat consummetur, matrimonium ipso facto valet; 3° in privatis impedimentis (erroris, vis, metus, conditio, raptus, consensus fictus) quae ex deficiente consensu oriuntur matrimonium legitime initum, si impedimentum occultum sit, tacitus eius qui matrimonio repugnare possit, consensus sufficit.

§ 4. — *De matrimoniis mixtis.*

In mixtis matrimoniis ea distinguenda sunt quae cum apostolicae Sedis venia ab iis quae sine ineuntur.

His quae sine cautionibus contrahuntur parochus in loco sacro («passive») assistit et cuncta quae aliqua ecclesiasticae solemnitatis speciem prae se ferant vitet oportet. Denuntiationibus, iis etiam quas alii parochi, reticito religionis impedimento, et, pro adiunctis, acatholici ministri forte fecerint, praemissis si sponsi coram testibus a catholico parocho deposcant ut mutui eorum in matrimonium consensus declarationem accipiat, ipse quidem hanc quieto animo audiat sed leniter at serio catholicam partem ob flagitiosas nuptias graves Deo rationes reddituram esse prius moneat. tui deinde Mutui matrimonium consensus declaratio in proprias tabulas diligenter refertur.

Parochus iis etiam matrimoniis in loco non sacro assistit quae, solitis praecedentibus cautionibus, ex S. Pontificis venia, ineuntur. Ex novissima tamen S. Sedis disciplina ubi generales Ecclesiae leges servari nequeant nisi graviora inde subeantur incommoda, praeter Missam pro sponso et sponsa ritus tolerantur qui in dioecesano pro matrimoniis contrahendis rituali praescribuntur.

Catholicae Ecclesiae membro numquam acatholicum ministrum pro nuptiis adire licet et religionis ministerium ab ipso exquirere Ecclesiae leges prohibent. Quum ergo parochus contrahentes acatholicum religionis ministrum adiisse resciat, de gravi communicationis in sacris peccato moneat omnino necesse est. Si vero nec a sponsuris utrum liceat nec ne ministrum hae-

reticum adire interrogatus fuerit, nec eorum huiusmodi ministrum adeundi propositum certo noverit at eos coram haeretico ministro forte consensum renovaturos atque idem admonitionem nihil certo profuturam « indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum fore provideat, remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint » silentium obtineat. Si denique omnibus notum fiat vel ab ipsis resciat sponsis iam acatholicum ipsos adiisse religionis (non civitatis) ministrum parochus matrimonialem coram se renovari consensum ne permittat « nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis - pars catholica facti poenitens praeviis salutaribus poenitentiis absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit ».

Ubi vero clandestinitatis non vigeat lex, huiusmodi sponsis assistentia non denegatur « si animo vere contrito poeniteat suisque satisfacturam obligationibus, praesertim circa omnium liberorum educationem catholicam pro viribus seduloque curandam promiserit absoluta potest dimitti (Pius VIII).

### § 5. — *De matrimonii subiecto et ministro.*

Matrimonii sacramentum recipere possunt duo diversi sexus viventes et baptizatae personae quae, ex Ecclesiae legibus nullo intercedente impedimento, matrimonium inire possunt et coniugali consentiunt sociari connubio.

Ut autem digne recipiatur sacramentum requiritur: 1° honesta morum conditio « pro foro externo ». Quum indignitas (ex infidelitate, turpi vita, excommunicatione, etc.) certa sit et omnibus nota sit, gravius cavendum sit incommodum, indigni matrimonii consensui ut in mixtis matrimoniis parochus assistere potest; 2° gratiae status; proinde, pridie nuptiarum quum possit poenitentiae et Eucharistiae sacramenta sponsuri recipiant oportet: imo generalis totius vitae confessio est in universum consulenda; 3° nullum impediens impedimentum.

Ex certa communi doctrina huius sacramenti ministri sunt ipsi contrahentes. Episcopus, in sua diocesi, parochus, in sua propria cuiusque contrahentis parochia aut ex certo Episcopi aut parochi mandato, quivis sacerdos, sunt sacramenti publici in Ecclesia testes vel notarii.

Proprii parochi est ut sponsi iure et licite matrimonium secundum ordinem ineant curare.

# BIBLIOGRAPHIA

I.

Th. MEYER (s. f.) **Institutiones iuris naturalis seu philosophiae moralis universae.** — Part. I. **Ius naturae generale cotinens.** Ethicam generalem et Ius sociale in genere. – Editio altera emendata. (XLVI et 504 p. f.) - B. Herder - Friburgi Brisgoviae – 1906. - Lib. 10.

Nemo est qui ignoret. celebrem illam philosophorum scholam quae nomine dicitur « *Philosophia Lacensis.* » Haec Philosophia lacensis est series institutionum philosophiae scholasticae edita a presbyiteris Societatis Iesu in Collegio quondam B. Mariae ad Lacum disciplinas philosophicas professis: undecim volumina in iam prodiere. Omnes maioris momenti quaestiones examinantur, erroresque exponuntur atque confutantur. Opus sane immortale. Liber verò qui nunc iterum typis cl. Herder prodit praecipuum obtinet locum inter volumina philosophiae lacensis est manuale quoddam omnibus omnino necessarium quod philosophi, theologinec non arti politicae addicti manibus nocturnis ac diurnis versare deberent eique conformare suas doctrinas vel agendi rationem in animabus populisve regendis.

Nos pro viribus opus istud nostris subnotatoribus et lectoribus commendamus.

II.

F. BRANDSCHEID. — **Novum Testamentum graece et latine** – textum graecum recensuit, latinum ex vulgata versione clementina adiunxit, breves capitulorum inscriptiones et locos parallelos uberiores addidit - Pars Prior - Evangelia. 3ª ed. critica recognita (XXIV et 652 p.). Fr. 3. - B. Herder, Friburgi Brisgoviae.

Haec nova editio Novi Testamenti, quae typis cl. Herder nuper prodiit, valde mihi probatur sive ob perspicuas litteras graecas sive ob copiam optimarum adnotationum criticarum. Quarum notarum admirabilis prorsus est ponderatio et exactitudo principiis vere catholicis innixae. Maximae erit utilitati sive magistris sive S. Theologiae studiosis, cum volumen sit elegans forma, magnificum impressione et tamen pretio minimum.

Valde idem commendamus nostris humanissimis subnotatoribus, cum certi omnino simus eisdem librum perutilem additare.

III.

**Memoriale Vitae Sacerdotalis**. Auctore CLAUDIO ARVISENET, olim canonico et vicario generali Trecensi in Gallia.

**De Sacrificio Missae**. Tractatus asceticus continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi. - Auctore IOANNE Card. BONA Ord. Cist. - 12° (XVI et 426 p.). Fr. 3.75. - B. Herder, Friburgi Brisgoviae, 1906.

E Bibliotheca Ascetica Mystica seu serie operum selectorum quae consilio et auctoritate Emi ac Rmi Dni Antonii Card. Fischer denuo edenda curavit A. Lehmkuhl S. J. nuper hic prodiit tomus. Minime dubitamus quin nostri subnotatores et lectores hunc primum tomum sibi comparare velint, qui commendatione non eget, cum ipsis sufficiat scire cura cl. Lehmkuhl et consilio Emi Card. Fischer eumdem editum esse. Ceterum omnibus satius erit in hoc parvo volumine prae manibus habere pretiosissimum illum opusculum ab Emo Card. Bona conscriptum de ss. sacrificio Missae.

IV.

GIORGIO TYRRELL. — **Nova et vetera** - meditazioni libere tradotte dall'inglese da Teresa Pioli. - Roma, F. Pustet, 1906. Lib.

En cl. Teresia Pioli in italicum vertit idioma unum ex melioribus libris anglice conscriptis. Est quaedam sylloges meditationum personalium, rerum minime novarum sed noviter et ab auctore peculiari modo expositarum. Hinc titulus aptissimus: *Nova et Vetera*. Vetera quia veritas aeterna; nova quia noviter dicta. Tramite innixus Evangelii et veritatis ab Ecclesia propositae, auctor libere omnino procedit et sine ullo praestituto ordine. Quo fit ut liber maximae est delectationi in sua varietate. Nescio utrum plus admiremur profunditatem conceptuum an exactitudinem formae facilitatemque expositionis Horis quibus ariditas atque lassitudo animam opprimant nostram, iuvat aliquas ex huius libri perlegere paginas, vinculis methodi confractis et geometrica partium dispositione seposita. Unaquaeque meditatio a ceteris praescindit; et tu, benigne lector, quamcumque ex eisdem cum satisfactione percurrere poteris.

Velim ut omnes veritatis cultores hunc pretiosum prae manibus habeant librum, ut sancto et iucundo nutriantur pabulo, utile uniant dulci.

# RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Bartolomeo dal Monte** (Ven.) — *Gesù al cuore del Sacerdote.* — Considerazioni ecclesiastiche per ciascun giorno del mese. — Nuova edizione riveduta e corretta con prefazione dell'Emo Card. Domenico Svampa, Arcivescovo di Bologna. Vol. in 32, 210 pag. L. 0.70

**Capecelatro** Card. **Alfonso.** — *Una spiegazione di Catechismo al Popolo.* — Lettura pastorale per la quaresima 1906. Fasc. in-12. L. 0.25

**Cappellazzi Andrea.** — *Nel campo della ragione pura.* — Vol. in-8 334 pag. L. 2.50

**Cathrein Victor,** S. J. — *Der Sozialismus.* — Eine Untersuchung seiner Grundlagen und seiner Durchführbarkeit. Neunte bedeutend vermehrte Auflage. Vol. in-12, 440 pag. L. 4.50

**Cellini Adolfo.** — *Gli ultimi capi del Tetramorfo* e la critica razionalistica cioè l'armonia dei Quattro Evangeli nei racconti della Risurrezione, delle Apparizioni e dell'Ascensione di N. S. Gesù Cristo. — Vol. in-8 314 pag. L. 3.50

**De Amicis, Pietro Maria.** — *Il Cerimoniale completo* per le Chiese parrochiali, Collegiate e Cattedrali, esposto secondo i più recenti decreti de la S. C. d. RR. 4 vol. in-8. L. 12 –

**Deminuid M.** — *Vie du Venerable Iustin De Jacobis* de la Congrégation de la Mission, premier Vicaire Apostolique de l'Abyssinie. Deuxième édition revue, corrigée et ornée de nouvelles illustrations et d'une carte de l'Abyssinie. — Vol. in-8, 410 pag. L. 4 –

**Duplessy.** — *Les Cousins de Matutinaud.* — 2[e] Série des « Idées de Matutinaud ». Vol. in-12, 272, pag. L. 2.50

**Fendt Leonhard.** — *Die Dauer der öffentlichen Wirksamkeit Jesu.* — In-8. VIII-145 pag. L. 4.50

**Koeniger,** Dr, **Alb.** — *Die Beicht nach Cäsarins von Heisterbach.* — In-8. X-107 pag. L. 3.50

**Koenig** Dr. **Erich.** — *Kardinal Giordano Orsini* († 1438). — Ein Lebensbild aus der Zeit grossen Konzilien und des Humanismus. Vol. in-8, XII-120 pag. L. 3.75

**Kunz** Fr. **Xav.** — *Grundrisz der allgemeinen Erzieungslehre,* vorzugsweise für Lehrerseminarien und Lehrer. Vol. in-8, 144 pag. L. 2 –

**Lescoeur L.** — *La Mentalité laïque et l'école.* — Appel aux pères de famille. Avec une Préface de M. Keller. Vol. in-12, 362 pag. L. 3.50

**Magand P.** — *La Société contemporaine* et les leçons du Calvaire. Conférences prêchées à N.-D.-des Champs à Paris pendant la Carême de 1906. Vol. in-12, 270 pag. L. 2 –

**Martin,** Fr. — *Le Livre d'Hénoch,* traduit sur le texte éthiopien par Fr. Martin, L. Delaporte, J. Françon, R. Legris, J. Pressoir. — Vol. in-8. CLII-316 pag. L. 7.50

**Mioni Ugo.** — *Dommi Cristiani* nelle Religioni Orientali. — Vol. in-8 130 pag. L. 1 –

**Pagani** D. **Antonio.** — *Il cristianesimo in Roma,* prima dei gloriosi Apostoli Pietro e Paolo e sulle diverse venute dei Principi degli Apostoli nell'Urbe. Vol. in-12, 192 pag. L. 2.50

# ACTA PONTIFICIA

## I. — LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII D. P. PP. X QUIBUS BEATO GERARDO MAJELLA LAICO PROFESSO CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

### PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

HAUD tenui perfundimur animi laetitia, quod pro supremo munere Nobis licet indignis collato, Beatum Gerardum Majella in Sanctorum numerum referre, eumdemque ut eximium exemplum Christifidelibus universis imitandum proponere Nobis contingat. Eum equidem despexit mundus, et fatuum arbitratus est; non item vero Deus, qui pridem dixerat: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei* (Luc., VI. 20); *Deus qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra, suscitans de terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui* (Ps. CXII, 5-7); Deus itaque hunc Servum suum plurimi fecit; et per eum, cuum adhuc viventem, tum vita jam functum, omnipotentiam suam saepius exseruit, ut fideles homines memoriam ejus colerent, et ejus virtutes imitarentur. Etenim *quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (I Cor., I, 27, 28).

Tenui loco natus est Gerardus IX kalendas Maias anno MDCCXXVI, Muri, quae est urbs Lucanorum, ex Dominico Majella et Benedicta Galella conjugibus. Qui curaverunt eum baptismatis aquis lustrari, ac pro sua pietate eum sancte instituerunt, Ille, parentum sedulitatis, et gratiae divinae, quae eum mature occupabat, impulsionibus volenti animo respondens, puerilibus jocis et cupiditatibus abstinebat, precibus frequentem dabat operam, et cum aequalibus sacros ritus imitabatur. Puerilis animi candorem sibi acceptum esse Deus prodigiis manifestabat. Cum enim ille templum B. Virgini dicatum, ad alterum Muro lapidem, petebat, Jesus Infans, Matris brachiis relictis, ad eum accedebat, atque cum eo puerili more ludebat. Et quando sacro aderat, postquam sacerdos hostiam consecraverat, puerum Jesum inter ejus manus videbat, ipsumque ab eo frangi, ipsum comedi.

Adolescens factus, addictus fuit a matre vestiariae cuidam officinae, ut artem sarcinatoris addisceret. Ipse simul, in ejus tabernae angulis, precibus incumbebat, aut inde egrediebatur, ut in templo interesset sacro; hac de causa a praecipuo operario odio habebatur, direque vapulabat; quas vexationes aequo animo, Christi amore, sustinebat. Cumque sarcinatoriam artem didicisset, eam, patre amisso, exercebat, et ex perceptis lucris nihil fere sibi reservans, iis matrem sustentabat, stipem erogabat pauperibus, piacularia sacra, ad animas admissa expiantes recreandas, confici curabat. Quem cum consumptis lacerisque vestibus indu-

tum patruus, qui erat pater Capulatus, conspexisset, novas ei emit; at ipse paulo post pauperi homini eas donavit, aiens illum se magis indigere.

Frequens erat in sacramentis excipiendis; quotidie intererat sacro; coram SS. Eucharistia noctes integras evigilabat; nec raro in commentandis rebus, extra sensus rapiebatur; fidei christianae elementa adolescens docebat. Singularem erga B. Virginem pietatem exhibuit, quo die simulacrum ejus sacra supplicatione circumferendum erat: accessit enim ipse, et digito ejus annulo inducto, obstestatus est cives, quod eam sibi spoponderat.

Verum, cum vitam religiosam inire exoptaret, petiit ut in Capulatorum sodalitium adscriberetur; nec tamen, propter insignem maciem, ab eis exceptus est. Quamobrem vitam instituit asperrimam et afflictationibus corpus macerans, radicibus atque amaris herbis vescebatur; neque inde egrediebatur, nisi ut sacramenta exciperet. Hanc tamen eremiticam vivendi rationem deinde reliquit, ut conscientiae rectoris jussui obtemperaret. Nec vero contemptuum amor dolorumque est imminutus: quibus Christi effici similis exoptabat. Gaudebat enim, quum eum ut fatuum pueri sequebantur, aut in eum spuebant et lapidibus petebant; ac genam caedenti alteram humiliter objiciebat; imo amicos jubebat, ut se caederent flagellis, vel capite inverso suspenderent, ac subjicerent fumum, vel pedibus ligatum per saxa rupesque pertraherent.

Septem ac decem annos natus, Beatus Gerardus aggressus est famulari episcopo Laquedoniae, cujus pervagatam morositatem patienti animo toleravit. In ea urbe reconciliandae cum Deo gratiae cuidam sacerdoti, qui sacris sacrilege operabatur, auctor fuit, intimo conscientiae statu ei palam facto. Narratur etiam, cum aquam haurienti clavis episcopalis diaetae in puteum concidisset, simulacrum Jesu pueri in puteum demisisse, illudque manu clavem gerens inde retraxisse. Quare post haec puteus ille a Gerardo nomen invenit. Post tres famulatus annos, episcopus Laquedoniensis abiit, quem ex animo Gerardus deflevit, et Murum est reversus.

Murum cum advenissent non ita pridem a S. Alphonso instituti sodales a SS. Redemptore, sacras more suo obeuntes expeditiones, Gerardus illis in omnibus presto fuit, petiitque ut inter eos reciperetur. Attamen tunc etiam obstaculo erat corporis gracilitas et extenuatio; mater quoque Gerardi consilio totis viribus reluctabatur, eoque die, quo illi Muro profecti sunt, filium domi clausum secum detinuit. Ipse vero, cum facta nox esset, linteis suspensus, demisit se per fenestram, et per alpestrem atque asperam duodecim millium passuum viam eos assecutus, preces iteravit velint sui experimentum facere, dimittantque, nisi idoneum invenerint. His efflagitationibus litteras obtinuit, ad praepositum collegii Ileciti; quibus arreptis, pedestri duorum dierum itinere, eo fretus pervenit.

Ibi religionis vota anno MDCCLII nuncupavit, omnibusque viribus ad virtutum perfectionem assequendam animum intendit. In gravioribus quibusque laboribus praesto erat sodalibus; cumque noctu illi quieti, ipse ante SS. Sacramentum orationi vacabat. Cibi ac potus severa abstinentia erat; asperrimisque macerationibus corpus afflictabat; simul mira supra naturam dona illi impertiebat Deus. Cum ulcerosum cujusdam crus ore suo suxisset, homo e bestigio sanatus est. Cum Ilicetani collegii praepositus quatordecim millibus passuum longe abesset Iliceto, apud

Melphitanum episcopum, ex illo intervallo Gerardum jussit ut eo veniret. Venit revera: miratusque episcopus tantum virum viginti saltem dies secum retinere voluit, ut consiliis ejus uteretur. Sed afflictationum cruciatuumque, quibus Christo Domino similis fieret, inexplebile hominis desiderium Ipse enim homines, quos ad bonam frugem revocaverat, tertio vel quarto quoque die, ad solitarium locum secum ductos, jubebat ut se flagellis aspere caederent, manibus scopulo alligatis; spineam deinde coronam imponerent capiti, baculoque premerent; tandem, ex duobus tignis cruce composita, se illi affigerent.

Inimicitias hominum conciliare ac tollere missus est. Castri Grandinis cum adolescens esset interfectus, pater ejus, ab uxore potissimum infiammatus, inhiabat occisionem ulcisci. Gerardus, eo accitus, furentium conjugum domum accurrit, coram eis in genua se provolvit, et Christi cruci affixi e sinu educta imagine, et humi deposita, clamabat eam conculcarent, antequam ad sanguinem caedesque currerent. Quibus vocibus illi commoti ac territi, iram posuerunt et cum inimicis gratiam reconciliaverunt.

Haec tamen beati viri praeclarae virtutes eum non exemerunt quominus flagitii insimularetur. Quaedam enim puella, quae Gerardi opera doteque ab eo comparata, in Fodianum asceterium a SS. Servatore excepta fuerat, paulo post cum asceterium dereliquisset, ut animi levitatem tegeret, coepit contra eas sanctimoniales crimina fingere, et contra ipsum beatum virum, quem insimulabat cum Laquedoniensis hospitis filia inhonestum commercium inivisse. Crimen S. Alphonsus credidit, qui Nuceriam arcessitum et severe increpuit, et duras ab eo poenas expetivit: nam vetuit communicare cum extraneis, jejunare jussit, quodque beato viro acerbissimum, a sanctis epulis removit. Ipse vero tam dura fortissime ultra mensem ita toleravit, ut ne verbum quidem ad se purgandum proferret; donec illa foemina, cum graviter aegrotasset, conscientiae stimulis agitata, rei veritatem detexit ac Gerardi quum innocentia tum singularis virtus explorata omnibus fuit.

Post haec, cum Beatus Gerardus Neapolim missus esset, et prope littus ambularet, navem vidit quae tempestate conflicta neque appellere posset ad terram, et jam prope esset ut a fluctibus obrueretur. Pereuntium commotus misericordia, cum nemo esset qui auxilium ferre valeret, mare securus est ingressus, et per furentes fluctus ad navem accessit, arreptamque manu et jussam per SS. Trinitatem ut se sequeretur, ad littus incolumen deduxit.

Deinde ad collegium Matris Domini se transferre jusso janitoris munus commissum est. In quo explendo, ad ferendam indigentibus opem, studiosissime intendebat animum. Non modo enim, quae per superiores licebant, tribuebat eis, sed de necessario cibo sibi ipse detrahebat, quem eis largiebatur. Caritatis tempore, cum ad famen eorum explendam collegii horrea exhauriret, ea paulo post iterum prodigio referta reperiebantur; aliquando autem panem omnem sodalibus paratum illis distribuebat, qui tamen simili miraculo integrabatur. Simul spiritualem etiam eis cibum praebebat, fidei christianae eos rudimenta docens. Sed erga aegrotos mirabilis sollicitudo; ad quos Caput Silari se per diruptam semitam conferebat, eisque eleemosynis, pharmacis, hortationibus, ipso tandem conspectu suo subveniebat, quem, ut adesset pluribus, miraculo quandoque multiplicabat.

Eodem vero tempore magis magisque Dei charitate flagrans, aiebat unum sibi in vita agendum esse, unum exquirendum, ut

Deo placeret, Deo afferret delectationem, Dei in omnibus faceret voluntatem. Quare in Deum toto animo intentus, alienas res aliquando obliviscebatur; ut quodam mane accidit, quod fere integrum, coelesti cibo refectus, in divinarum rerum commentatione consumpsit, muneris oblitus sibi commissi parandi sodalium cibos. Id quidam ex eis cum advertissent, ad monendum perrexerunt. Qui placide respondit: Sed angelis ecquod negotium est? Cum vero prandii datum est signum, stupentibus sodalibus, omnia quae ad alimoniam eorum spectabant, apte instructa erant atque parata.

Deo devotae virgines sedulae curae ei fuerunt. Nam non pauca asceteria in discriplinam ejus ultro se tradebant; et ipsi episcopi Melphis, Trojae, Muri, Compsae, Laquedoniae. sacras suarum dioecesum virgines ei commendabant. Quibus tam dissitis in locis, aut praesens, aut litteris missis, praesto erat ut vel perfectionem conantibus adipisci adderet alacritatem, vel tepentes negligentesque ad pristinae disciplinae severitatem revocat.

Erat Gerardo incredibilis quidam peccati horror, ut non modo procul ab illo ipse fugeret, sed illud ab aliis etiam eripere totis viribus conaretur; quod si assequi id nequiret, et ab hominibus offendi Deum videret, terrore perculsus, vultus hilaritatem ponebat, et se in terram prosternens, qua ratione fas erat, Dei offensionem resarcire conabatur. Cum esset Compsae scelestus quidam homo, qui sacerdotem se esse simulans, et sacrum ministerium exercens, in errorem omnes induxerat, eam adivit Gerardus, occultisque facinoribus, quae divinitus illustratus cognoverat, patefactis, assecutus est ut nequissimam vitam ille abjiceret.

Tam eximiae viri virtutes jam eum maturum efficiebant qui caelestem earum mercedem a Deo reciperet. Augusto mense anno MDCCLV, cum esset annos natus undetriginta, missus ad finitima oppida est, ut saepe fiebat, ad corrogandas eleemosynas pro construenda domu Matris Domini, jussu moderatoris, reversus est. Qui cum eum cadaveris speciem referentem conspexit, fletum continere nequivit. Contra beatus vir eum hortabatur laeto animo esset: Ei quippe voluntatem hilarem faciendam esse aiebat. Quamquam vero, mox moriturus, extremis sacramentis est munitus, tamen, ita obedientia jussus, visus est consanescere: sed praedixit eo ipso anno sibi ex eodem morbo esse moriendum.

Quare cum mense octobri in tabem recidisset, aiebat velle se mori, quo ad Deum evolaret, velle vivere, quo pro Christo pateretur. Singulari animi amore SS. Eucharistia quotidie reficiebatur; et in imagines Jesu Cruci adfixi et Matris ejus coram se positas amantissime intuebatur. Petierat a Deo ut ab omnibus derelictus moreretur, idque obtinuit. Nocte enim, quae idus Octobres antecessit, sodales, ex medici sententia, non esse eum tam cito moriturum arbitrati, in sua quisque cubicula recesserunt, relicto penes eum fratre Stephano Sperduto, Beatus Gerardus pie orans, admissorumque veniam a Deo humiliter petens, eam noctem traduxit, et Jesu ac Mariae nomina jugiter invocans ac benedicens. Cumque aliquantum aquae poposcisset, abiit ad eam sumendam Stephanus, reversusque invenit eum jam morientem, qui, vix patre Bonamano appellato, animam exalavit. Mortuus est tricesimo aetatis anno, die exeunte S. Theresiae sacro, quam ipse singulariter colebat.

Mane sequenti funus habitum est, ad quod tanta multitudo atque ex adeo remotis oppidis confluxit, ut it prodigio adscriptum fuerit. Suavis odor e corpore manabat; frons, pectus, sudo-

rem emittebant; secataque vena vivus sanguis exsiluit. Urgebat se circa corpus populi multitudo, cupientibus omnibus sudorem illum vel sanguinem linteis excipere, vel quidquam inde sibi assumere, quod pio ac religioso cultu servarent. Ita tres dies corpus insepultum relictum est, custodesque circa positi, qui a pio fidelium impetu illud defenderent. Tandem in ipso templo collegii Matris Domini separato sepulcro conditum est.

Huic sepulcro multum Christifideles honorem tribuerunt, beatique viri suffragationum pondus experti sunt. S. Alphonsus animo deliberaverat ejus historiam exarare; sed aliae curae eum impediverunt. Alphonsi obitum adversa tempora sequuta sunt; cumque licuit, prima Ligorianorum sodalium cura fuit ut conditori suo superum honores quaereret. Potissimum hoc desiderium adepti, curaverunt de beati Gerardi virtutibus instituti ordinarias quaestiones; quibus Pius IX f. r. Decessor Noster nisus, commissionem causae ejus ineundae signavit, xv calendas Octobres anno MDCCCXLVII.

Quare, Apostolicis quaestionibus habitis, idem Pontifex, VI idus Junias anno MDCCCLXXVII decrevit: *Ita constare de virtutibus theologicis et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico Ven. Servi Dei Gerardi Majella laici professi ex congregatione SS. Redemptoris, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum.*

Quatuor igitur proposita sunt miracula. Primum fuit; *Instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Theresiae Dehenefie ab inveterato vulnere fistulosae, nullo relicto cicatricis vestigio;* alterum: *Intantaneae perfectaeque sanationis Laurentii Riola a gravi tubercolosi meseraica;* tertium: *Instantaneae perfectaeque sanationis Ursulae Solito a tumore canceroso conclamato;* quartum: *Instantaneae perfectaeque sanationis Josephi Santorelli ab ileotypho gravissimo.* De hisce miraculis solemniter edixit constare Leo XIII f. r. Pontifex Maximus, VIII calendas Apriles anno MDCCCXCII. Idemque, VI idus Septembres anni ipsius, decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Gerardi Majella beatificationem.*

Beatificationis vero solemnia celebrata sunt apud Vaticanam Basilicam IV calendas Februarias anno MDCCCXCIII. Cumque, beati viri precibus, nova prodigia effecta esse narrarentur, VI idus Julias anno MDCCCXCIII idem f. r. Decessor Noster commissionem signavit resumptionis causae. Ergo Postulatores tria prodigia protulerunt, a Sacra Congregatione approbanda; ac deinde duo alia. Ex his omnibus duo (tot enim requirebantur) probata sunt. Primo, pridie calendas Septembres anno MDCCCXCIII, sanata est Valeria Baerts a gravi febri typhoidea, cui cum meningites accessisset, infelix puella, agnoscendi facultate amissa, horrendis exagitata spamis, morti imminenti jam erat addicta, cui eam forte se erepturos nec medici nec necessarii sperabant. Verum cum ad eam accessisset pater Cousin ex Ligoriana familia, et reliquias B. Gerardi imposuisset, hunc flagitaverunt qui adstabant, ut puellae sanationem et fere resurrectionem a Deo impetraret. Statim illa placide obdormivit, cumque expergefacta est, compos erat sui, et quaevis morborum symptomata plane evanuerant; quaedam tantum remansit debilitas virium, quae tamen et ipsae, paucorum dierum spatio, restitutae sunt.

Altero prodigio Vincentius De Geronimo Compsani seminarii alumnus optimam recuperavit valetudinem qua infirma et im-

becilla a nativitate usus fuerat. Verum exeunte anno MDCCCXCVI. incidit in tam vehementem pleuritidem exsudativam, ut post novem dies de sanatione ejus medici desperarent, jamque morti proximus esset. Hisce angustiis impulsus, seminarii moderator B. Gerardi reliquias super aegrotantis pectus imposuit. Qui illico tranquillo somno se dedit, postque aliquas horas eo excusso, sensit se esse morbo perfecte liberatum viresque sibi rediisse.

Quater de primo prodigio, ter de secundo cum esset disceptatum, Nos, divino lumine invocato, XVIII calendas Septembres hujus anni, solemniter sanximus: *Constare de duobus propositis miraculis, scilicet de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Valeriae Baerts in supremo vitae agone constitutae, ex febri typhoidea ad extremum stadium perducta, et meningiti cerebrali consociata; et de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii de Geronimo a lethali pleuritide exsudativa.* Tum, die eodem, pronunciavimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Gerardi Majella canonizationem.*

Verum, ut in tanto negotio juris ordo servaretur, quem Decessores Nostri jampridem constituerunt, primum universos S. R. E. Cardinales in Consistorio habendo XVIII calendas Decembres hujus anni sententiam eorum rogaturi, Nobis adesse jussimus; qui Beati Gerardi gestis a dilecto filio Odoardo Marchetti Consistorialis aulae advocato, auditis, Nos ad causae hujus legitimam definitionem sunt uno ore cohortati. Interea curavimus ut datis a Sacra Concilii Congregatione litteris, non viciniores solummodo episcopi sed etiam remotissimi quique de tanta solemnitate commonerentur, et si eis esset facultas, sententiam suam ipsi quoque dicturi, Nobis adessent. Eorum ex orbe universo non pauci ad Urbem convenerunt, qui causa plene cognita, et ex iis quae in publico coram Nobis nonis Decembribus hoc anno coacto in eandem quam Patres Cardinales, sententiam iverunt. Cujus rei publica instrumenta, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis relata sunt Huic vero solemni canonizationi celebrandae praefiximus diem III idus decembres; et jejunio indicto, fideles sumus etiam atque etiam hortati, ut preces, iis praesertim in aedibus, ingeminarent, in quibus publica augustissimi Sacramenti indicta esset adoratio, ut et ipsi uberrimum fructum possent ex tanta solemnitate percipere, et Nobis in illa absolvenda Spiritus Paraclitus adesset. Cum ergo praesignata a Nobis dies advenerit, omnes quum saecularis tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi in Vaticanam Basilicam magnifice ornatam convenerunt, quibus solemni supplicatione praeeuntibus, et Nos ingressi sumus. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Octavio Pio Conti Consistorialis Aulae advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum et universae Ligorianorum familia, ut Beatum Gerardum Majella, una cum Beato Alexandro Sauli in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum ac tertio memoratus Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis Aulae advocatus precibus institissent, Nos superno lumine iterum ferventiusque implorato, ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum, et decus, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Sanc-

torum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione et venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, Beatum Gerardum Majella, laicum professum Congregationis SS. Redemptoris, Sanctum esse et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus. — Cui, eodem decreto, copulavimus B. Alexandrum Sauli, charitate in Deum hominesque, pastoralis studio reliquisque eximiis virtutibus insignem. Mandavimus etiam ut Sancti Gerardi Majella memoria die 16 Octobris in Martyrologium Romanum referretur; et Christifidelibus, qui exuvias ejus eo die fuerint venerati, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in perpetuum concessimus. Gratias denique de tanto beneficio Deo Optimo Maximo cum egissemus, Sacrum solemne fecimus. Post Evangelium vero clerum ac populum homilia allocuti sumus, atque hortati ut omnes non Apostolorum principes modo, sed novensiles etiam sanctos fidei pleni et charitatis, sibi, Ecclesiae, hominum denique societati universae propitios merentur. Plenariam tandem indulgentiam cunctis praesentibus peramanter impertiti sumus, atque Apostolicas hasce Litteras Decretales sub plumbo expediri mandavimus.

En ergo, o Christifideles, duo alii Sancti, e feracissimo Ecclesiae Dei gremio orti, colendi vobis atque imitandi proponuntur. Oh quam inter se dissimiles! Unus nobili genere natus, alter infima conditione et fortuna; ille liberalibus artibus ac sacris profanisque disciplinis eruditissimus, hic praeter rudimenta litterarum doctus tantum manuum labore sibi victum comparare; illi Christi grex pascendus traditus, hic religiosis sodalibus famulus addictus et ad eorum alimoniam per oppida ac domos rogitans stipem. Verum adeo inter se dispares conjunxit pene infinita erga Deum charitas, quarumcumque rerum humanarum despicientia, caelestium vehemens desiderium; ut perspicuum sit, omnium conditionum ac statuum homines ad se Deum appellare, omnes perfectos, omnes sanctos esse velle. Quare hunc quoque imitamini; qui non est conatus ex humili conditione se extollere, nec divitias, potentiam, voluptates persecutus est; sed Deus deliciae ejus, eum quaesivit, ei adhaesit, eum toto animo dilexit. Ecquis tamen inter homines eo sapientior? Etenim ***divites eguerunt et esurierunt***; ***inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*** (*Ps.* XXXIII, *10*). Deus quippe ***dispersit superbos mente cordis sui; deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*** (*Luc.* 1, 51, 52). Ipse, miris patratis prodigiis, etiam in hac mortali vita, coram hominibus humilem ac simplicem Servum suum extulit. Qui et intima animorum penetrabat, et futura praevidebat, et annonam multiplicabat, liberabat in discrimine positos, sanabat aegrotos, peccatores cum Deo reconciliabat. Quod si tam gratae Deo fuerunt S. Gerardi virtutes, vestigiis ejus omnes ingrediantur, quotquot Christi sanguine regenerati sunt; fluxas quasque aes aspernentur, ac Deum unum totis animi viribus diligant atque expetant.

Omnibus itaque, quae consideranda erant, bene perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes ut presentium litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti muni-

tis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere vel ausu temerario contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica millesimo nongentesimo quarto, III idus Decembres, Pontificatus Nostri anno II.

EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius, S. C. Decanus. - Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae, Card. Vannutelli, Major Poenitentiarius. - Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi, S. R. E. Vice-Cancellarius. - Ego V. Episcopus Praenestinus, Card. Vannutelli. - Ego E. Episcopus Tusculanus Card. Satolli. - Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla. - Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina, Presbyt. Card. Di Pietro. - Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti. - Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata. - Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam, Presbyt. Card. Cretoni. - Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali del Drago. - Ego F. de Paola tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta. - Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli. - Ego F. D. tit. S. Sabinæ Presbyt. Card. Mathieu. - Ego P. tit. SS. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi. - Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card Martinelli. - Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gennari. - Ego C. tit. S. Calisti, Presbyt. Card. Nocella. - Ego B. tit. S. Mariæ in Ara Cœli Presbyt. Card. Cavicchioni. - Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani. - Ego R. tit. S. Praxedis. Presbyt. Card. Merry del Val. - Ego A. S. Mariæ in Via Lata Protodiaconus Macchi. - Ego A. Soc. Jes. S. Agathæ ad Subur Diac. Card. Stheinhuber. - Ego F. S. Mariæ in Porticu Diac Card. Segna. - Ego R. Ord. Prædic. SS. Cosmæ et Damiani Diac. Card. Pierotti. - Ego F. Sal. S. Mariæ in Aquiro Diac. Card Della Volpe. - Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto. - Ego A. S. Mariæ in Domnica Diac. Card. Tripepi - Ego F. S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A Card. DI PIETRO, *Pro-Dat.* — A. Card. MACCHI.

*Visa*

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

***Registrata in Secret. Brevium.***

V. CUGNONIUS.

## II. — BULLA

**Qua tres novae paroeciae in Urbe eriguntur, atque aliae duae supprimuntur.**

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ROMANAS aequabilius distribuere et componere Paroecias, quemadmodum pro adaucta recens amplitudine et civitatis et Urbis exposcere animarum salus videbatur, superiore Nos quidem anno ingressi sumus; quum, binis e paroeciarum numero expuntis, binas item earum loco instituimus, alteram scilicet ad Aedem, ut aiunt, Novam sive Sanctae Mariae in *Vallicella* et S. Gregorio I, dicatam, alteram Sancti Joachimi in Pratis (1). Idem nunc persequi incoeptum, atque alium quodammodo gradum facere ad id quod Nobis propositum est, quandoquidem hujus rei sese dedit maturitas, his Litteris volumus.— Nos igitur, de Apostolicae potestatis plenitudine, paroecias Urbis Romae duas, id est SS. Salvatoris *de Curte* et S. Bartholomaei in insula Tiberina, abolemus et extinguimus: simul autem in earum locum duas sufficimus et constituimus paroecias, id est Sanctae Theresiae extra pomoerium ad Portam Salariam, et Sancti Francisci vico Ripae Majoris. Ad has propterea novas paroecias omnia et singula extinctarum bona, reditus et jura transferenda erunt: atque ita, ut ad paroeciam S. Theresiae ea spectent, quae SS. Salvatoris paroecia obtinuit, ad paroeciam autem S. Francisci, quae S. Bartholomaei paroeciae fuerunt. Aliam praeterea paroeciam ex integro novam fundamus, Sancti Josephi via Nomentana. — Ad fines vero quod attinet, quibus tres hae paroeciae contineri debeant, potestatem facimus Dilecto filio Nostro, Cardinali vice sacra Antistiti Urbis, eos auctoritate et nomine Nostro terminandi, itemque contiguarum paroeciarum terminos, si res postulaverit, definiendi.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum patroni sive ecclesiastici sive laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, jus aut interesse quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et judicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et

(1) V. *Acta Pontificia*, vol. III, pagg. 125, 126.

Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate: irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, juramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statuti et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero transumptis seu exemplis etiam impressis manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constituta munitis, eamdem fidem in judicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis, erectionis et translationis, derogationis, indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Ejus Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quinto, VIII Idus Januarii, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. CARD. DI PIETRO, *Pro-Dat.* — A. CARD. MACCHI

*Visa*

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

*Reg. in Secret. Brevium.*

V. CUGNONIUS.

## III. — EPISTOLA

**Qua Pontifex Athenaeum B. Alberti Magni Friburgi collaudat.**

VENERABILI FRATRI AUGUSTINO EPISCOPO SANCTI GALLI.

PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Novum Beati Alberti Magni Collegium, sodalitatis a S. Pio V curis, extructum perfectumque Friburgi esse, magna consolatione animi accepimus. Auctus enim aetate hac nostra est disciplinarum omnium cultus et prolata vis; nemoque propterea rectus aestimator temporum oportere non intelligat institutionem adolescentium foveri quotidie magis ac novis praesidiis fulciri. Id quidem, si ad omnium ordinum consociationis humanae commodum accurare necesse est, at majore certe enitendum est studio, pro sacri incremento ordinis. Quam ob rem tibi collegisque in episcopatu tuis, de profectu religioso populi ac de amplificando catholici nominis decore valde sollicitis, itemque laudatae sodalitati gratulamur, quod nova istic pateat incumbentibus in studia clericis domus ad omnem recentioris humanitatis sanaeque doctrinae progressionem informata. Nec minus gratum est, invitari ad celebrandas Athenaei scholas non vestrarum modo dioecesum juvenes, sed etiam exterarum: id quod in Helvetiis plane pulchreque congruit cum tradita a majoribus consuetudine hospitii, cum christianaeque libertatis sensu, unde eorum, qui rem publicam civitatemque administrant, instructi animi sunt. Est autem memoratu huic jucundum, voluisse Nos theologiae in collegio studia a sodalibus Dominicanis tradi, qui honestissimas scientiae, imprimis sacrae, consueti laudes, securitatem injiciunt magisterii, habentque domesticum in theologia lumen, divum Thomam Aquinatem, quem non principem solum, sed scholarum sacrarum ducem magistrumque et Leo XIII Decessor jussit esse, et Nos cum uberrimi certitudine emolumenti confirmavimus (1). Nullum ad haec dubium esse potest, cordi futurum tibi laudatisque pastoribus doctrinarum tam bene sollicitis, simul pietati enutriendae adolescentium sedulam dare operam, quippe non prodest in sacro clero sine pietate scientia; prodest autem et nullam reperit meliorem sui ad lucrandas animas artem, si comitem habeat religionem.

Testem benevolentiae Nostrae, divinorumque munerum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi, Episcopis Helvetiae singulis ac Pianae sodalitati peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VI Februarii an. MCMVI, Pontificatus Nostri III.

PIUS PP. X.

(1) V. Breve ad Pontificiam Academiam Romanam S. Thomae Aquinatis de cultu philosophiae doctrinaeque thomisticae provehendo. (*Acta Pontificia*, vol. I, pag. 341).

**IV. — De Religiosorum sodalitatibus nisi consulta Apostolica Sede non instituendis.**

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO.

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesia temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causa in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fecerint. Veruntamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plura iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus locis satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Concilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia novam, alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

IV. Conditae sodalidatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen, dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri constitutione « *Conditae* » sancitum est.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Iulii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## V. – LITTERAE ENCYCLICAE

**SSmi Dni Nostri Pii PP. X ad Episcopos Italiae de clero recte rigideque moderando atque instituendo.**

AI VENERABILI FRATELLI ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA.

PIO PP. X.

VENERABILI FRATELLI SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE.

Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori, Gesù Cristo, a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a Noi la parola del

Profeta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam;* (1) e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando soprattutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell'episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che Ci spinge a levare di nuovo la voce, è del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'attenzione del vostro spirito e tutta l'energia del vostro pastoral ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti effetti: e, se con mano forte non si svella dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni - Abbiamo infatti sott'occhi le lettere di non pochi fra voi, o Venerabili Fratelli; lettere piene di tristezza e di lagrime, le quali deplorano lo spirito *d'insubordinazione,* e *d'indipendenza,* che si manifesta qua e là in mezzo al clero - Purtroppo un'atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni; e gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda: *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant;* (2) oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comecchessia fino nel santuario ed infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell'Ecclesiastico: *Natio illorum, obedientia et dilectio;* (3) è cosa questa che ci ricolma l'animo d'immenso dolore. - Ed è soprattutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei Seminari si preparano al sacerdozio.

Pertanto, o' Venerabili Fratelli, sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esizialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (4). Esigete severamente dai sacerdoti e dai chierici quella obbedienza, che, se per tutti i fedeli è assoluta-

(1) Is. LVIII, 1.
(2) Iud., 8.
(3) III, 1.
(4) II, 15.

mente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, gioverà assaissimo, Venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* (1). È la facilità infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni quella che apre naturalmente la via ad *un moltiplicarsi di gente* nel santuario, che poi *non accresce letizia*. — Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh! qual motivo, o Venerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani? Se la scarsità del clero non può essere ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbano assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio, istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un ufficio umano qualsiasi, al quale ognun che il voglia e per qualunque ragione abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma, come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della mente.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, Venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo; sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri Seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali voi li avrete educati. — Gravissima è su ciò la lettera che vi diresse, in data 8 dicembre 1902, il Nostro sapientissimo Predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato. Nulla Noi vogliamo aggiungervi di nuovo: richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente, che al più presto sieno messi in esecuzione i Nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, sulla concentrazione dei Seminari, specialmente per gli studi della Filosofia e della Teologia, a fine di ottenere

(1) I Timoth. v., 22.

così il grande vantaggio derivante dalla separazione dei Seminari piccoli dai Seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I Seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano *esclusivamente* destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione di ministri di Cristo. — Gli studi di Filosofiia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato Nostro Predecessore e da Noi nelle Lettere Apostoliche del 23 Gennaio 1904.* I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamando al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall'insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni. — Il frequentare le pubbliche Università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. — Sia onninamente impedito che dagli alunni dei Seminari si prenda parte comechessia ad agitazioni esterne e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi princípî, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli alunni. — Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare. — Non manchi da ultimo in verun Seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, ch'è il primo fondamento della vita sacerdotale. — Queste norme, o Venerabili Fratelli, ove siano da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d'insubordinazione e d'indipendenza, finora da noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocchè non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobo spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 luglio 1894 il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia. Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento, Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscenza dei Vescovi, per-

* Cf. *Acta Pontificia,* Vol. 4º, pag. 33.

chè non abbiano mai ad avverarsi in veruno di loro le parole di Nahum profeta: ***Dormitaverunt pastores tui*** (1). — Nessuno può avere facoltà di predicare, ***nisi prius de vita et scientia et moribus probatus fuerit*** (2). I sacerdoti di altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. — La materia della predicazione sia quella indicata dal divin Redentore, là dove disse: ***Praedicate evangelium*** (3)... ***Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*** (4). Ossia, come commenta il Concilio di Trento: ***Annunciantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant*** (5). — Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo; si antepongano le prediche morali a conferenze, il men che possa dirsi, infruttifere; si parli ***non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis sed in ostensione spiritus et virtutis*** (6). Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concilî.

Conformemente a queste norme, Venerabili Fratelli, egli è duopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che taluni di essi, più cupido degli interessi propri che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani; e voi ammonitelo, correggetelo; e se ciò non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno. — La quale vigilanza e severità tanto più dovete voi adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale; e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo; ond'è che resta sempre a voi il rispondere innanzi a Dio del modo col quale viene dispensato ai fedeli il pane della parola divina. — Noi, per declinare da parte Nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinari di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammonizioni, anche durante la predicazione qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente all'ingiunzioni della

(1) III, 18.
(2) Conc. Trid., Sess. V. cap, 2, *De Reform.*
(3) Marc. XVI, 15.
(4) Matth. XXVIII, 20.
(5) Loc. cit.
(6) I Cor. II, 4.

precitata Istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del catechismo fatta dai loro parroci, anzichè dover assistere a predicazioni che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando purtroppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità, è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o Venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte del Predecessore Nostro d'immortale memoria.

Parliamo, ben l'intendete, della Istruzione, che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 gennaio 1902, e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curaste l'esecuzione. — Questa Istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di Nostra potestà ne rinnoviamo tutte e singole le prescrizioni; come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stessi all'uopo emanate nel ***Motu-proprio*** del 18 dicembre 1903 ***De populari actione christiana moderanda,**** e nella Lettera circolare del diletto figlio Nostro il Cardinale Segretario di Stato, in data 28 Luglio 1904.**

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nell'art. 42 della Costituzione Apostolica « *Officiorum* » (1): *Viri e clero... prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* — Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuno del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall'Ordinario. — Le conferenze sull'azione popolare cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell'Ordinario del luogo. — Ogni linguaggio, che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana. — È similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che, ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a ***nuovi orienta-***

* Cf. *Acta Pontificia,* Vol. I, pag. 297.
** Cf. *Acta Pontificia,* Vol. II, pag. 122.
(1) 25 Gennaio 1897.

*menti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell'anima moderna, nuova vocazione sociale del clero, nuova civiltà cristiana* e simili. — I sacerdoti, specialmente i giovani, benchè sia lodevole che vadano al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all'autorità o ai comandi dei Superiori ecclesiastici. E pure occupandosi, con la detta subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile compito « di togliere i figli del popolo alla ignoranza delle « cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza av- « viarli ad un vivere onesto e virtuoso; riaffermare gli adulti nella « fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pra- « tica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle « istituzioni, che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento « morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra « tutto i principî di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano « equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convi- « venza... Ma abbiamo sempre presente, che anche in mezzo al po- « polo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere « di ministro di Dio, essendo egli posto a capo dei fratelli *ani- « marum causa* (1): qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, « a scapito della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della « disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente ri- « provata » (2).

Del resto, Venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare d'idee ed a questo dilatarsi di spirito d'indipendenza, colla Nostra autorità proibiamo d'oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo poi più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici d'inabilità agli Ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione *ipso facto a divinis*, di ascriversi alla *Lega democratica nazionale*, il cui Programma fu dato da Roma-Torrette li 20 ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione Provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che, avuto riguardo alle condizioni presenti del Clero d'Italia, ed in materia di tanta importanza, esigeva da Noi la sollecitudine dell'Apostolico ufficio. — Ora altro non Ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, Venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni Nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra; estin-

(1) S. Greg. M. *Regul. Past.* Pars. II, c. VII.
(2) Ep. Encycl., 8 Dec. 1902.

guetelo con prontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio lo spirito di prudenza e fortezza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro il 28 luglio 1906, anno terzo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X

---

## VI. — EPISTOLA ENCYCLICA

**qua Ssmus Dominus Noster Pius Pp. X, improbato sisthemate associationum cultualium ex lege Gallica constituendarum, Archiepiscopis et Episcopis Galliae suggerit quomodo se gerere debeant post legem separationis Status ab Ecclesia.**

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GALLIAE

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

GRAVISSIMO officii munere defungimur, eoque iamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicae Reipublicae Ecclesiaeque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitraremur. Equidem exspectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo et gravitas huius causae fecit, sed illa etiam singularis caritas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis, prosequimur. - Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime coepimus, ullamne demum eiusdem praescripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandae in Gallia religiosae rei, ut sacrosancta principia quibus Eeclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliae Episcopos adhibere in consilium universos: indictoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo consultaretis, mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato *Patre luminum,* omnino videmus faciendum, ut quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causa, lex constitui iubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari

posse, quin sanctissima iura, quae ad vitam ipsam Ecclesiae pertinent, violentur. - Dimissis vero consociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientiâ officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminent tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo iure, id inire experimenti ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem, incolumia per consociationes easdem et tuta semper fore: contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiae Gallicae conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentes ope, quacumque vos iura civitatis uti siverint, disponendo instruendoque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune iuvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadente Ecclesiae patriaeque vestrae amore, imponimus vobis onus: ceterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cuius tempestivum auxilium non defuturum Galliae, omnimo confidimus.

Iamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta haec mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere populo: nequaquam Nos Ecclesiae Gallicae salutem spectasse tantum; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum: invisam Nobis esse in Gallia formam Reipublicae, eiusque evertendae Nos gratia velificari studiis partium: ea Nos abnuisse Gallis, quae non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quae, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, iam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. - Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque praesertim divinis Hierarchiae rationibus aliquo saltem modo consultum esset. Quod si quaepiam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei

communis libertatis copiam fecerit, liberumque in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem nomine iniuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia: ubi iniustae huius legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. - Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriae bellum atrox, iniectisque acerrimarum contentionum facibus, cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicae, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis huius et eorum quae secutura sunt, malorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero iudicio aestimaverit, quae Ipsi etiam in Litteris Encyclicis « *Vehementer Nos* »(1) attigimus, diiudicabit, utrum Nos reprehendendi simus qui, alia ex aliis perpessi iniurias toleranter, dilectae nationis causa ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse; an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidia ad haec usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque praestare volent, ita pro Ecclesia contendent quemadmodum eos monuimus, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce iustitiae collocati, frangente aliquando inimicorum contumaciam: intelligant vero, quod diximus iam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se coniunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastae legis usu sententiam: sequantur, ut oportet, volentibus animis; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit, caveant, obsecramus, ne quis quem propterea offendat, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum; et quo pacto his licuit nequissimam civitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et extinguere. - In tanto Galliae discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriae bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se coniuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiae Gallicae salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin nostris satisfacturi sint praesciptionibus et votis, minime dubitamus: interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi MARIAE IMMACULATAE, impense studebimus.

(1) Cfr. *Acta Pontificia*, vol. IV, pagg. 1-8.

Auspicem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Vobis, Venerabiles Fratres, universaeque Gallorum genti Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

# SECRETARIA STATUS

**Speciales conceduntur facultates presbyteris cappellanis nec non ceteris personis servitio addictis Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica.**

*Beatissime Pater,*

CLAUDIUS LOPEZ BRÜ, Marchio de Comillas, Praeses Societatis Hispanicae pro Navigatione Transatlantica, ad pedes S. V. humiliter provolutus implorat prorogationem et quamdam necessariam ampliationem nonnullarum facultatum ipsi Societati jam pridem ad decennium concessarum, nempe:

I. — *Pro ejusdem societatis presbyteris cappellanis.*

1) Celebrandi per mare Missam, cum adsistentia tamen, si fieri possit, alterius sacerdotis superpelliceo induti, dummodo mare sit tranquillum et nullum adsit periculum irreverentiae; facta etiam potestate iis qui Missae adstiterint accedendi ad Sacram Synaxim.

2) Celebrandi item per mare Missam, cum potestate admittendi fideles ibi adstantes ad Sacram Communionem, etiam in adimplementum praecepti Paschalis, Feria V in Coena Domini.

3) Administrandi pueris Sacramentum Baptismatis, ***non tamen solemniter***, cauto semper obligalioni dandi quamprimum baptizati parentum parocho collati Baptismatis testimonium.

4) Administrandi infirmis Sacramentum Extremae Unctionis, atque etiam Communionis in forma Viatici, statim post Missam, cum particula in eodem Missae Sacrificio consecrata, ac servatis servandis.

5) Impertiendi iis qui in navi fuerint, in articulo mortis constituti, Apostolicam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, dummodo iidem vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem contriti, ore si potuerint, sin mi-

nus corde, SS. Nomen Jesu invocaverint, juxta formam in Ecclesia consuetam.

6) Benedicendi coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata eisque applicandi Indulgentias quae continentur in elencho a S. C. de Propaganda Fide typis edito.

7) Concionandi atque sacras fidelium confessiones in navibus excipiendi, dummodo sacerdotes a proprio Ordinario ad confessiones sint approbati; et quoad confessionem mulierum, dummodo opportuna adhibeatur craticula.

8) Utendi omnium praedictarum facultatum non tantum per mare ac durante itinere, sed etiam dum naves in portu vel in sicco adsunt prout aliquando contigit.

II. — *Pro cappellanis, viatoribus ac vectoribus necnon ceteris omnibus navium servitio addictis vel inibi quomodocumque adstantibus.*

1) Vescendi carnibus, ovis ac lacticiniis singulis anni diebus etiam jejunio consecratis, facta quoque exemptione a lege jejunii, et adjecta facultate permiscendi carnes cum piscibus.

2) Lucrandi indulgentiam Plenariam Benedictioni Apostolicae adnexam in articulo mortis, etiam si naufragio vel alia quavis causa sacerdos absens fuerit; dummodo vere poenitentes et contriti ore si potuerint, sin minus corde SS. Nomen Jesu invocaverint.

3) Adimplendi in navi praecepto Communionis Paschalis, si diebus Paschatis iter agere eis contigerit; et pro vectoribus aliisque navium servitio addictis, etiam si naves praedicto tempore firmae in statione steterint.

4) Peragendi Sacramentalem Confessionem apud quemcumque Sacerdotem saecularem vel Regularem, dummodo a proprio Ordinario ad confessiones sit approbatus.

5) Satisfaciendi praecepto in diebus festis pro iis omnibus qui in navi Missam audiunt, quamvis non in Cappella fixa, sed in altare portatili Sacrum celebretur. Et Deus, etc.

*Ex Audientia SSmi. die XX Martii anno MCMVI.*

Beatissimus Pater benigne excipiens preces quae supra scriptae sunt, a clarissimo Marchione de Comillas oblatas, omnes ac singulas gratias quae iisdem precibus implorantur, concedere dignatus est ***ad decennium,*** ea non excepta quae est de permiscendis, in comestionibus quadragesimalis temporis, carnibus cum piscibus: qua tamen posteriore gratia uti non licebit sextis feriis quadragesimae aliisque diebus, quibus abstinere ab eadem permixtione iubetur exercitus Hispaniae.

Datum a Secretaria Status die, mense et anno supradictis.

L. † S. CARD. MERRY DEL VAL.

# SECRETARIA BREVIUM

## I. — BREVE

**quo Constitutiones Archisodalitatis Doctrinae Christianae reformantur et approbantur** (1).

### PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In Litteris Nostris Encyclicis *Acerbo nimis* quas de Christiana Doctrina tradenda ad universos Sacrorum Antistites hoc anno dedimus, cum alia praescripta sunt, tum illud, ut *in omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae Christianae.* Consociationum id genus cum Archisodalitas, a Paulo V Decessore Nostro instituta in Urbe, princeps et caput sit, peculiarem quamdam in hac locare curam, opportunum intelligimus. Itaque, comperto disciplinam temperationemque, qua uteretur Archisodalitas iam non adiunctis novis rerum ita congruere, constitutiones ipsius veteres corrigere et reformare Nobis visum est; easque sic reformatas, quemadmodum infra scriptae sunt, ratas haberi et ab omnibus, ad quos pertinent, religiose servari volumus et iubemus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 5 Decembris anno 1905, Pontificatus nostri tertio.

ALOIS. Card. MACCHI.

*Constitutiones Ven. Archisodalitatis Doctrinae Christianae a sa. me. Pontifice Paulo V canonice in Urbe constitutae anno 1607, a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X reformatae et approbatae apostolicis litteris in forma brevis diei 5 Decembris 1905.*

### TITULUS I.

DE FINE ET NATURA ARCHISODALITATIS.

I. — Propositus Archisodalitati finis est religiosam christianae plebis institutionem provehere ac moderari per catechesis praeceptionem.

(1) Vi Litterarum Encyclicarum *Acerbo nimis* (*Acta Pontificia*, Vol. I, pag. 5) in omnibus paroeciis constituenda est sodalitas Doctrinae Christianae ex Ordinarii auctoritate, ut postea aggregetur Romanae Archisodalitati, cuius heic referimus Statutum reformatum et approbatum.

II. — Sedes est Archisodalitatis in Urbe.

III.. — Archisodalitas est proxime obnoxia auctoritati Cardinalis vice sacra Urbis antistitis pro tempore, utpote personam gerentis Pontificis Maximi.

IV. — Ad sodalitium, natura ipsa rei, pertinent omnes parochi Urbis.

Ipsis petentibus possunt praeterea eiusdem Sodalitii societatem inire quotquot sibi constituunt catechesis disciplinae favere eamque expeditiorem efficere opera sua vel pecunia.

V. — Archisodalitas regitur a Congregatione, quae constat solis delegatis ecclesiasticis viris, Praeside Vices gerente Cardinalis in Urbe Vicarii.

Ad id munus delegati eligi non possunt nisi ecclesiastici viri ad ipsam Archisodalitatem pertinentes.

## TITULUS II.

### DE CONGREGATIONE.

VI. — Congregatio constat Praeside, sacerdotibus octo e clero romano et parochis octo, quorum quatuor e clero saeculari, quatuor e regulari.

VII. — Eadem Congregatio, pro maiore numero tacitorum suffragiorum, nominat pro-praesidem, a secretis, curatorem pecuniae, seu *Camerlingum*, tabularii praefectum, rationum exactores duos, seu *Syndicos;* qui omnes ex eorum numero eligendi erunt, qui ad ipsam Congregationem pertinent.

VIII. — Munera et officia exercentur non ultra triennium nec proxima electio in eosdem cadere potest.

IX. — Exacto triennio, dimidia pars Congregationis alterna vice renovatur; hoc est, sufficiuntur e clero romano novi sacerdotes quatuor, parochi totidem, quorum duo e clero saeculari, e regulari duo.

X. — Ad memorata munia novi eliguntur pro maiore numero suffragiorum, quae ab ipsa Congregatione occulta feruntur super numero virorum sexdecim a Praeside proponendorum, quo in numero comprehenduntur octo qui de officio decedunt.

XI. — Congregatio semel in mense habet ordinarios coetus. Integrum tamen est Praesidi extraordinarios cogere, si opportunum duxerit, vel si saltem quatuor Congregationis Delegati scripto petierint.

XII. — Ad ratos legitimosque coetus habendos adstare necessario debent saltem duodecim socii cum Praeside.

In secunda convocatione, quae saltem tridui spatio a priore distabit, ratus legitimusque coetus erit, quovis numero adstantium.

XIII. — Ut rata et probata sint, quae in coetu proponuntur, maior suffragiorum numerus requiritur. Paribus suffragiis, Praesidi ius esto alterius ferendi suffragii.

XIV. — Quidquid consilii, sive de viris sive de officiis alicui deferendis, erit ineundum, id ne decernatur nisi tacitis suffragiis.

XV. — Dies coetibus habendis resque ad deliberandum propositae, scripto significabuntur per scribam, qui est a secretis, ab eoque triduo ante constitutum tempus diribebuntur.

XVI. — Unicuique Congregationis Delegato quaestiones proponendi ius esto, quas tamen agitare non ante licebit, quam inscriptae fuerint elencho rerum excutiendarum.

Urgente necessitate, de qua iudicium feret Congregatio, poterit, non interposita mora, de propositis rebus deliberari.

XVII. — Qui ter, non intermissa vice, coetus non adierit, nec se de absentia purgaverit, recessisse censebitur, eiusque loco sufficietur alius.

Absentiae causa rata debet haberi a Congregatione.

## TITULUS III.

### DE ACTIONE ARCHISODALITATIS.

XVIII. — Archisodalitas, auspicio ductuque suo, proposito sibi fini prospicit, curando ut scholae catechesis constituantur, piae habeantur conciones, excitetur aemulatio per certamina ad praemia, et per alia quae pro temporis ratione visa fuerint opportuna.

XIX. — Praeter scholas catechesis a parochis constitutas sub eorumque disciplina directas, haud poterit alia ulla constitui, nisi adsentiente parocho loci et approbante Archisodalitate. Ad hanc iudicium pertinet de illorum peritia qui ad huiusmodi magisterium proponuntur.

XX. — Ad unam eamdemque docendi viam disciplinamque tuendam, Archisodalitas pleno iure pollet advigilandi scholis catecheseos etiam privatis.

Ea vigilantia ab Archisodalitate exercebitur per parochos ac delegatos suae quosque Curiae assignandos. Advigilandi vero munus implebitur menstruis visitationibus, atque inspectionibus, quarum scripta documenta ad Archisodalitatem bimestria deferentur.

XXI. — Ad normam num. XIX, nemini e populo licebit magisterium catechesis assumere, nisi diploma fuerit ab Archisodalitate consecutus.

XXII. — Diploma remittetur facto speciali periculo iuxta normas certa lege constituendas.

XXIII. — Ad efficacius exsequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum, lex ab Archisodalitate proponetur, vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis antistiti fuerit probata.

## TITULUS IV.

### DE ADMINISTRATIONE.

XXIV. — Congregatio per Curatorem pecuniae, seu *Camerlingum,* una cum rationum exactoribus, seu *Syndicis,* providebit administrationi proventuum, genus omne, quos habere sibi poterit.

## TITULUS V.

### DE IIS QUAE INTER ARCHISODALITATEM ET PAROECIAS URBIS INTERCEDUNT.

XXV. — In unaquaque Urbis paroecia costituetur Sodalitas Doctrinae Christianae, ad normam Epistolae Encyclicae *Acerbo nimis,* die XV mensis Aprilis anni MCMV, quasi sectio Archisodalitatis. Sodalitates parochiales habebunt Consilium dirigens, cui praeerit parochus. Idem Consilium constabit duodecim sodalibus, quorum quatuor sacri ordinis viri, e populo viri quatuor totidemque mulieres.

Hic vero numerus aut augeri poterit aut minui pro peculiaribus cuiusque paroeciae conditionibus.

XXVI. — Excepto primo e quatuor ecclesiasticis viris, qui ab Archisodalitate dabitur tamquam ipsius delegatus, caeteri omnes a suis quisque parochis proponentur cum approbatione Praesidis Archisodalitatis.

XXVII. — Consilium dirigens Sodalitatum Parochialium semel in bimestri spatio apud parochum rite congregabitur, ut proponat agitetque si quae utiliora visa fuerint ad maius frequentiae et profectus incrementum.

Crebrius etiam iidem poterunt haberi coetus, si vel parochus vel Archisodalitatis Delegatus id opportunum indicaverint.

## TITULUS VI.

### DE IURE AGGREGANDI.

XXVIII. — Archisodalitati ius est constitutas ubivis per catholicum terrarum orbem Doctrinae Christianae sodalitates aggregandi, easque admittendi ad communionem indulgentiarum, bonorum spiritualium ac privilegiorum, quibus directa concessione ipsa fruitur.

XXIX. — Ut sodalitas aggregari possit, necessario requiritur: 1) ut eadem canonice fuerit constituta decreto Ordinarii loci; 2) ut ad Archisodalitatem deferatur una cum supplici libello, authenticum exemplar decreti, quo fuit constituta Sodalitas atque Ordinarii commendaticiae litterae (1).

XXX. — In qualibet dioecesi eam doctrinae christianae sodalitatem aggregare Archisodalitati Romanae satis erit, quam sodalitatem Ordinarius statuerit esse centrum caeterarum eiusdem generis: hac enim aggregata, simul aggregatae censebuntur aliae omnes sodalitates, quae aut constitutae iam, aut deinceps constituendae sint in eadem dioecesi.

## INDULGENTIAE

### VEN. ARCHISODALITATI DOCTRINAE CHRISTIANAE A SA. ME. PONTIFICE PAULO V CONCESSAE

(Ex Constit. *Ex credito Nobis*, 6 Oct. 1607).

1. Indulgentiae Plenariae:

*a)* Omnibus et singulis ex utroque sexu christifidelibus, confessis ac sacra communione refectis, qui uti ministri, operarii et confratres dictam Archiconfraternitatem ingredientur, die primo illorum ingressus seu eo die quo dictae Archiconfraternitati adscripti fuerint.

*b)* Sodalibus qui confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo, quod ab ipsa Archiconfraternitate et aliis Confraternitatibus aggregatis seu aggregandis pro earum praecipuo et principali respective eligetur, sumpserint.

*c)* Eisdem in mortis articulo constitutis, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS.mum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

2. Indulgentiae Stationales:

Sodales, qui diebus stationum in Missali Romano descriptis doctrinam christianam in Ecclesiis docuerint, ac etiam omnes et singuli christifideles, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur si Ecclesias Stationum Urbis vel extra Urbem personaliter visitarent. Easdem etiam indulgentias consequuntur visitatores dictae Archiconfraternitatis, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas in illo die visitare poterunt.

3. Indulgentiae partiales:

(1) Epistolae dirigantur ad secretarium Archisodalitatis, Rev. D. Franciscum Pascucci, 36, via dei Bresciani.

*a*) 10 annorum Confratribus qui extra civitatem ad doctrinam docendam per castella et villas exierint.

*b)* 7 annorum et totidem quadragenarum Confratribus, confessis ac S. Communione refectis, eo die quo congregatio in quavis civitate vel terra publicabitur.

*c)* 7 ann. et tot. quadrag. Confratribus qui semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

*d)* 7 ann. Sacerdotibus dictae Archiconfraternitati adscriptis, qui in Ecclesia seu Oratorio Confraternitatis verbum Dei praedicaverint aut collationes fecerint (licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa).

*e)* 7 ann. Confratribus, qui per civitatem viros, mulieres aut pueros ad eamdem doctrinam christianam ducendi causa circumierint.

*f)* 7 ann. quoties Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum dum ad infirmos defertur, comitati fuerint.

*g)* 3 ann. Sodalibus qui corpora Confratrum et Consororum defunctorum ad sepulturam associaverint aut exequiis, anniversariis officiisve, quae pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes, interfuerint.

*h)* 200 dierum Confratribus *a)* qui causa fuerint ut pueri, famuli autqaevis ali ae personae ad discendam doctrinam christianam eant: *b*) qui disputationibus, quae in scholis dictae Archiconfraternitatis visitaverint, quoties id fecerint: *d)* qui divinis officiis et congregationibus publicis vel secretis dictae Archiconfraternitatis necnon processionibus a locorum Ordinariis sub vexillo dictae Archiconfraternitatis praescribendis interfuerint.

*i)* 100 dier. Confratribus qui diebus feriatis doctrinam christianam aut publice aut privatim explanaverint.

## INDULGENTIAE

### CONCESSAE OMNIBUS UTRIUSQUE SEXUS CHRISTIFIDELIBUS SIVE DOCENTIBUS SIVE DISCENTIBUS CHRISTIANAM CATECHESIM.

(Ex Coll. Auth. *Precum et Piarum Operum*, a S. C. Indulg. edita ann. 1898, p. 558, n. 316).

1) 7 ann. omnibus et singulis praeceptoribus, qui diebus festivis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint eosque illam docuerint.

2) 100 dier. iis praeceptoribus, qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint.

3) 100 dier. omnibus et singulis patribus et matribus familias, quoties in suis domibus, liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanaverint.

4) 100 dier. omnibus et singulis christifidelibus, qui per mediam horam doctrinae aut docendi aut discendi gratia studuerint.

5) 7 ann. totidemque quadrag. adultis viris vel mulieribus, quoties pio exercitio catechismi, quando pueris in ecclesiis seu oratoriis explanabitur, interfuerint.

6) Plenaria in festis Nativitatis D.ni, Paschatis Resurrectionis necnon Ss. Apostolorum Petri et Pauli iisdem viris vel mulieribus adultis, qui praefato pio exercitio vel discendi vel docendi causa interesse consueverint, dummodo dictis diebus confessi ac Sacra Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint.

7) Omnibus et singulis utriusque sexus et cuiuslibet aetatis christifidelibus ad doctrinam christianam discendam in scholis Archiconfraternitatis convenire solitis, qui peccata sua quolibet festo B. M. Virginis aut alio festo a Superioribus dictae Congregationis determinando confessi fuerint, tres annos: iis vero qui praefatis diebus insuper ad Sacram Synaxim accesserint, quinque annos.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO S. OFFICII

### Unica formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis determinatur.

*Feria IV, 25 Aprilis 1906.*

Cum huic Supremae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Generales Inquisitores, maturrime re expensa, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, decreverunt: « *In casu verae necessitatis sufficere formam:* Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.»

Sequenti vero Feria V, die 26 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Pio Div. Prov. Pp. X. R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. decretum EE. et RR. Patrum adprobavit.

PETRUS PALOMBELLI *R. U. Inquis. Not.*

# S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## I. — DECRETUM

**quo Instructio seu Elenchus quaestionum infra N. 2 relata ad moderatores et moderatrices generales Institutorum votorum simplicium transmittitur.**

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderatoribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis extant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Itaque haec S. Congregatio negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario Emorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus Institutorum, per modum *instructionis*, cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis SSmo Dño Nostro Pio Divina Providentia PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto die 17 Iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur. ut in triennali relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *Eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium

scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis die 16 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

---

## II. — INSTRUCTIO

**seu Elencus quaestionum ad quas respondendum est a moderatoribus seu moderatricibus generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in Relatione ad S. Sedem tertio quoque anno transmittenda.**

Praemittenda.

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando a S. Sede obtinuerit.
2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.
3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.
4. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.
5. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi.*
6. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. De Personis.

*a*) *De admissis.*

7. Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.
8. Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.
9. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sunt.
10. (*In Institutis religiosorum*). Num litterae testimoniales per Decretum *Romani Pontifices* praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam, hanc instructionem, relatione respondendum erit.

11. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.
12. In quanam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.

*b*) *De Novitiis.*

13. Quot sint domus Novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.
14. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.
15. Quot nunc in Novitiatu degant.
16. Num Novitii a Professis rite separati existant.
17. Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.
18. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Novitiatus sub cura magistri degerint.
19. Num quantum, et qua auctoritate, tempus Novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.
20. Utrum Novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.
21. Num durante secundo anno Novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.
22. (*In Institutis Sororum*). Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

*c*) *De Professis.*

23. Quot nunc sint in Instituto sodales *a*) votorum temporaneorum *b*) votorum perpetuorum.
24. Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.
25. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.
26. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

*d*) *De egressis et dimissis*

27. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint *a*) ex novitiis, *b*) ex professis temporaneis, *c*) ex professis perpetuis.
28. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.
29. Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.
30. (*In Institutis Sororum*). Num in casibus dimissionis professarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.

31. (*In Institutis virorum*). Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum « *Auctis admodum* »; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti:
 *a*) praemiserint trinam monitionem,
 *b*) admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint:
 *c*) an, quoties et qua facultate processerint summario modo.
32. (*In Institutis Sororum*). Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.
33. Num iis quae propriis bonis destitutae erant, in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

## II. DE REBUS.

*a*) *De domibus.*

34. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.
35 An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.
36. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.
37. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.
38. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.
39. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.
40. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.
41. (*In Institutis Sororum*). Num habitatio Capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

*b*) *De bonis.*

42. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae *a*) tum Instituti in communi, *b*) tum uniuscuiusque domus.
43. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive

certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

44. Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.
45. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.
46. Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.
47. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserit.
48. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.
49. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam et qua auctoritate.
50. Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.
51. Num Procuratores, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.
52. Num lites de bonis habeant.
53. Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.
54. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.
55. (*In Institutis Sororum*). Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.
56. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.
57. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.
58. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.
59. Num Episcopo iuxta Constitutionem « Conditae » de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.
60. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.
61. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.
62. An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

## III. De disciplina.

*a) De vita religiosa.*

63. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis temporibus statuta accurate peragantur.
64. Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.
65. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.
66. Num observetur Decretum *Quemadmodum a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam, *b*) quoad sacramentalem confessionem: num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.
67. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.
68. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur,
69. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.
70. Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.
71. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.
72. Num scripta circa pietatem, religionem, etc. etiam ad usum Instituti tantum, typis edantur absque Episcopi licentia.
73. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

*b) De observantia quarumdam specialium legum.*

74. Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint; *a*) quoad litteras convocatorias; *b*) quoad electionem delegatorum; *c*) quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d*) quoad electionem Moderatoris generalis; *e*) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.
75. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.
76. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fi-

deliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.

79. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. Num in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extranei procurent.

82. An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

84. (*In Institutis Clericorum*). Quot annis clerici vacent studiis, *a*) litterarum humaniorum, *b*) philosophiae, et *c*) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. Num omnes studentes:

*a* integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

*b*) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum ***Auctis admodum*** respective praescripta rite perfecerint;

*c*) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda reipsa lecta fuerint.

*c*) *De operibus Instituti.*

87. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

89. (*Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt*).
*a*) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;
*b*) Num decretum « *Singulari* » d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;
*c*) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. - Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. (*Pro Institutis Religiosorum*). Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe, vel indirecte retineant vel dirigaut et quanam auctoritate.

96. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. Num querelae vel difficultates existant *a*) cum Ordinariis locorum, *b*) cum confessariis, *c*) cum capellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditioni suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

Ph. Giustini, *Secretarius*.

# S. CONGREGATIO CONCILII

1°

**Dubia proposita ac iuxta morem S. C. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 30 Iunii 1906.**

*Dubia* PER SUMMARIA PRECUM *relata fuerunt in fasciculo elapsi mensis Iulii*, pag. 258-263.
*In folio:*

2276
5

## I. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

PICTAVII in Ecclesia S. Hilarii die 15 Ianuarii 1885 nuptiae celebratae sunt inter Blancam Grimaud et Leopoldum Lacolle, infausto tamen sidere, nam videtur Blanca haud sponte consensum his nuptiis praebuisse, infesto patiens influxu novercae ac patris, qui, ut asseritur, omnibus usi sunt artibus ad eam cogendam ad praedictum matrimonium.

Quare duobus cum dimidio circiter annis vitae coniugalis transactis, Leopoldus, cum munere quo fungebatur privatus fuisset uxorisque dotem dissipasset, in eam saevitias adhibuisse fertur. Unde ipsa, intentata laicum apud iudicem lite, semiplenum obtinuit divortium, quod ex Gallica lege postea plenum effectum est. Insuper suum coniugium irritum ab Ecclesia declarari exoptans, supplicem ad hunc finem Parisiensi Archiepiscopo libellum porrexit. Processu expleto, Parisiensis iudex die 31 Martii 1905 declaravit non satis de matrimonii nullitate constare. Verum instante eadem oratrice, cum nova inquisitio H. S. C. mandato peracta fuerit, aliique cum actrice testes interrogati essent, eadem causa in viam appellationis iudicanda proposita fuit in comitiis diei 30 Iunii 1906.

Tamen vis et metus, quorum sub influxu celebratum videtur matrimonium non obstantibus apertissimis patronorum disquisitionibus, haud satis probati evaserunt, quare Emi Patres ad dubium:

« *An Curiae Parisiensis sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu* »,

respondendum censuerunt:

« *Sententiam esse confirmandam* ».

## II. — AVENIONEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*Sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

583/3

### III. — RIPANA. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Guido Sciochetti ex Ripatransona, professione faber lignarius, apud germanum suum parochum in civitate S. Benedicti ad Truentum domicilium posuerat. Heic, cum locatione accepisset fabricam lignariam a quadam Vincentia Panfili vidua Aloisii Papetti, qui et ipse faber lignarius extiterat, amicitias primum platonicas contraxit cum tota familia Vincentiae, deinde adamavit primogenitam eiusdem Vincentiae, puellam iam viro aptam, cum qua de contrahendo coniugio negotium intercessit; sed denique, plus quam humana infirmitas patiatur, familiaritatem et conversationes fovens cum ipsa Vincentia matre, insana libidine victus, pluries eam carnaliter cognovit, atque novo foetu tumidam reddidit.

Quamvis secretum de re uterque curaret, tamen diutius res celari non potuit, quin in vulgus prodiret, atque ad parochi aures perveniret; qui, bonus pastor, scandalum metuens suo gregi et dedecus suae familiae, optimum factu duxit fratrem inducere, ut, relicta puella, eam sibi sacramento uxorem faceret, cum qua una iam caro factus erat. Videtur haud sponte acceptasse vir propositas nuptias, tamen matrimonium, parvo elapso tempore, noctu, Tridentini legibus servatis, die 8 Junii 1899 celebratum fuit.

Sed officia coniugalia et cohabitationem haud illico sibi constituerunt coniuges, nam cum sex filii ex priore sponso, novum coniugium ignorantes, non tam faciliter consensuri putandi essent, ut novum patrem reciperent, suum mulier rogavit virum, ne vitae societatem extemplo inciperent, sed patienter sustinerent donec animus filiorum aptis officiis emolliretur. Ingratum porro id viro accidit, qui, triduo a celebrato coniugio, S. Benedictum ad Truentum reliquit, Americanas oras aditurus.

Ex longinqua illa regione, in qua etiam nunc moratur, fratre cum parocho cooperante, Ssmo supplicavit ut a vinculo rati non consummati liberaretur.

Super hac quaestione, quae oeconomice proposita fuit, scripserunt, haud concordibus conclusionibus, Consultores Canonicus et Theologus, ille nempe favore dispensationis, hic prorsus alienus. Revera ipsis perpensis actis, non videtur recise affirmari posse in casu matrimonium inconsummatum mansisse, nam ipsi coniuges contraria super hac re affirmant. Quare optimus Vinculi Defensor disquisitionibus ac conclusionibus Theologi Consultoris plene adhaerens, brevissimam dimisit orationem suam instans, ut viri preces dimitterentur *vel absolute* eas penitus respuendo, vel

saltem *iuxta modum* respondendo: *ex hucusque allatis non satis constare,* etc.

Reapse Emi Patres ad dubium:

« *An sit consilium praestandum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* »,

responderunt:

« *Negative* ».

---

2339
4

## IV. — MEDIOLANEN. — REDINTEGRATIONIS BENEFICII.

In praepositurali collegiata Ecclesia Bripii an. 1729 a sac. Ioseph Caprotti fundatum fuit beneficium canonicale a titulo S. Dominici nuncupatum. Praeter onera choralia aliis canonicis communia, nullum speciale ei onus adiectum fuit, ut apparet ex fundationis tabulis; legitur enim ibi quod hic canonicatus institutus fuit *attento parvo canonicorum numero ad augendum divinum cultum et maiorem Ecclesiae decorem promovendum;* at ex tabulis censuariis constat quod beneficialia bona an. 1730 gravata fuerunt canone libel. 21.12 favore beneficii S. Antonii eiusdem oppidi.

Insuper statuit fundator ut hoc beneficium obnoxium fieret iuripatronatus passivo favore descendentium a suo fratre Hieronymo, et his deficientibus, favore descendentium a tribus suis sororibus; Archiepiscopo vero reservatum fuit ius eligendi inter passive vocatos. Quare semper canonicatum obtinuerunt descendentes ex familia Caprotti, et horum ultimus qui eiusdem canonicatus possessionem anno 1855 consecutus est, extitit missionarius Petrus Caprotti prius promotus ad Episcopatum Titularem Hyderabadensem in Indiis, dein ad Amidensem et defunctus anno 1896. Hic duos fratres habebat sacerdotes nempe Josephum et Joannem regulares, et sororem Mariam.

Vi legum eversivarum etiam hoc beneficium fisco obnoxium mansit, sed postea redemptum fuit a familia Caprotti partim, persoluta nempe tamen taxa 30 °/₀. Serius vero etiam alteram partem vindicare sategit, sed ex nonnullis difficultatibus, tantum anno 1884 actus redemptionis perfectus fuit. Summa erogata pro dotis redemptione fuit lib. 6755.29, quarum lib. 5585.19 pro taxa Gubernio persoluta, et reliquae pro expensis; valor vero a fisco fundo addictus fuit in lib. 9600.

Anno 1885 fratres superstites Joannes et Petrus et soror bona stabilia beneficii existentia ab omni onere libera et exempta ut in actu venditionis in oppido Brivio alienarunt pro summa

lib. 8000, tantum sibi reservata proprietate stabilium bonorum. beneficii pro parte extante in oppido Carate.

Anno 1900 obiit unica superstes et heres, soror Maria, quae tres sacerdotes haeredes fiduciarios nuncupaverat; qui massam hereditariam erogare debebant prius in quaedam pia legata et dein hospitale in oppidum Carate fundare.

Tunc Praepositus Collegiatae loci Bripio, Aloisius Bonacina, iudicium instituit ut heredes impelleret ad redintegrandum canonicatum S. Dominici, summam petens libell. 18,589.50 inter capitalia, fructus ac expensas iudiciarias deponendam apud Curiam Mediolanensem.

Curia Mediolanensis, die 18 Aprilis 1904, sententiam protulit qua decrevit non teneri heredes et successores ad solutionem praefatae summae, sed cum supponi posset quod fratres Caprotti, si adhuc in vita essent, ad opus concurrere voluissent de amplianda Ecclesia, statuit ut heredes praedicti aliquam pro Ordinarii arbitrio summae partem favore dictae ecclesiae Bripii persolvant, distributis vero expensis inter actorem et heredes.

Contra hanc sententiam appellationem interposuerunt tum Bonacina Parochus Bripii, tum ipsi heredes qui se gravatos censuerunt a secunda parte sententiae.

Et Emi Patres in comitiis subsignata die habitis, allegationibus utriusque partis sedulo perpensis, ad dubium:

« *An Curiae Mediolanensis sententia diei 18 Aprilis 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu* »,

respondendum censuerunt:

« *Infirmandam esse sententiam* ».

---

1246/5

## V. — FERETRANA. — TRANSLATIONIS SEDIS PAROECIALIS.

Haec quaestio iam ventilata fuit in comitiis mensis Augusti anni elapsi *. Quaestio erat de transferenda vel non sede paroecialia (quae hucusque in Ecclesia S. Apollinaris in cacumine Montis S. Pauli prope oppidum Montegrimanum sita erat) in planitiem ubi praecipuus territorii curatialis pagus Mercatino Conca nuncupatus inveniri affirmabatur. Insuper quaerebatur etiam de onere manutentionis Cappellanis novo parocho imponendo. Dubia vero: « *An et quomodo sit locus translationis sedis paroecialis ecclesiae S. Apollinaris, vel potius conservanda sit sedes paroecialis actualis in casu* »; et quatenus negative ad primam

* Cf. *Acta Pontificia*, vol. III, pag. 180.

partem et affirmative ad secundam: « *An et quomodo parochus S. Apollinaris sit cogendus ad statuendum suis expensis Vicarium coadiutorem in pago Mercatino Conca in casu* » dimissa fuerunt responso: Ad $1^{um}$ providebitur in secundo; Ad $2^{um}$ affirmative iuxta cap. IV, sess. 21, Concil. Trid. de Refor. et Episcopi votum in litteris diei 24 Martii 1905.

At tunc rescripto minime acquieverunt incolae pagi Mercatino, quibus instantibus pro secundo experimento, novae audientiae beneficium concessum est; hinc quaestio denuo proposita fuit in comitiis mensis Iunii elapsi. Patronus qui Mercatenses tuetur demonstrare conatur adversario rescriptum sibi favorabile obtinuisse, cum veritatem, cumulatis mendaciis obscurassent.

Novas obtulerunt dissertationes sive pro sive contra iam editam sententiam patroni partium, quisque suam thesim enixe substinens, et Emi Iudices omnibus sedulo examinatis, argumentationibusque tum favorabilibus tum contrariis aequa lancie libratis ad dubium:

« *An sit standum vel recedendum a decisis* »,

responderunt:

« *Recedendum a decisis; et residentiam paroeciae transferendam esse in loco Mercatino Conca, salva potestate Episcopi providendi curae animarum in planitie superiori existentium, sive per Vicarium cum plenitudine paroecialis iurisdictionis. sive per unionem ad proximas paroecias, sive alio canonico modo sibi magis beneviso* ».

---

3275 / 3

## VI. — PONTISCURVI. — IURIS FUNERANDI.

QUAESTIO exorta est inter Parochum civitatis Pontiscurvi et Capitulum Cathedrale quoad praxim funerandi ex parte Capituli in alienis Ecclesiis. Capitulum revera, vocatum ad aliquod funus peragendum alicuius defuncti, qui non subest suae iurisdictioni. funera absolvit, in aliena Ecclesia, sicut parochus in propria paroecia minime habitis recriminationibus ac protestationibus parochorum. Capitulum contendit hanc immemorialem esse consuetudinem, dum contra parochi ipsam consuetudinem mordicus excludunt.

Parochorum argumentationes in tres partes dispescuntur, nempe edicitur in prima quae sint parochorum iura in exequiis, in secunda rationes diluuntur quibus Capitulum existentiam consuetudinis in sui favorem probare intendit, in tertia vero denegatur quaecumque vis iuridica consuetudini a Capitulo invocatae.

et concludunt expostulantes ut inducta praxis ab H. S. C. reprobetur.

Ex altera vero parte Capitulum conatur omnes destruere parochorum argumentationes, intendens praesertim cum testibus immemorialem probare eiusmodi consuetudinem. Adverso tamen fato, nam Emi Patres dubium:

« *An inducta praxis funerandi substineatur, vel potius servandum in omnibus sit ius commune in casu* »,

dimiserunt sequenti responso:

« *Servandum esse ius commune* ».

---

2119/5

## VII. — IANUEN. — IURIUM.

In Metropolitana Ianuensi Ecclesia praeter Capitulum, Presbyterorum Collegium adest *de massa* nuncupatum, cuius origo usque ab anno 1499 repetenda videtur.

Gallicam post perturbationem idem Collegium 24 sacerdotibus constare coepit, redituque lib. 12,000 auctum est. Eversivis Italici gubernii legibus editis, iidem presbyteri ad sex redacti sunt, eorumque patrimonium taxae 30 °/₀ subiectum fuit. Haec tamen cum nunquam ab ipsis usque ad an. 1904 soluta fuerit, aes alienum Gubernii favore efformavit lib. 33,355.49, quae antea singulis annis inter eosdem Presbyteros distributae sunt.

Interea illius temporis Archiepiscopus ut damna ab iisdem legibus allata repararet, decreto diei 28 februarii 1896 novos eidem Massae reditus assignavit, libellarum scilicet 1054, adiecto dictis Presbyteris onere Missas 196 quotannis celebrandi, statuitque ut ipsi duodecim usque esse deberent.

Verum cum fiscus praedictam libell. 33,355.49 summam ab eadem Massa repeteret, iidem Presbyteri in acceptando decreto conditionem apposuerunt ut caderent tres ex ipsis novissime nominati et eidem Massae nuncium mitterent. Lis transactione dirempta fuit, qua eadem Massa suorum redituum diminutionem passa est lib. 2674.

Exinde instantibus presbyteris ut tres illi nuperrime nominati recederent, hodiernus Archiepiscopus decretum edidit die 11 Aprilis 1905, quo decretum praedecessoris confirmavit, statuitque ut presbyteri adhuc duodecim esse deberent, assignato novo annuo reddito taxis onerato lib. 1000. Ordinavit insuper redditus diminutio aequaliter inter duodecim presbyteros dispesceretur. Aegre id tulerunt Massae Presbyteri, qui ab hoc decreto ad H. S. C. appellarunt. Archiepiscopus et Capitulum Cathedrale, a quibus dicti presbyteri dependunt, institerunt ut iuxta allata decreta presbyteri massae duodecim numerum pertingant.

Tamen Emi Patres, quaestione maturo perpensa et argumentis utriusque partis accurate libratis, ad dubium:

« *An Archiepiscopi decretum diei 11 aprilis 1905 sit confirmandum vel infirmandum in casu* »,

responderunt:

« *Confirmandum esse decretum Archiepiscopi et ad mentem quae est ut tres sacerdotes dimissi statim restituantur et in posterum secuta vacatione duarum participationum, eaedem non provideantur, donec eos massae proportionaliter non augeatur* ».

---

1726/4

VIII. — MILITEN. — MATRIMONII (*extra ordinem*).

HAEC causa proposita primum fuit in conciliis diei 17 Iunii 1905.* Proposito dubio « an constet de matrimonii nullitate in casu » affirmativum Emi Patres dederunt responsum, facto verbo cum SS.mo pro sanatione actorum, graviterque monitis curiae officialibus propter violationem legum processualium.

Exinde cum, prouti de iure est, appellasset ab hac sententia Vinculi Defensor, iterum iudicanda proposita fuit quaestio in comitiis mensis Iunii et Emi Patres proposito dubio:

« *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* »,

responderunt:

« *In decisis* »

---

2.°

**Dubia proposita ac iuxta morem S. C. C. de iure resoluta in extraordinariis comitiis diei 14 Iulii 1906.**

I. — WRATISLAVIEN. — DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII.

R. *Reproponatur iuxta mentem.*

---

II. — DESTHONEN. — PRIVATIONIS PAROECIAE.

R. « *Attentis omnibus sententiam Curiae Episcopalis esse infirmandam et sacerdotem Vistarini esse restituendum in paroeciae possessionem et administrationem, peractis prius per hebdomadam spiritualibus exercitiis in religiosa domo ab Episcopo assignanda et ad mentem* ».

* Cf. *Acta Pontificia*, Vol. III, pag. 95.

III. — SALUTIARUM. — REMOTIONIS A PAROECIA.
R. « *Attentis omnibus standum in decisis sub die 18 Martii 1905 aucta pensione ad lib. 1200* ».

---

3.°

**Dubia proposita ac iuxta morem S. C. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 28 Iulii 1906.**

*(Causae referentur in proximis fasciculis).*

*Per summaria precum:*

I. — RAVENNATEN. — NOMINATIONIS CAEREMONIARII.
R. « *Non proposita* ».

---

II. — TIBURTINA. — ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS.
R. « *Pro gratia erectionis fontis baptismalis in unaquaque paroecia iuxta petita, firmo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate, facto verbo cum SS.mo et ad mentem* ».

---

III. — NICOSIEN. — REDUCTIONIS CANONIS.
R. « *Dilata et ad mentem* ».

---

*In folio:*

I. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII.
R. « *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

---

II. — VARSAVIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*Sub secreto*)
R. « *Affirmative* ».

---

III. — IMOLEN. — NULLITATIS MATRIMONII.
R. « *Sententiam esse confirmandam, et supplicandum SSmo pro opportunis dispensationibus ad effectum matrimonii in casu, praevia separatione Josephi Sangiorgi a Virginia per aliquot dies, et reparato scandalo prudenti iudicio Episcopi* ».

---

IV. — NANCEYEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).
R. « *Affirmative* ».

V. — CALATAYERONEN. — REDDITIONIS RATIONUM (*sub secreto*)

R. « *Ad* 1.um *Negative. Ad* 2.um *provisum in primo. Ad* 3.um *Acquiescant* ».

VI. — NEAPOLITANA. — IURISPATRONATUS

R. « *Sententiam esse confirmandam* ».

VII. — DERTHONEN. — FINIUM PAROCHIALIUM.

R. « *Sententiam esse confirmandam* ».

4.°

**Dubia proposita ac iuxta morem S. C. C. resoluta in generalibus comitiis diei 18 Augusti 1906.**

*In folio:*

I. — BRIXIEN-BONONIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative ad cautelam et ad mentem* ».

II. — COLONIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

III. — MAGNO-VARADINEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. « *Affirmative* ».

IV. — NULLIUS SUBLACEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

R. « *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

V. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

R. « *Sententiam esse confirmandam* ».

VI. — ROTTEMBURGEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. « *Dilata et compleatur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

VII. — VIENNEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

# SS. RITUUM CONGREGATIO

## I. — MANTUANA. — DECRETUM

**Confirmationis cultus ab immemorabili praestiti ven. Servo Dei Marco De Marconibus ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petris de Pisis, Beato nuncupato.**

PROCESSUALES tabulae apud ecclesiasticam Curiam Mantuanam, Ordinaria Auctoritate, anno 1882 a Rmo Dno Ioanne Maria Berengo, tunc illius Dioecesis Praesule, inchoatae, ab Episcopo Successore Rmo Dno Iosepho Sarto, nunc Sanctissimo Domino Nostro PIO Papa X, feliciter absolutae sunt, prolata quoque iudiciali sententia, super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII de confirmatione cultus praestiti Ven. Servo Dei MARCO DE MARCONIBUS, Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, Beato nuncupato. In quibus tabulis Romam transmissis et ad Sacrorum Rituum Congregationem delatis riteque apertis, praeter ea quae praecipuam quaestionem respiciunt, nonnulla de vita et gestis praedicti Ven. Servi Dei narrantur quae heic breviter referre iuvat. Dei famulus, humili genere, in lucem editus anno 1480, inde a prima aetate vitam solitariam et in Deo absconditam duxisse fertur. Trilustris prope Mantuam in loco *Milliarino* duos religiosos viros, eremitarum more, caelestium rerum contemplationi operam navantes, frequenter adivit: quorum exemplo et conversatione permotus eumdem Ordinem in Coenobio S. Matthaei libenti hilarique animo amplexus est. Sacro habitu accepto et iuxta statuta tyrocinio peracto atque professione emissa, huius perfectioris status officia cum ardore et virtute, divina opitulante gratia, fideliter implevit. Interim Famuli sui sanctitatem, prophetiae et miraculorum charismate atque etiam superno splendore Deus illustrasse narratur. Quapropter in tantam hominum existimationem ac venerationem MARCUS devenit, ut beatum se quisque putaret qui eius vestimenti fimbriam tangere posset. Trigesimum aetatis annum agens quum meritis dives multa tempora explevisset, pie obiit in Domino die 24 Februarii an. 1510. Defuncti corpus magno devoti populi concursu elatum, prius communi Fratrum sepulturae traditum, biennio post, incorruptum repertum in decentiori loco repositum, elapsis ab obitu fere centum annis in magnifico tumulo, ex fidelium pietate ac largitionibus extructo, conditum fuit. Post alias translationes, anno 1750 quiescebat in Ecclesia S. Matthaei super altari ad dextrum latus arae maioris, ibique sequens legebatur inscriptio: « Inclyte Urbis Mantuae splendor, Pisanae religionis

ornamentum, Beatus MARCUS DE MARCONIBUS cuius corpus inter insignia eius miracula clarum satis millesimo quingentesimo decimo abhinc anno integrum venerari ». Denuo sacrum hoc pignus in Cathedralem Ecclesiam Mantuanam translatum, ibidem adhuc incorruptum religiose asservatur et ostenditur. Ex praefato autem Processu complura documenta ac testimonia de casu excepto a decretis Urbanianis seu de cultu publico, ecclesiastico et constanti ab obitu ad haec usque tempora, uti valida probationum argumenta habentur. Quibus praecipue accensentur imagines aureola redimitae, Beati titulus, arae in Ven. Servi Dei honorem dicatae tabellae votivae ab eisdem pendentes, reliquiae venerationi expositae et lampades ante eas accensae, praesertim die festo Omnium Sanctorum et in solemnitate propria 24 Februarii, qua die in kalendariis dioecesanis antiquis et recentioribus fit ostensionis corporis et festivitatis natalitiae memoria. Hinc instante Rmo Dno P. Mariano Winspeare, Ordinis S. Hieronymi et Causae Postulatore, fervidissima etiam Mantuanae Ecclesiae vota depromente infrascriptus Cardinalis Aloysius Tripepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus et eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario Coetu. subsignata die, ad Vaticanum habito sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia Iudicis a Rmo D. Episcopo Mantuano delegati super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro Emi ac Rmi Dni Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito tum voce tum scripto R. P. A. Alexandro Verde Fidei Promotore, re maturo examine perpensa rescribere rati sunt: « *Affirmative seu sententiam esse confirmandam* » Die 20 Februarii 1906

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis. Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habuit et confirmavit, die 2 Martii, eodem anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

## II. — ORDINIS FRATRUM MINORUM.

**Quoad horam, orationes, cantum, symbolum atque ultimum Evangelium Missae votivae de Immaculata Conceptione.**

Quo facilius uniformitas habeatur in celebranda Missa votiva Immaculatae Conceptionis ex Indulto Apostolico Ordini Fratrum Minorum in Duplicibus etiam permissa*, hodiernus Reverendissimus Procurator Generalis eiusdem Ordinis sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exsolvenda humiliter proposuit; nimirum:

I. An Missa votiva cantata ceebrari possit ac debeat semper post. Primam in Choro recitatam, vel pro commoditate populi etiam post Nonam; prouti Rubricae Generales sub tit. XV, n. 3, de Missis Defunctorum, extra solemnem eorumdem Commemorationem, permittunt?

II. An in Missa votiva, etiam Vigiliae respondente,.dicenda, in qua commemoratur Duplex eo die integrum Officium ac Missam habens, debeat ratione Duplicis omitti Oratio tertia de Tempore, et si memoria fiat Duplicis secundae classis, Collectae debeant in Missa votiva cantata reticeri, et in privatis ad libitum Celebrantis permitti?

III. An in Missa votiva, in qua commemoratur Semiduplex eo die integrum Officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliae pro Celebrantis lubitu adiungi Orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro Defunctis Oratio valeat recitari, prouti in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur?

IV. An in Missa votiva cantata vel solemni, vel Conventualis instar habenda, si omittenda sit Commemoratio Duplicis, vel Semiduplicis eo die occurrentis, quia nempe de alterutro vel una Missa votivam praecesserit, vel Conventualis de eodem Officio occurrente debeat celebrari; ad Missam votivam eiusmodi Orationum numerus et qualitas ita debeant ordinari, perinde ac si Duplex vel Semiduplex non occureret?

V. An in Missa votiva Tonus festivus seu solemnis reservari dumtaxat debeat pro câsu in quo eadem votiva respondeat Officio Duplici vel Semiduplici (quamvis per accidens Simplici) ipsius Personae?

VI. An in aliis casibus adhibendus sit Tonus simplex ferialis, etiamsi Duplex vel Semiduplex in Votiva commemoretur, excepto Hymmo Angelico et *Ita Missa est* in Missis Deiparae votivis?

* Cf. *Acta Pontificia,* Vol. 2° pag. 373*.

VII. An in Missa votiva Symbolum adhiberi debeat, si pro Votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, cum idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat?

VIII. An in Missa votiva, quae respondet diei infra Octavam, quae solam eo die Commemorationem habeat; vel etiam, si occurrat Feria maior Missam propriam obtinens, quamvis Officium fuerit de die infra Octavam peractum; ultimum Evangelium possit esse de Feria occurrenti, et Missa post Tertiam celebrari?

IX. An in Missa votiva cantata, vel solemni, vel instar Conventualis habenda in diebus ritus simplicis et ferialis plures usque ad septem pro Celebrantis lubitu addi possint Orationes, prouti in iisdem diebus licet in Missa votiva privata?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae adhaerentis voto Reverendissimi Consultoris Petri Piacenza, respondendum censuit: « Communicetur Votum praelaudati Reverendissimi Consultoris in exemplari authentico »:

Ad I. *Affirmative, sed servari quoque potest consuetudo cantandi huiusmodi Missam ante Primam, aut post Sextam, iuxta Decreta 3059 ad XII* (1), *et 3914 ad IV* (2); *excepta tamen Missa*

(1) 3059. - Molinen. - 12 Sept. 1857. - XII. Iuxta consuetudinem Ecclesiae Cathedralis Molinen., Nona dicitur ante meridiem, exceptis Vigiliis et diebus adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum, in quibus post meridiem absolvitur. Quaeritur: An his diebus in quibus aliqua Missa non correspondens Officio celebrari debet, attenta praedicta consuetudine, talis Missa post Officium Matutinum consuetum idest post Sextam possit cantari; vel etiam Nona ante meridiem anticipanda sit ut Rubrica de Hora celebrandi Missam ad litteram servetur?

*R.* Ad XII. « *Servandam consuetudinem, nisi agatur de Missis de tempore in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus et Vigiliis; vel de Missis votivis solemnibus pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cum populi frequentia, pro quibus standum est Rubricis Generalibus Missalis Tit. XV, num. 2 et 5: vel nisi agatur de Missis de Requie, pro quibus pariter servanda est eadem Rubrica num. 3* ».

(2) 3914. - Cusentina. 5 Iunii 1896. - Dubium IV: Diebus 7 Februarii, 8 Martii, 4 et 12 Octobris canitur, assistente Capitulo, Missa votiva solemnis de Beata Virgine pro gratiarum actione; diebus 5 et 6 Februarii Missa de SSma Trinitate et de Spiritu Sancto; die vero 12 Iunii Missa votiva de Beata Virgine in memoriam coronationis prodigiosae Imaginis a Pilerio dictae, Civitatis Patronae, denique alia Missa solemnis votiva de Beata Virgine canitur in duobus Novendialibus duas eiusdem Patronae solemnitates praecedentibus: atque etiam in novem feriis IV, quae unam praecedent ex praefatis solemnitatibus. Hae autem Missae, ex antiquo more, canuntur (dictis diebus) ante omnes Horas Canonicas, secus non foret populus frequentior. Quaeritur: Num huiusmodi consuetudo continuari possit?

*R.* Ad. IV. *Affirmative, dummodo de singulis Missis, prout in dubio, habeatur indultum* ».

*votiva pro re gravi, vel cum populi concursu, quae post Nonam omnino cantari debet iuxta Rubricas.*

Ad II. *Affirmative in omnibus, ad mentem Decretorum 2542 ad II* (1), *et 2597 ad II* (2), *ac praesertim 3574 ad V (quaes. 1-4).* (3)

(1) 2542. - Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci Provinciae S. Antonii Bahien in Brasilia 26 Januarii 1793. — 2. An in Sabbatis, in quibus occurrit B. M. V. quaevis Festivitas, aut infra octavam eiusdem, celebrari debeat Missa eiusdem Festivitatis votiva, vel non votiva? an vero semper Missa ut in Brevi assignatur?

*R. Ad. 2. « Affirmative ad primam partem; nempe: celebrandam Missam festivitatis aut de die infra Octavam, tanquam non votivam, si de eadem Octava recitatur Officium; si vero recitatur Officium alterius festi, celebrandam esse pariter Missam de die infra octavam sed more votivo; Negative, ad secundam partem ».*

(2) 2597. - Assisien. - 13 Maii 1819. - 2. An in Duplicibus primae et secundae classis recitanda sit collecta ab ordinario imperata?

*R. Ad 2. « Negative in Duplicibus primae classis, ut alias responsum fuit. Quoad Duplicia vero secundae classis, poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata, in Missis privatis tantum: in Conventuali et solemni erit omittenda ».*

(3) 3574. - Marianopolitana. - 18 Maii 1883. - Dubium V. In Ecclesiis ubi obligatio chori non existit, Expositio Quadraginta Horarum peragitur ex mandato Ordinarii iuxta ordinationem Clementinam. Hinc quaeritur:

1. Utrum prima et tertia die, si non cantata fuerit altera Missa conformis Officio currenti, debeant in Missa votiva SSmi Sacramenti quaelibet commemorationes omitti? An vero Celebrans sub distincta conclusione cantare teneatur tum orationem Missae de die, quamvis sit de Vigilia communi de qua nihil fit in duplici primae classis, aut de die infra octavam, festo simplici aut feria communi, quorum commemoratio locum non habet in duplici secundae classis, tum ceteras commemorationes speciales, quae adderentur in Missa occurrenti v. g. de Dominica per annum, de die infra octavam, etc?

2. An secunda die, quando Missa *Pro Pace,* seu alia votiva rite assignata celebratur, collecta SSmi Sacramenti sub una conclusione Orationi Missae adiuncta, commemorationes omittendae sint, vel non, sicut supra quaesitum est?

3. Num si primam vel tertiam diem impeditam esse contigerit:

*A*) Commemoratio SSmi Sacramenti post Orationem Missae sub unica conclusione semper cantanda sit, non exceptis feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto ac festo Sanctissimi Cordis?

*B*) Adiungi debeant sub distincta conclusione, servato ritu Missae intrinseco, singulae commemorationes tum speciales, tum communes, quae in eadem Missa, si cantaretur extra solemnis expositionis tempus, essent faciendae?

4. Quod si pari modo secunda die fuerit impedita.

Anne adiiciendae sint tum Oratio Missae *Pro Pace* seu alterius legitime assignatae, tum collecta SSmi Sacramenti? Et quatenus affirmative, quisnam locus utrique orationi sit assignandus?

5. An feria IV Cinerum in unam ex tribus supradictae expositionis

Ad III. *Negative, ad mentem Decretorum 1322 ad VIII* (1), *et 3832 ad VIII* (2).

Ad IV *Affirmative, iuxta Decretum 3553 ad II* (3).

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmaiive, iuxta Decretum 3574 ad V. (quaest. 5)* (4).

diebus occurrente, tonus ferialis in cantu Orationum, Praefationis et *Pater Noster* sit adhibendus? et an omittenda sit Oratio supra populum?

*R.* Ad V. « *Quod primam, secundam, tertiam et quartam quaestionem: Serventur Rubricae et Clementina ordinatio; scilicet: in Missa votiva SSmi Sacramenti pro solemni eiusdem expositione ac repositione omittenda est quaelibet commemoratio et Collecta. Infra octavam Sacratissimi Corporis Christi Missa erit de octava eadem cum Sequentia et unica oratione absque Commemorationibus et Collectis. In Dominicis vero privilegiatis primae et secundae classis, in festis pariter primae et secundae classis, feria IV Cinerum, feria II, III, et IV maioris hebdomadae (a mane enim feriae V ad mane Sabbati Sancti a praedicta expositione omnino cessandum), omnibus diebus octavae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, nec non Octava propria privilegiata, canenda est Missa diei currentis cum Oratione SSmi Sacramenti sub unica conclusioue, omissis Collectis et Commemorationibus. Quod si festum aliquod primae vel secundae classis occurrit in Dominica, tunc secundo loco sub distincta conclusione fit Commemoratio Dominicae et dicitur eius Evangelium in fine. Missae tandem* Pro Pace *adiungitur Oratio Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione. In diebus tamen exceptis ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum Oratione* Pro Pace *sub unica conclusione* ».

*Quoad quintam quaestionem, ad primam partem, affirmative; ad secundam Negative.*

(1) 1322. - Nullius Dioecesis et Provinciae Treviren. - 31 Iulii 1665.

8. « In festis et duplicibus prohibentur Missae de Requiem, nisi cadaver sit praesens; Collectae autem pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis festorum simplicium et in ferialibus ».

(2) 3832. - Dubiorum resolutio, 17 Iulii 1894. - Dubium VIII. Quando addi in Missa plures Orationes possint, praeter alias vel ex Rubricis vel ex praecepto Ordinarii dicendas?

*R.* Ad VIII. « *Servetur Rubrica Generalis Missalis Romani.* Tit. IX. nn. 12, et 14: *Quae plures Orationes permittit ad libitum Celebrantis in Missa tantum de festo simplici, aut de feria, vel Votiva privata* ».

(3) 3553. - Ruthenen. 25 Augusti 1882. - Dubium II. Num in Missa conventuali de feriis Quadragesimae vel de Vigilia, aut quatuor Temporum, aut Rogationum, etc., quae in Ecclesiis Cathedralibus et Regularium celebrantur post Nonam, saltem adiungi occurrenti festo possit et debeat 1. Collecta imperata pro vivis ex. gr. Ecclesiae, vel pro Papa, etiam in casu festi primae classis? 2. Collecta pro Defuncto sive imperata, sive ad libitum etiam Sacerdotis Celebrantis; ita ut iis in casibus attendatur solummodo qualitas Missae, minime vero ritus festivitatis diei?

*R.* Ad II. « *Affirmative ad utramque partem* ».

(4) Cf. notam (3) pag. 333.

Ad VII. *Affirmative, ad mentem Decreti 15 Maii 1903 ad III in una Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Belgicae* (1).

Ad VIII. *Serventur Decreta pro Missis votivis edita ac praesertim 3922* (2) *tam quoad ultimum Evangelium, quam quoad horam celebrationis Missae solemnis.*

Ad XI. *Negative, iuxta rubricas Missalis, tit. V. n. 4 pro Missis Defunctorum. In Missis autem Conventualibus et Cantatis, quando dici possint ad libitum aliquae Orationes, non pro libitu Celebrantis, sed Praefecti Capituli aut Superioris Communitatis sunt eligendae.*

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

## III. – NUSCANA.

**Confirmatur cultus ab immemorabili praestitus B. Joanni, episcopo Montis Marani.**

MONS MARANUS, oppidum olim in episcopalem sedem erectum, Dei Servum Joannem habuit Praesulem, cujus nomen ad haec usque tempora cum sanctitatis fama per universam Samnii regionem pervulgatur. Ejus vitae primordia latent, sed in Monte Virginis prope Maranum ortus atque aetate adhuc florente Cassinensis monachus Ordinis S. Benedicti, dignusque tanti magistri discipulus fuisse traditur. Anno millesimo octogesimo quarto Ecclesia Montis Marani suo pastore viduata, Gregorius VII sa. me. Salerni exul, rogatu cleri populique Maranensis, Joannem eximiis virtutibus clarum, prius oblatae dignitati reluctantem, postea summi Pontificis voluntati obtemperantem, illius Sedis episcopum nominavit, et ad Beneventanum Archiepiscopum consecrandum misit. Novus episcopus, omnium laetitia et gratulatione veluti pater exceptus, pastoralis officii sensit onus, humeris etiam angelicis grave, illudque tamen ex cómmuni sententia digne sustinuit. Quae enim sive ad fidei amorisque obsequium promovendum erga Romanum Pontificem, tunc exulem, sive ad perniciosos haereticosque errores a suo grege propulsandos et ad sanam ca-

(1) Cf. *Acta Pontificia*, Vol. I, pag. 122.

(2) 3922. - Sunt sex decreta de Missis Votivis edita die 30 Iunii 1896, quaeque ob spatii deficientiam non referuntur. Eadem lector inveniet in Vol. III. *Decreta Authentica Congregationis SS. Rituum*, pagg. 312-314.

tholicamque doctrinam eidem tradendam, sive ad egenos miserosque sublevandos, et ad charitatem cum pietate fovendam atque augendam quomodolibet conferre poterant, solerti studio atque assiduo opere Joannes adimplevit. Hoc etiam inter caetera memoriae proditum est, Dei famulum operariorum multitudinem cum aqua, eo deprecante, in optimum vinum conversa refecisse. Tandem Joannes post multos exantlatos labores in Dei gloriam et populorum salutem tam in coenobio quam in episcopatu, Pauli Apostoli monita ad episcopos fideliter secutus, et virtutibus ac meritis plenus diem obiit supremum 17 Augusti anno 1094. Mortis nuncio per totam dioecesim diffuso, frequentissimus populus ad invisendum venerabile corpus confluxit. Funere solemni pompa expleto, ipsum corpus sub ara confessionis cathedralis ecclesiae depositum fuit. Ex eo tempore tanta Dei famuli sanctitatis opinio simulque in illum devotio ac fiducia ad auxilium implorandum invaluit, ut cultus publicus ecclesiasticus, usque in praesens perseverans et auctus, Venerando Praesuli adhibitus fuisse perhibeatur. Ad hujusmodi cultum pertinent imagines Servi Dei splendoribus ornatae, Sancti vel Beati titulus, reliquiae venerationi fidelium expositae cum lampade ardente, atque in publicis necessitatibus et supplicationibus per urbem delatae, preces domi et in templo Joanni porrectae, sive ad patrocinium impetrandum, sive ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, necnon oblationes ex voto et dona pretiosissima. Et quoad festa in ejus honorem singulis annis celebrata, synodus dioecesana sub die 16 mensis Augusti an. 1595 suo decreto edixit: « Tam inventio divi Joannis quae celebratur quarta decima mensis Aprilis, quam festum, immediate post translationem divae Mariae, observentur ». Quae quidem festivitates antiquitus observatae, postquam dioecesis Montis Marani Nuscanae dioecesi adjecta fuit, confirmatae atque auctae sunt. Quod plane constat ex calendario ad usum dioeceseos Nuscanae, anno 1873 approbato, in quo tria recensentur festa pro Monte Marano S. Joannis episcopi, sui patroni praecipui, unum primarium respondens etiam Inventioni, et duo secundaria Patrocinii et Translationis. Quum haec et alia casus excepti documenta et testimonia in tabulis processualibus relata et in Actis Sacrorum Rituum Congregationis exhibita fuerint, instante Rmo Dno Alphonso Carfagni, Causae postulatore, nomine etiam universae civitatis Montis Marani et Nuscanae dioeceseos, Emus et Rmus Dnus Sebastianus Cardinalis Martinelli ejusdem Causae Ponens seu Relator, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII?* Porro Emi Cardinalis Ponentis, audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, tum voce

tum scripto, reque mature perpensa rescribendum censuerunt: *Affirmative seu constare.* Die 20 Februarii 1906.

Facta postmodum de his SSmo Dno Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ejusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 2 Martii, eodem anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*
DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secr*

## IV. — ORDINIS S. BENEDICTI.

**Additio approbatur inserenda Martyrologio Ordinis S. Benedicti die 12 Iulii.**

IN Rhaetiae superioris monastero Disertinensi, Sanctorum Fundatorum Sigisberti Hiberni, primi eiusdem Coenobii Abbatis, et Placidi Martyris, nobili Rhaeti et primi ipsius discipuli: qui vitae sanctitate et miraculorum gloria monasticam disciplinam et Ecclesiam Dei illustrarunt: quorum cultum ex sacrorum Rituum Congregationis consulto Pius Papa X ratum habuit et confirmavit.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto suprascriptam Additionem rite revisam Martyrologio Ordinis S. Benedicti inserendam, instantibus Rmis DD. Benedicto Prevost Abbate Disertinensi, et Hildebrando de Hemptinne Abbate Primate totius Ordinis Benedictini, benigne approbare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Maii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*
D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

## V. — PISCIEN.

**Canonici honorarii aequiparandi sunt canonicis titularibus quoad usum insignium.**

POSTULATO hodierni Praepositi et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Apostolorum Petri et Andreae in loco « *Montecarlo* » nuncupato, Dioeceseos Piscien. « An Canonici honorarii aequiparandi sint Canonicis titularibus quoad usum insignium ».

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto specialis Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« *Affirmative, iuxta Decretum Num. 3393,* Patavina *16 Martii 1876* (1) *et Motu Proprio* Inter Multiplices, *21 Febr. 1905* (2).
Atque ita rescripsit, die 21 Iulii 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## I. — URBIS ET ORBIS.

### DECRETUM.

**Plenaria indulgentia, defunctis quoque applicabilis, conceditur iis qui festo SSmae Trinitatis aliquibus in ecclesiis promissiones in Baptismate emissas denuo nuncupantur.**

SSmus Dnus Nr. Pius PP. X. humillimas preces R. P. Francisci Xaverii ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae S. Ioseph. Ordinis SSmae Trinitatis, clementer excipiens, quo magis Christifideles ad servandas promissiones in susceptione Baptismatis ab ipsis emissas excitentur, Plenariam Indulgentiam,

(1) 3393. - Patavina. 16 Martii 1876. - Rmus Episcopus Patavin. exposuit se, ex indulto Sacrae Rituum Congregationis die 25 Iulii anni 1875, in Cathedrali Ecclesia de consensu Capituli octo Canonicos honorarios nominasse cum privilegiis et honorificentiis, quibus fruuntur Protonotarii Apostolici *ad instar*, iuxta Constitutionem Apostolicam APOSTOLICAE SEDIS OFFICIUM die 25 Augusti 1872.

Verum cum praedicti Canonici honorarii a Titularibus forsan requirantur, ut loco ipsorum Missam decantent, quumque honorarii hoc in casu uti nequeant iuxta praelaudatam Constitutionem palmatoria et Canone, quibus quidem privilegiis sese ornatos Canonicos Titulares existimant: hinc Rmus Episcopus a SSmo Dno Nostro humiliter postulavit, ob decorem Sacrarum functionum, ut praedicti Canonici honorarii, in Cathedrali tantum, palmatoriam et Canonem ad Missam; atque in cantu Vesperum palmatoriam valeant adhibere.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per Secretarium facta, rescribendum censuit:

« Canonicos honorarios esse aequiparandos Canonicis Titularibus quoad usum Insignium, cum sacris funguntur ministeriis in choro Cathedralis: omnes vero moneantur, ut servent praescripta in Constitutione recenter edita de privilegiis Protonotariorum ».

(2) Cf. *Acta Pontificia,* Vol. 2°, pag. 343*.

defunctis quoque applicabilem, benigne concessit ab omnibus lucrandam, qui die festo Augustissimae Trinitatis, alicui piae coeremoniae in paroecialibus aliisque ecclesiis de Ordinariorum licentia et iuxta eorundem normas, peragendae, in qua sollemniter praefatae promissiones denuo nuncupentur, devote adstiterint, simulque sacramentali confessione expiati et S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suae. pie oraverint. Praesenti in perpetuo valituro.

Contrariis quibuscumqne non obstantibus.

Datum Romae, e Secria S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Kalendis Iunii An. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**II. — Indulgentia 50 dierum conceditur recitantibus precem iaculatoriam: " Nos, Jesu, Maria et Joseph, benedicite nunc et mortis agone. "**

Beatissimo Padre,

NICOLA GIUSEPPE CAMILLI, Arcivescovo Vescovo di Sassi, prostrato al bacio del v. Piede supllica la S. V. a degnarsi di accordare qualche indulgenza, applicabile ai defunti, a tutti i fedeli ogni qualvolta reciteranno divotamente a seguente invocazione: « *Nos, Jesu, Maria et Joseph, benedicite nunc et mortis agone* ».

Che, ecc.

Ex Audentia SSmi die, 9 Iulii 1906.

SSmus Dnus Noster Pius Pp. X universis Christifidelibus quoties praefatam invocationem corde saltem contrito ac devote recitaverint Indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Iunii 1906.

L. ✠ S.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**III Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus precem: "O Joachim Sancte, coniux Annae, pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem.,,**

Beatissime Pater,

IOSEPH MASQUILIER, Sacerdos Congregationis SSmi Redemptoris, Director Annalium S. Ioachim, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillime petit Indulgentiam pro sequente liturgica oratione:

« *O Joachim Sancte, coniux Annae, pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem* ».

Recitantibus hanc precem semel in die Indulgentiam tercentorum dierum in Domino concedimus.

PIUS PP. X.

Praesentis rescripti authenticum exemplar a SS. D. N., die 28 Maii 1896, Manu Propria signatum, exhibitum fuit huic S. C., Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae.

In quorum fidem.

Datum e Secretaria eiusdem S. C., die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**IV. — Indultum pro Monialibus dioecesis Barcinonensis quoad recitationem invocationum Cor Jesu Sacratissimum etc., N. D. SSmi Sacramenti etc. et nominum Iesu, Mariae et Ioseph.**

Beatissime Pater,

CARDINALIS Episcopus Barcinonen S. V. humiliter quae sequuntur exponit.

1° Apud Monialium Monasteria haud lucrantur Inndulgentiae invocationi « Cor Iesu Sacratissimum, miserere nobis » concessae, eo quod post Missam Conventuales dictae preces minime recitantur. Optaret igitur Cardinalis orator ut Sanctimoniales Indulgentias praedictae invocationi adnexas lucrarentur, eam recitantes post Antiphonam « Angelus Domini » quae ter in die exorari solet.

2° Non ita pridem S. V. benigne concessit nonnullas Indulgentias pie recitantibus « Domina Nostra Sanctissimi Sacramenti, ora pro Nobis », coram SSmo Sacramento solemniter exposito; sed plura extant Monialium Monasteria in quibus nonnisi raro Augustissimum Sacramentum solemniter exponitur. Optandum

ergo esset ut illud in Tabernaculo asservatum, pro iis Indulgentiis conditio habeatur.

3° Ad devotionem in Iesum, Mariam et Ioseph magis magisque fovendam, implorat Orator ut fidelibus Eorum Nomina coniunctim invocantibus, prouti frequentissimum in Hispania, concedatur toties quoties Indulgentiae septem annorum totidemque quadragenarum, necnon Plenaria semel in mense lucranda, pro rite confessis ac Communione refectis, qui dictam invocationem quotidie recitare consueverint. Et Deus.

Iuxta preces in Domino quoad omnia.
Die 8 Iunii 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregat. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**V. — Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus quamdam precem SSmo Cordi Jesu.**

PREGHIERA AL S. CUORE DI GESÙ.

O Cuore SSmo di Gesù, spandete a larga copia le vostre benedizioni sopra la S. Chiesa, sopra il Sommo Pontefice, e sopra tutto il Clero; date ai giusti la perseveranza, convertite i peccatori, illuminate gl'infedeli, benedite i nostri parenti, amici, e benefattori, assistete i moribondi, liberate leanime del Purgatorio, e stendete su tutti i Cuori il dolce impero del vostro amore.

Così sia.

Ex audientia SSmi diei 15 Iunii 1906, SSmus Dominus Noster Pius Papa X omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote supradictam precem recitantibus tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, benigne concessit; iis vero qui per integrum mensem quotidie eandem recitaverint, quo die confessi ad S. Synaxim eccesserint atque ad mentem Summi Pontificis oraverint plenariam elargitus est indulgentiam. Quas indulgentias S. S. ad animas quoque in Purgatorio detentes applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Cong., die 16 Iunii 1906.

L. ✠ S. A. Card. Tripepi, *Praef.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

**VI. — Indulgentia 300 dierum conceditur preci iaculatoriae: " Maria Addolorata, Madre di tutti i Cristiani, pregate per noi. "**

Beatissimo Padre,

Il P. Giuseppe Angelucci, de' Servi di Maria, parroco di S. Marcello in Roma, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica perchè si degni concedere qualche indulgenza a tutti coloro che recitano la giaculatoria: *Maria Addolorata, Madre di tutti i Cristiani, pregate per noi;* soprattutto, affinchè si ottenga la conversione delle Chiese cristiane dissidenti. Che, ecc.

*Ex Audientia Sanctissimi*
*Die 4 Iunii 1906*

SSmus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, etiam animabus in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum, etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quornm fidem, etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 27 Iunii 1906.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secr.*

---

**VII. — Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam precem: " Cœur Sacré de Jésus, que votre règne arrive! "**

Très-Saint Père,

L'Archevêque de Sida, Coadiuteur de Paris, administrateur Apostolique du diocèse de Bayeux, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, a l'honneur de Lui exposer que dans son audience privée du 22 novembre dernier, Votre Sainteté avait daigné, à sa demande, accórder aux religieuses du Monastère de la Visitation de Caen, une Indulgence de trois cents jours pour la récitation de cette invocation: « *Cœur Sacré de Iésus, que votre règne arrive!* »

Désidereux de promouvoir de plus en plus l'avénement de ce règne béni, l'Archevêque soussigné ose solliciter humblement de Votre Sainteté que la dite Indulgence soit étendue à tous les fidèles qui réciteront cette invocation.

De Votre Sainteté.

Le fils trés-respectueux et trés obéissant.

Paris, le 4 Mai 1906. LÉON ADOLPHE Arch. de Sida,
Coadj. de Paris.

Ex Audentia SSmi die 29 Iunii 1906. Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa X precibus annuens Revmi Archiepiscopi oratoris petitam Indulgentiae extensionem, ad omnes Christifideles supra relatam precationem pie recitantes benigne concedere dignatus est.

Datum Romae e Secretaria Status die, mense et anno praedictis.

Iacobus Della Chiesa, *Substitutus.*

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Sacrae Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secreteria eiusdem S. Congr., die 6 Iulii 1956.

L. ✠ S.

† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**VIII. — Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus precem quandam Iesu in SSmo Sacramento.**

PREGHIERA A GESÙ IN SACRAMENTO.

Le nostre colpe, o Signore, ci offuscano l'intelletto e ci fanno trascurare il bene di amarvi come meritate. Rischiarate la nostra mente con un raggio della vostra vivida luce. Voi siete l'amico, il Redentore, il Padre di chi pentito torna al vostro cuore, e noi pentiti ritorniamo a Voi. Salvateci o Gesù, supplite con la vostra infinita bontà le nostre miserie! Gesù, speriamo in Voi, perchè sappiamo che la nostra salvezza vi costò la morte sulla Croce, e v'indusse a dimorare di continuo nel SSmo Sacramento, per unirvi con noi tutte le volte che vogliamo.

Noi, o Signore, per ringraziarvi di tanto amore che ci portate, vi promettiamo, con la vostra grazia, di ricevervi Sacramentato quanto più spesso è possibile, di recitare le vostre lodi in Chiesa e da per tutto senza rispetto umano. Signore, vi supplichiamo, confidenti nel Vostro Sacratissimo Cuore che conserviate nel vostro amore chi vi ama, e che chiamate tutti a ricevervi quotidianamente sull'altare secondo il vostro acceso desiderio.

Die 26 Iunii 1906. Ex audientia SSmi.

SSmus omnibus Christifidelibus praefatam precem, corde saltem contrito, devote recitantibus, quoties id egerint, tercentum dierum indulgentiam, omnibus in Purgatorio detentis etiam profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus et absque Brevis expeditione.

In quorum fidem, etc.

Casimirus Card. Gennari.

Praesentis Rescripti autenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., die 6 Iulii 1906

L. ✠ S.

† D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

## S. STUDIORUM CONGREGATIO

**Collegium a divo Thoma Aquinate de Urbe Pontificium declaratur gradusque academici ab eodem collati omnibus gaudent canonicis effectibus.**

Beatissimo Padre,

Il Padre Fr. Enrico Buonpensiere, dei Predicatori, Reggente del Collegio di S. Tommaso d'Aquino *de Urbe*, supplica umilmente Vostra Santità affinchè si degni concedere a detto Collegio il titolo di *Pontificio*, dichiarando che i gradi accademici, che da esso si conferiscono in Filosofia, Teologia e Diritto Canonico, abbiano gli stessi effetti canonici di quelli che si conferiscono in altre Università cattoliche. Che della grazia, ecc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia diei 26 mensis Maii 1906, referente subscripto S. Congregationis Studiorum Emo Cardinali Praefecto, attenta commendatione Rmi P. Generalis Ord. Praed., benigne libenterque annuens precibus Rmi P. Henrici Buonpensiere, Regentis Collegii Divi Thomae Aquitanis de Urbe, mandare dignatus est, ut hoc perinsigne Collegium, in quo florent studia Philosophiae, Theologiae ac Iuris Canonici, posthac *Pontificium* vocari possit; et gradus academici, qui ab eo in Philosophia, Theologia ac Iure Canonico rite conferuntur, eadem prorsus iura ac privilegia habeant, quae habent ii qui in qualibet Universitate catholica canonice instituta conferentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

FRANCISCUS Card. SATOLLI, *Praefectus.*
ASCENSUS DANDINI, *Secretarius.*

# APPENDIX

## STATUTA

**Unionis popularis inter catholicos Italiae** (1).

### I. — STATUTO

DELL'UNIONE POPOLARE FRA I CATTOLICI D'ITALIA.

*Denominazione e scopo.*

1° È costituita una Unione Popolare fra i Cattolici d'Italia.

2° Essa ha per iscopo di promuovere la difesa e l'attuazione dell'*ordine sociale* e della *civiltà cristiana,* secondo gli insegnamenti della Chiesa, educando la coscienza sociale, civile, morale, religiosa del popolo italiano.

*Costituzione e funzioni.*

3° L'Unione popolare è costituita da Cattolici d'ogni classe, i quali dichiarino di accettate il programma dell'Unione stessa e di cooperarvi colla penna, coll'opera e con un contributo minimo di una lira all'anno. L'ascrizione è puramente personale e comprende cittadini maggiorenni, uomini, donne, ecclesiastici, laici, senza distinzione.

4° Essa *a)* con *funzione di studio* raccoglie e fornisce ai soci criteri e materiali scientifici per la soluzione dei problemi sociali pratici, specialmente di attualità, attenendosi sempre alle direzioni Pontificie ed in ispecie alle Encicliche sulla questione operaia e sull'azione sociale: — *b)* con *funzione di propaganda* ne cura la diffusione scritta ed orale: — *c)* con *funzione organizzatrice,* promuove la costituzione e lo sviluppo di sodalizi e istituti riguardanti la vita sociale e morale della nazione, procedendo nei singoli luoghi in armonia colle Direzioni Diocesane, che verranno a costituirsi, sotto l'alta dipendenza dei Vescovi, anche per coadiuvare l'Unione popolare nel conseguimento de' suoi scopi generali.

*Organi e facoltà.*

5° L'unione è governata da un Consiglio direttivo costituito da delegati regionali. I soci residenti in ogni diocesi, qualunque sia

(1) Vigore Litterarum Encyclicarum « *Il fermo proposito* » (*Acta Pontificia*, Vol. III, pag. 68) Opera tria constituta sunt Actioni Catholicae in Italia moderandae, quorum nunc referimus statuta peculiaria a Pontificia Commissione edita et a Summo Pontifice approbata.

il numero, eleggono un delegato: se però superano i cinquanta ne eleggono uno ogni 50 soci iscritti o frazione di 50.

I delegati diocesani di ogni regione, le cui diocesi abbiano ciascuna almeno 50 soci, — eleggono nel proprio seno due delegati regionali, chiamati a far parte dell'Unione. Le regioni che non si trovino nelle condizioni di cui sopra, avranno un solo delegato regionale.

I modi di procedere alle elezioni saranno determinati dal Regolamento.

6° Il Consiglio direttivo *a)* costituisce nel proprio seno una Presidenza di nove Membri, Presidente, tre Vicepresidenti, Segretario, Tesoriere e tre Consiglieri, i quali si dividono fra di loro la direzione amministrativa e scientifica: *b)* Per il miglior raggiungimento degli scopi sociali, il Consiglio può aggregarsi alcuni Soci, specialmente competenti in determinate materie: *c)* Il Consiglio direttivo si riunisce ad ogni richiesta della Presidenza o per domanda di due terzi dei suoi membri; ed ogni anno in adunanza ordinaria per discutere e deliberare intorno all'operato della Presidenza, al bilancio finanziario ed all'indirizzo generale dell'Unione.

7° I soci potranno essere convocati in Assemblee locali e in quella generale per sentirne il parere in argomenti riguardanti l'amministrazione e il programma sociale dell'Unione.

*Doveri della Presidenza*

8.° Spetta alla Presidenza, coadiuvata dal Consiglio, di convocare le Assemblee dei Soci; e di provvedere — alle iscrizioni dei Soci e alle relazioni con essi; — al prelevamento dei contributi finanziari; — e al conseguimento dei fini sociali della Unione, in tutti i modi suggeriti dalle esigenze od esperienze pratiche e compatibili col carattere della Società.

*a)* In particolare, nei riguardi dottrinali, la Presidenza curerà la istituzione di un *Ufficio centrale di studio*, *di informazione e di divulgazione* delle dottrine etico-sociali cristiane; e per mezzo di esso — promuoverà la preparazione e diffusione di scritti, opuscoli, foglietti volanti popolari; — la pubblicazione di articoli di occasione nei giornali cattolici; — le Conferenze private e pubbliche; — le Scuole o Corsi pratici di propagandisti per la difesa dei principii sociali cristiani pel popolo, e per la fondazione e amministrazione delle varie istituzioni popolari; — i Corsi sistematici (Università popolari o Settimane Sociali) per la esposizione e discussione di problemi sociali-civili contemporanei; — Comizii pubblici per affermazione e voti di carattere urgente e generale.

*b)* In particolare, nei riguardi pratici, solleciterà la formazione — di Circoli di cultura, — di Società per le biblioteche popolari:

— le Associazioni per la stampa periodica; — lo sviluppo delle organizzazioni giovanili sotto tutte le forme e gradi specialmente educative e sociali militanti: di quelle femminili in tutte le esplicazioni private e sociali, specialmente di patronato e carità — e di quelle professionali popolari per assicurare (d'accordo colla Unione economica e coll'Unione elettorale e colle associazioni democratiche cristiane) l'ordinamento autonomo, la educazione cristiana e la elevazione civile delle classi lavoratrici.

*c)* In modo speciale poi promuoverà la costituzione di apposito Ente, che diriga l'azione cattolica scolastica in Italia, ne propugni la libertà, nonchè tuteli i diritti e gli interessi degli insegnamenti cattolici; affidando eventualmente questo compito ad alcuna organizzazione già esistente, riconosciuta atta a disimpegnarlo.

### *Relazione con altri Sodalizii.*

9.° L'*Unione popolare* si terrà, per il bene comune, in relazioni amichevoli con tutte le istituzioni e le associazioni cattoliche che esistano o che vengano liberamente a costituirsi in Italia, di carattere locale e generale, in modo particolare colle Direzioni diocesane; e di tutte favorirà i rispettivi Congressi speciali.

10° L'Unione popolare procederà d'accordo colle associazioni cattoliche di carattere generale nella iniziativa e nella preparazione periodica di *Congressi nazionali* dei cattolici italiani.

11° La sede dell'Unione verrà determinata dal Consiglio direttivo.

### *Disposizione transitoria.*

12° Il presente Statuto resterà in vigore, in via provvisoria, per un biennio.

---

## II. — STATUTO

## DELL'UNIONE ECONOMICO-SOCIALE PEI CATTOLICI D'ITALIA.

### *Denominazione e scopo.*

1° È istituita una *Unione* fra le istituzioni economico-sociali dei cattolici italiani, avente la propria sede dove è la dimora abituale del Presidente.

### *Scopo.*

2° Essa ha per iscopo:

*a)* di promuovere la fondazione di Associazioni ed Istituti che si propongono di attuare, anche parzialmente, il programma economico-sociale in conformità agli insegnamenti della Santa Sede e alle deliberazioni dei Congressi Cattolici nazionali.

*b)* Di coordinare l'azione delle Associazioni e degli Istituti affini.

*c)* Di aiutare gli enti medesimi, mediante uffici di consulenza legale e tecnica.

*d)* Di promuovere studi, inchieste, pubblicazioni, giovevoli allo sviluppo delle istituzioni aderenti.

*Costituzione.*

3° L'*Unione* è costituita dalle Associazioni ed Istituti riconosciuti dai rispettivi Ordinari Diocesani che aderiscono all'*Unione* accettandone lo Statuto.

*a)* Essi sono rappresentati in seno dell'*Unione* da appositi delegati nominati a mente dell'articolo 4°.

*b)* Gli attuali membri del II Gruppo Generale della disciolta opera dei Congressi, vi faranno pure parte di diritto; il loro ufficio è a vita.

4.° Quelle istituzioni ed associazioni che avessero raggruppamenti, o federazioni tecniche proprie, siano diocesane, regionali, circondariali, provinciali o simili, hanno diritto ad un proprio delegato.

Le istituzioni, che non abbiano cosiffatti raggruppamenti, possono, riunendosi per ogni diocesi, nominare pure un delegato.

Agli effetti di cui sopra, i raggruppamenti devono avere l'adesione di non meno di 10 istituzioni, ed hanno diritto ad un delegato per ogni 25 istituzioni aderenti.

Alla nomina dei delegati, di cui sopra, non potranno concorrere col loro voto, le Associazioni o Federazioni o Gruppi aderenti che non siano in regola coi contributi finanziarii stabiliti.

5° L'*Unione* è governata da un *Consiglio direttivo* di 29 membri nominati dall'assemblea dei delegati nelle proporzioni seguenti:

*Quattro* fra i membri del disciolto Secondo Gruppo dell'opera dei Congressi di cui all'art. 3., lettera *b*, finchè questi non siano ridotti a meno di dieci;

*Cinque* fra i delegati di cui all'art. 3, lettera *a*.

Gli uni e gli altri durano in carica tre anni e sono rieleggibili.

Quando i membri a vita del Secondo Gruppo siano ridotti a meno di *dieci*, la elezione dei nove Consiglieri è libera fra tutti i componenti l'*Unione*.

6.° Il Consiglio direttivo elegge, nel proprio seno un Presidente, un Vice-Presidente, un Segretario e un Cassiere, il cui Ufficio dura un triennio.

Occorrendo, il Consiglio Direttivo potrà assumere uno o più impiegati; in tal caso, il Consiglio stesso ne determinerà le attribuzioni e le responsabilità e ne fisserà l'onorario.

7° Il Consiglio direttivo, di regola, si aduna una volta al mese Ai membri non residenti nella sede dell'*Unione* saranno rimborsate le spese, per il loro intervento alle adunanze.

*Assistente Ecclesiastico.*

8° L'*Unione* ha un assistente Ecclesiastico, scelto dalla Santa Sede, con le attribuzioni che gli saranno da questa impartite.

Egli ha diritto di assistere a tutte le adunanze del Consiglio direttivo, a tutti i convegni e Congressi parziali e nazionali.

*Mezzi.*

9° L'*Unione economico-sociale* intende di raggiungere i suoi scopi, coi seguenti mezzi:

*a)* Col promuovere e organizzare convegni diocesani, regionali, nazionali, di rappresentanti delle associazioni ed istituti cattolici aderenti.

*b)* Con pubblicazioni d'indole economico-sociale, allo scopo di popolarizzarne i criterii direttivi e la pratica applicazione.

*c)* Coll'organizzare concorsi e mostre parziali o generali, ove se ne presenti l'opportunità ed il vantaggio.

*d)* Coll'istituire collegi di persone legali e tecniche, aventi l'incarico di risolvere i dubbi e i quesiti che venissero proposti dalle Associazioni, dai Gruppi o dalle Federazioni aderenti.

*e)* Coll'istituire un corpo d'ispettori amministrativi e contabili,i quali sieno a disposizione del Consiglio direttivo e dei singoli Gruppi o Federazioni quando ne avessero bisogno.

*f)* Coll'assumere la difesa, nei modi consentiti dalle leggi, di interessi comuni morali ed economici, di carattere generale, dinanzi a qualsiasi Autorità o Dicastero, ogniqualvolta se ne presenti la necessità.

*g)* Coll'avviare e mantenere relazioni amichevoli con Istituti ed Associazioni nazionali ed estere, di natura e scopi identici ed affini.

*Finanze.*

10° Ogni Gruppo o Federazione aderente deve versare annualmente all'*Unione economico-sociale* un contributo finanziario da stabilirsi nel regolamento.

Ove le entrate annuali, in tal modo costituite, non bastino a sopperire alle spese ordinarie, spetta all'assemblea generale dei membri dell'*Unione*, su proposta del Consiglio direttivo, di provvedere a seconda dei casi.

*Assemblee.*

11° Una volta all'anno, ordinariamente, nel tempo e nel luogo designati dal Consiglio direttivo, si terrà un'adunanza plenaria

di tutti i delegati delle istituzioni aderenti e membri del cessato II Gruppo Generale di cui all'art. 3.

L'invito, contenente l'ordine del giorno, dovrà essere spedito ai singoli membri un mese prima.

12° Il Consiglio direttivo, di sua iniziativa o in seguito a richiesta di Federazione o Gruppi aderenti, potrà indire Congressi o adunanze speciali. Il programma dovrà essere prima approvato dal Consiglio direttivo, il quale designerà il Presidente del Congresso.

13° L'*Unione* curerà di mantenere buone relazioni con tutte le altre associazioni cattoliche italiane, per aiutarsi scambievolmente, in ogni occorenza.

14° Il Consiglio direttivo è autorizzato a redigere e ad approvare apposito Regolamento per rendere più facile e più efficace l'applicazione del presente Statuto.

---

## III. — STATUTO

### PER LA UNIONE ELETTORALE CATTOLICA ITALIANA.

*Denominazione e scopo.*

1° È costituita la *Unione Elettorale Cattolica Italiana.*

2° Essa ha per iscopo:

*a)* di riunire le Associazioni elettorali cattoliche esistenti nei collegi, mandamenti e comuni d'Italia per coordinare e intensificare la loro azione;

*b)* di far sorgere Associazioni consimili, dove non esistano, ovvero dove altre già costituite sebbene diverse di natura e d'intenti, non ne assumano le funzioni;

*c)* di raccogliere e determinare gli elementi del programma di azione, che i rappresentanti cattolici debbono, concordemente propugnare nelle pubbliche amministrazioni.

*Sodalizi aderenti.*

3° Per essere ammesse a far parte dell'*Unione elettorale cattolica italiana*, le singole Associazioni debbono farne domanda alla presidenza dell'*Unione*, dichiarando di accettarne le direzioni generali di programma e di prestarsi a favorirne l'opera nelle rispettive circoscrizioni. Le Associazioni aderenti rimarranno, del resto, libere nella scelta delle direzioni tattiche e dei mezzi corrispondenti, consigliati loro dagli interessi e dalle esigenze locali.

*Mezzi.*

4° Per raggiungere i propri scopi, la *Unione:*

*a)* promuove riunioni ordinarie e straordinarie dei delegati delle associazioni aderenti e di cattolici investiti di un pubblico mandato elettivo per studiare i problemi politici ed amministrativi di maggiore interesse per lo Stato, per le provincie e per i comuni, nonchè quelli religiosi, morali e sociali, secondo le direzioni Pontificie;

*b)* mantiene un Segretariato centrale permanente di consulenza generale ed in particolar modo legale;

*c)* raccoglie la statistica del movimento elettorale cattolico in tutta Italia;

*d)* pubblica un Bollettino di istruzioni e di informazioni che serva a coordinare e a facilitare l'opera delle singole associazioni, di cui all'uopo esporrà i bisogni e le aspirazioni;

*e)* segue il lavoro legislativo, segnalando alle Associazioni aderenti ed alla stampa i progetti di legge e le leggi che possono interessare l'azione pubblica dei cattolici.

*Organi.*

5° La *Unione* é retta da un Consiglio direttivo, composto di nove membri, che vengono eletti ogni due anni, in assemblea generale, dai delegati delle Associazioni aderenti. È ammessa la rielezione.

6° Il Consiglio direttivo elegge nel proprio seno un presidente, un vice presidente, un segretario ed un cassiere.

7° La sede della *Unione* sarà nel Comune che verrà determinato dal Consiglio direttivo.

*Cassa.*

8° Ogni Associazione aderente alla *Unione* dovrà versare, annualmente alla medesima un contributo, che sarà fissato dal Consiglio direttivo in proporzione del numero dei soci e della importanza della Associazione. Detto contributo non potrà in ogni caso essere inferiore a lire dieci annue.

*Disposizione transitoria.*

9° Il presente Statuto rimarrà in vigore in via provvisoria per un biennio.

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

**Continuatio de Extremae Unctionis Sacramento.**

(Cf. *Acta Pontificia*, Vol IV, pag. 153-157)

§ 2° — *Extremae Unctionis Minister.*

Sacerdos tantum huius sacramenti est Minister; ordinarius Episcopus aut parochus, necessitate cogente quivis sacerdos etiam regularis. Extra tamen necessitatem, episcopi aut parochi injussu grave est extremam Unctionem ministrare; imo, si regularis, ipso facto excommunicatione Pontifici reservata mulctatur.

Parochus sub gravi Oleum Sanctum ex justitia ministrare tenetur. Etiam inde cum vitae periculo, omni tamen cautionis genere adhibito infirmum, qui gravis peccati reus esse videatur. extrema Unctione infirmum linire debet.

Maximi momenti est parocho infirmitatis periculum internosci: neque enim morientis colluctatio expectanda, neque sacramentum frustra ministrandi periculum scienter subeundum est. Quum ergo ex propria experientia, aut medici consilio, aut etiam aliquando infirmi sententia et urgente desiderio iam mortis periculum etiamsi non proximum vi morbi appropinquare iure sacerdos praesumit, aegrum quamvis suae mentis sit compos, Oleo Sancto haud cunctanter linire debet.

Nisi aliud ex alia aut etiam ex eadem infirmitate superveniat mortis periculum, extremam Unctionem denuo quae valeat ministrari non licet. At parochi « ne nimium » inquit Van-Espen (apud Benedictum XIV de synodo d. VIII, 8: 4) « scrupulose in hoc se gerant; sed si dubitent (dubio positivo, nempe quando probabile sit infirmum iam exiisse a periculo mortis Lig. VI, 715) an revera morbi status sit mutatus seu, num idem vel diversum sit vitae periculum in quo aegrotus versatur, expedit ut ad sacramenti iterationem propendeant eo quod haec iteratio conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniat ». Periculum ergo quod aliquot (4-5) post diebus a S. Unctione appareat praecedentis continuatio praesumitur. Sed si, in melius aegri valetudine inclinata, mortis periculum omnino « per notabile tempus » (7 dies) desierit, alio imminente periculo, denuo S. Oleum ministratur.

Ut quis extrema liniatur Unctione, necesse est ut: 1) in communione cum Ecclesia vivat; 2) Dei gratia ditetur, aut « conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata; neque sufficit attritio » (Lig. VI, 716); 3) devotio et plenum in Dei voluntatem obsequium. Huiusmodi ergo Sacramentum his quantum possit ministratur qui adhuc suae mentis sunt compotes. Inique proinde sensuum et mentis amissionem praestolatur.

Extrema Unctio totius vitae christianae consummatio tum datur quum poenitentiae sacramento infirmus ablutus et Viatico firmior est factus.

Hoc sacramentum iis denegatur: 1) qui publica excommunicatione mulctantur donec absoluti fuerint; 2) qui in publicum peccant nec poenitent, neque emendantur. Sed « notorio quoque peccatori hoc sacramentum negari vix potest si ex aliquibus conjecturis vel poenitentiae signis eum contritum vel attritum esse colligatur. Quin etiam non improbabile censetur idem a parocho faciendum esse, licet peccator notorius, at catholicus, nulla poenitentiae signa ostenderit, neque pro ipso militet vita christiane acta, cum homines etiam pessimi et perditissimi in mortis confinia deducti serio salvari cupiant nec raro etiam assistente divina gratia elicitis subito internae contritionis actibus salventur (Instr. Eyst., pag. 79); 3) « qui in actu mortaliter peccaminoso morte correpti sunt aut actualiter peccando sensibus destituuntur v. gr. in fornicatione, etc. » (Baruffaldo tr. XXVII § 8, n. 73). Si tamen qui, gravi peccato patrato, antequam sensus amiserint, poenitentiae signa etsi dubia dederint cum conditione absoluti, simpliciter oleo sancto liniuntur; hoc enim sacramentum cum conditione tum tantum ministratur quum utrum infirmus sit capax sacramentum quod valeat recipiendi (utrum vivat, vel sit baptizatus vel rationis fuerit aliquando capax, etc.) dubitatur, umquam cum conditione « si *dispositus es* ». Oleum Sanctum, his in casibus, propriis deficientibus conditionibus etiamsi ad tempus inutile, ministrari licet. Si enim infirmus-qui, forte sensibus destitutus quin gravis peccati poenitentiae signa dederit, extrema Unctione linitus fuerit - serius, quum sacerdotem amplius, ante quam moriatur, habere possit lucidis gaudens intervallis ad veram (supra naturam), etsi tantum imperfectam, poenitentiam perveniat, oleum Sanctum « per reviviscentiam Sacramenti » peccatorum veniam, et inde animae salutem illi comparat. Illi tantum qui omnino sacramentum haud dubie non recepisset, cum conditione (« si dispositus es ») ministratur, ne postrema illi salutis ancora praecidatur.

Extremae recipiendae Unctionis obligatio est in se dubia S. Alphonso sententiam affirmantem « ratione saltem caritatis erga se ipsum » omnino suadenda videtur. Omnes autem doctores in sentemtiam perducuntur quae docet infirmum nonnunquam graviter peccare extremam non recipiendo Unctionem ex populi offensione aut Sacramenti contemptione quae « absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti injuria esse non potest » (Conc. Trid.). Qui vero non ex contemptu sed alia, etsi vana, causa (« ob aliquam repugnantiam vel quia putat non esse in praecepto » S. Alph.) hoc sacramentum recusat accipere, ex communi sententia leve admittit peccatum.

# PARS ALTERA

## DE SACRAMENTALIBUS

### § 1.° — *Sacramentalium notio et effectus.*

Sacramentalia sunt res divinae quae ad sacramentorum similitudinem accedunt, quaeque ex benedicendi facultate Ecclesiae a Christo data tum ut profana amoveantur tum ut bona (Dei gratia et alia beneficia) hominibus communicentur.

Sacramentalia eodem proxime tendunt quo universus cultus, in Dei, inquam, gloriam et hominis salutem. Potissimum naturam mundant et consecrant quae et ipsa ex Adami peccato divina onusta imprecatione malo hosti subiicitur et hominem ex sua vitiata substantia in peccatum illicit, eique non, ut in primordiis, ad salutem adiutrix sed infesta.

Sacramentalia: 1° naturam a peccati execratione expiant, malum inimicum expellunt, contra eius insidias protegunt, mala - peccati poenam et effectus - propulsando, a levioribus expediunt culpis; 2° naturae res consecrant quae sive hominis saluti, sive divino servitio, sive divinae gratiae usui sunt, salutis impedimenta amovent, divina augent subsidia et ad fusiores praeparant gratias.

Sacramentalium effectus a Jesu Christi meritis derivantur qui peccato perdita suae Ecclesiae omnia instaurat. Quapropter - de intima ex Jesu Cristi meritis profluente et suae Ecclesiae

conciliante virtute - per se, ut sacramenta « instrumentaliter » « ex opere operato », certo, neque a ministro neque a subiecto pendentia operantur.

At aliter se habent ratione subiecti in quo ex congrua eiusdem opera et prout vere hominis saluti deserviant, semper moderantur. Quum enim huius etiam vitae bona, quae omnibus sane non perpetuo prosunt, saepius sacramentalia conferant, ut subiecti ceteroquin digni, saluti forte non officiant, nonnunquam nihil assequuntur. Hac de causa sacramentalia « ex opere operantium » vim habere credere licet.

§ 2.° — *Sacramentalium materia, forma, locus, tempus, ritus.*

Sacramentalium *materia* est certa persona (aut res), quae ex Ecclesiae legibus consecratur aut dedicatur vel - si res iam benedicta aut consecrata sit - quacum sacramentale peragitur (ut quum aliquid lustrali aqua aspergitur).

In universum pro forma necesse est: 1° SS. Jesu nomen invocetur; 2° crucis signum super benedicenda formetur; 3° propria ab Ecclesia praescripta deprecatio et symbola adhibeantur (unctio manuum impositio); 4° aqua lustrali obiectum aspergatur. Ut sacramentalia valeant requiritur: 1° personae vel rei benedicendae praesentia; 2° ab Ecclesia in ritualibus, missali, pontificali, etc. praescriptos ritus ab apto ministro adhiberi, quibus adiungi aut adimi quidpiam vetatur.

Proprius sacramentalium locus est ecclesia, sed illa quae cum divino non coniunguntur sacrificio etiam alibi ministrantur dummodo locus sit decens et congruus. Benedicenda in cornu Epistolae locantur. Quae autem (ut edulia) indecora sint in tabula extra altare ponuntur.

Sacramentalium quaedam cum S. Missa aut sacramentis iunguntur, quaedam vero seorsum, quaedam quolibet, quaedam certo die ministrantur (cinerum, palmarum, etc. benedictio); 3° in benedictionibus quae in altari peraguntur sacerdos pluviali, absque manipulo, vel saltem alba cum stola induitur. In ceteris superpelliceum et stola sufficiunt, nisi, ex solemnitate, pluviale vestiri oporteat; 4° Stolae et pluvialis color diei officio congruat necesse est nisi Missale, rituale, aut pontificale aliud iubeant. In exorcismis et iis, quae cum exorcismis iunguntur benedictionibus, violaceus color adhibendus est; 5° in benedictionibns quae ad altare dantur aut cum S. Missa coniunguntur cerei accenduntur; in ceteris sub cruce, ex qua cuncta pendent bona, benedicenda osten-

dere decet; 6° sacerdos, qui Christi et Ecclesiae vice fungitur, benedictionem semper stando impertit; 7° a versiculis « Adiutorium nostrum », etc. initium benedictiones semper sumit dum se sacerdos cruce signat; 8° crucis signum, ex quo sacramentalium proprius derivatur effectus super benedicenda devote formatur; 9° obiecta tandem aqua lustrali in forma crucis asperguntur; et si solemnior est benedictio etiam incensatur; 10° in solemnibus consacrationibus sancta adhibentur olea ut gratiae plenitudo ex S. Spiritu effusa communicetur et significetur.

# BIBLIOGRAPHIA

## I.

**Excerpta ex Rituali Romano** pro Administratione Sacramentorum ad commodiorem usum missionariorum, in Septentrionalis Americae Foederatae provinciis. Novis curis novoque ordine disposita. Edito XIII. - Fr. Pustet. - New-York & Cincinnati. Lib. 2.50.

Benigne excipiant ecclesiastiei viri ex America Septentrionali hoc aureum vade-mecum a cl. editore Fr. Pustet concinnatum, cuius admiranda elegantia formae et typorum, ubi etiam anglice versae inveniuntur partes, in quibus sacerdos sacramenta administraturus fideles alloquitur.

## II.

Crampon A. — **Le Nouveau Testament de N. S. Jesus-Christ** traduit sur le texte original, avec introduction, notes, divisions logiques et sommaires. — Un vol. in-8° parvo pag. 316. - Desclée. Lefebvre et C. - Lib. 2.

Omnes norunt cl. Crampon de studiis Scripturae Sacrae bene meritum. Ipse auctor extitit versionis totius Bibliae in duplici editione: altera ex 7 voluminibus cum vulgatae textu et copioso cum commentario; altera parva cum sola Versione brevibusque notis illustrativis. Hocce volumen postrema est pars huius parvae editionis seorsim edita in commodum studiosorum omniumque qui versionem exactam, claram et nitidam Novi Testamenti habere volunt.

III.

**Paroissial des fidèles.** Manuel complet pour tous. *(Bibliothèque de la Vraie et solide Piété).* — Un vol. pag. 1250. - Desclée, Lefebvre et C., Romae. - Lib. 2.

Hoc in parvo volumine gallice a cl. domo editrice Desclée. Lefebvre et C. pro Gallis concinnato manuale habetur omnino completum et copiosissimum; sat est eiusdem indicem inspicere.

Quaedam praecedunt *Praeliminaria* de hierarchia, cultu et Ecclesiae rubricis. Dein post Exercitia vitae christianae (Preces, Missa, Sacramenta et devotiones cuiuscumque generis) sequitur *Parochianus* cum proprio de tempore, Communi et Proprio Sanctorum nec non Missis Votivis per annum occurrentibus. Quibusdam in partibus cum textu latino habetur etiam versio accurata et quandoque ad epistolas et evangelia breves apponuntur dilucidationes fidelibus omnino accommodatae. Liber explicit cum indice facili et completo.

Suis fidelibus consulant parochi hoc pretiosum manuale.

---

IV.

**Acta Leonis Papae XIII.** Allocutiones, epistolae, constitutiones aliaque acta praecipua (1897-1900). In-8° pag. IV-536. Volumen septimum. - Desclée, Lefebvre e C. - Anno 1906. - Lib. 3.50 in broché; 6.00 in charta wathmann.

Est apprime commendabile propositum cl. Domus librariae Desclée, Lefebvre et C. edendi acta praecipua immortalis Pontificis Leonis XIII. Habetur quidem horum actorum collectio, nempe Vaticana, sed haec perpulchra editio parum videtur oeconomica. Editio e contra cl. Desclée et C. parvo comparatur pretio et plurima continet documenta et acta.

Quaenam utilitas ex hoc copiosissimo complexu consiliorum, exhortationum, decretorum nuper defuncti Pontificis!

Nocturna versate manu, versate diuturna opera tam pretiosa tamque utilia, vos omnes ecclesiastici viri studiosique iuvenes

---

V.

CELLINI ADOLFO. — **Gli ultimi capi del tetramorfo e la critica razionalistica,** cioè l'armonia dei quattro evangeli nei racconti della Risurrezione, delle Apparizioni e dell'Ascensione di N. S. Gesù Cristo, in-8, di pag. XIV-320. — Roma, F. Pustet, L. 3.50.

Auctor huius operis, haud multis abhinc mensibus, aliud publici juris fecerat volumen, in quo perarduam illam quaestionem

de Domini reditu, uti vocant, excatologico (1) feliciter prorsus ex verbis ipsius Christi solvere aggressus est. Quod opus universa respublica litteraria, benignissimo plausu, nobilissimis testantibus ephemeridibus, excepit.

Eodem prorsus fato dignum existimamus ipsius cl. C. quem expendimus librum, qui quidem latiorem sibi assumit rem, dum singula fere omnia quae dogmatis christiani inimici, contra haec fundamenta apostolicae praedicationis (cfr. I, Cor. XV, 14), summa cum pervicacia effutiunt, fideli omnino sermone refert, at etiam efficacissimis argumentis solidisque rationibus perstringit ac redarguit. - In quo exsolvendo labore, plurima, hucusque omnino inexplorata occurrunt, dum nova veteraque Auctor de bono thesauro suo profert, quae pretium operis augent, et non modo, omni ratione excultum, sed acutum quoque scriptorem commendant.

Ita, ut in tanta rerum ubertate, quaedam seligamus exempla, admodum admirati sumus rationem qua pag. 83 sq. sex antilogiae ab Straussio exquisitas in enarratione Resurrectionis exsolvuntur: item, quae de vacuo sepulcro Auctor fuse disserit (pg. 208-227) quaeque de nube Christum intercipiente concise innuit (269-275) nova sunt, eaque vere aurea ac optime inventa.

Ex quibus jam conficitur nulli clericorum jam licere opus hoc cl. Cellini ignorasse, nec ipsis scilicet discipulis qui eximium hoc exemplar artis criticae et apologeticae, perquam utiliter prae manibus habebunt, ac nonnisi cum summo christianae religionis bono imitabuntur.

---

## VI.

SEGRETO (Can. Nunzio). — **Il clero,** come è e come dovrebbe essere, ovvero come s'inizia s'istruisce e si educa alla missione del Sacerdozio - Difetti e rimedi, in-8 gr., pag. XVI-312. — Roma, Pustet, L. 4.

SS. D. N. Pius Pp. X opus hoc, qua est benignitate suscipiens et cl. Auctori manu propria rescribens, de eo tamquam de praecellenti, notabili atque opportuno (importante) locutus est. Quae laus eidem operi optimo jure debetur, nedum quia graves agit cl. Auctor quaestiones ex quibus haud minimum pendet optatissima illa omnium instauratio in Christo, sed praesertim quia tanti momenti res practice ac summa cum alacritate ex usu et experientia pertractat; multa etiam suggerens R.mis Italiae Antistitibus quae nonnisi ad optimum finem pertingent.

(1) A. C. — Saggio storico-critico di esegesi biblica sulla interpretazione del sermone escatologico. — Roma, Pustet, L. 2.50.

Summa rerum haec est in prima parte (il Clero come è) paucis verbis graphice plurimos hodiernae clericorum institutionis defectus ac infelices persaepe exitus depingit ac sub oculis ponit. In altera ex iis quae vitanda sunt, obtinenda seu *desiderata* uti vocant, depromit, quae ad haec redeunt ut scl. alumni sacrorum nonnisi ex accurato delectu sint, atque omnes similiori quo fieri poterit ratione ubique instituantur. Ad quae in tertia parte plurima media suggerit, ex quibus quaedam peculiari studio adhuc subjiciantur oportet, ut v. g. *educandatuum* ad probationem clericorum, in dioecesibus *Inspectionum* in provinciis institutio, plura tamen obviis ulnis jam accipienda censemus, nempe fere omnia quae de ratione studiorum ac disciplinae ad unam formam redigenda disseruntur, deque peculiari vigilantia in novos sacerdotes adhibenda.

Ad modum appendicis universa traditur regularum ac normarum supellex, qua Pont. Seminarium Romanum, eiusque Scholae cura sapientissimorum Pontificum reguntur, quae omnes adamussim - magnum quippe elogium - cum placitis cl. Auctoris concinunt.

VII.

Ven. BARTOLOMEO DAL MONTE. — **Gesù al cuore del Sacerdote.** — Considerazioni ecclesiastiche per ciascun giorno del mese - Nuova edizione riveduta e corretta con prefazione dell'E.mo Card. DOMENICO SVAMPA, Arcivescovo di Bologna, in-24, pagine IV-208. — Roma, tip. Vaticana (libreria Pustet). L. 0.70.

Parvam quidem mole sed plane vereque auream opellam per doctus atque pientissimus Cardinalis evulgandam curavit. In qua scilicet post graves ac sanctissimos « monitus ad ordinandos » (p. 3-29) nulla oblivione e mente delendos, nulla non cura practermissa ad apicem servandos, per XXXI meditationes, quas singulas excipiunt E.mi Editoris practica consilia seu « fructus », efficacissimae quaeque christianae ac pastoralis asceseos veritates, tam suavi ac forti ratione proponuntur ut plane in iis reluceat ven. Auctoris ingenium simplex ac candidum cor zelo flagrans, mens coelestibus charismatibus illustrata; nec putamus esse sacerdotem, quem, v. g. XXVII de amore proximi, XXIX de humilitate, XXXI de paradiso attente perlegentem, non subeant verba discipulorum quibus loquutus erat Domine: Nonne ardens erat cor nostrum? - Quibus gemmis, auro pretiosioribus, et alia subintexta invenimus eximia documenta nempe practica ecclesiastici conscientiae discussionem nostris temporibus perquam congruam, monita ad Confessarios ex S. Caroli monitis, documenta ad sacerdotes, caeremoniarum Missae conspectum.

« Faxit Deus ut opella haec, prout eius est meritum, quam maxime divulgetur, ita ut omnibus ecclesiasticis illum inspiret sacri zeli ignem quo flagrabat ven. Auctor, quo omnis fere paginae libri huius concalescunt! ».

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Bainvel I. V.** — *La Dévotion au Sacré-Cœur de Jésus.* Doctrine - Histoire. Vol. in-12, 374 pag. . . . . . . . . L. 3.50

**Ballerini Prof. Giuseppe.** — *Breve Apologia* pei giovani studenti contro gl'increduli dei nostri giorni. Vol. in-8, 382 pag. . . L. 2.50

**Bonaccorsi P. Gius., M. S. C.** — *Letture scelte dal Nuovo Testamento.* Testo greco, versione, comento; con due carte geografiche a colori. Volume in-8, 422 pag. . . . . . . . . L. 3.50

**Brunetière Ferd.** — *Saint Vincent de Lérins.* — Vol. de la Bibliothèque « La Pensée Chrétienne », in-12, XCVIII-142 pag. . . L. 3.50

**Chevalier Chan. Ulysse.** — *Notre-Dame de Lorette.* Etude historique sur l'authenticité de la Santa Casa. Vol. in-8, 520 pag. . L. 8 —

**Colantuoni P. Raffaele.** — *La Filosofia del 2 Novembre e l'immortalità dell'anima.* Il Cantico Prestantissimo. Vol. in-8, 122 pag. L. 1.50

— *La Filosofia della vita e la Morale contemporanea.* Vol. in-8, 154 pag. L. 2 —

**Gibbons Card. Giacomo.** — *La Fede dei nostri padri.* Versione italiana del P. A. Zacchi, O. P., eseguita sulla 58ª edizione inglese. Vol. in-12, 452 pag. . . . . . . . . L. 3 —

**Guy Thorne.** — *Dans les ténèbres.* Histoire d'une grande conspiration. Seule édition française autorisée. Illustrations de Whithelaw. Vol. in-12, 346 pag. . . . . . . . . L. 3.50

**Martin Abbé J.** — *L'Apologétique traditionnelle.* Troisième partie: *Le Dix-septième siècle.* Vol. in-12, 270 pag. . . . . . L. 2.50

**Melata Sac. Benedictus.** — I. *De Erectione confraternitatum in Monialium Monasteriis.* — II. *De jure Parochorum quoad missam funeralem.* — Ex Bibliotheca Romanae Ephemeridis « Analecta Ecclesiastica ». N. 24. Fasc. in-8, 38 pag. . . . . . . . . L. 1.50

**Murri Sac. Romolo.** — *La vita religiosa nel Cristianesimo.* Discorsi tenuti nella chiesa di Santa Maria in Ancona, durante il maggio 1905. Vol. in-8, 316 pag. . . . . . . . . L. 3.50

**Parkinson H., S. T. D.** — *Refectio Spiritualis,* alumno clerico meditanti proposita. — Vol. I. De perfectione sacerdotali - De vita Salvatoris deque SS. Corde Jesu. In-18, 592 pag. — Vol. II. De liturgico anno - De Sanctis Dei - De Singulis Ordinibus. In-18, 572 pag. Pretium totius operis . . . . . . . . . . L. 5 —

**Planus Can.** — *Virtù Sacerdotali.* Unica versione autorizzata dalla quinta edizione francese per cura del Sac. Dall'Armellina Giovanni, con prefazione del Sac. Tomaso Tomasi. Vol. in-8, 372 pag. L. 8 —

**Poletto Mons. Giacomo.** — *Religione, Morale e Politica* nelle opere di Dante. Scritti vari. Volume LIII della « Biblioteca del Clero ». In-8, 534 pag. . . . . . . . . . . L. 5 —

**Tarani D. F.** — *Nel Mondo della Redenzione.* Discorsi e panegirici. Volume in-12, 282 pag. . . . . . . . . L. 3 —

# ACTA PONTIFICIA

## I. — MOTU PROPRIO

**Quo facultas Iuris canonici in Patriarchali Seminario Venetiarum canonice erigitur cum potestate academicos gradus conferendi.**

PIUS PP. X.

Summo sane afficimur gaudio quod in Patriarchali Seminario Venetiarum Iuris canonici Schola, cuius Nos ultro primi fundamenta iecimus, eos processus effecit, ut, Deo praesente, omnes omnino numeros continere videatur. Cum igitur ex iis quae ad amplificandam eius dignitatem, auctoritatem, gratiam valerent nihil, amplius desideraretur, illud nimirum reliquum est, ut huic operi, in cuius Nos inceptionem omnem curam studiumque Nostra sponte et voluntate contulimus, extremam manum imponamus, illam videlicet altissimo quo digna est, honoris gradu, quod Nobis iampridem in maximis optatis est, cumulando. Quam ob rem, quo magis in Veneta regione, quam in primis amamus caramque habemus, Iuris canonici Institutum vigeat ac floreat ad adolescentes, praesertim clericos, diffusius interiusque in iis studiis instituendos atque imbuendos, quibus non solum ad sancta Ecclesiae Summique Pontificis iura tuenda et contra obtrectatores propugnanda quam optime utantur, verum etiam perfecte planeque sentiant ac videant quae via ac ratio tenenda in variis gravibusque sacerdotii muneribus sustinendis, ubi primum singulari Dei beneficio ad Summum Pontificatum elati sumus, nihil antiquius habuimus, quam ut ipsam Iuris canonici Disciplinam sive Facultatem privilegio gradus academicos deferendi augeremus. Itaque et aventes Nos quidem summam ac singularem amoris testificationem ipsi Disciplinae, quae quasi filia Nobis sit praebere, atque ita ut quam maxima amplitudo splendorque eidem accedat, et confisi fore, ut hoc beneficium vehementissimum sit incitamentum cum magistris in tradendo, tum discipulis in discendo, hoc Nostro Motu proprio certaque scientia, audito S. Consilio studiis regundis, Disciplinam sive Facultatem Iuris canonici apud Patriarchale Seminarium Venetiarum canonice fundamus atque extruimus, Iidemque volumus et decernimus ut posthac eadem Disciplina uti et frui valeat potestate tres academicos gradus, Baccalaureatum, Licentiam ipsamque Doctoris Lauream ad nutum Apostolicae Sedis iis deferendi qui eius curriculum rite peregerint cum omnibus et singulis iuribus ac privilegiis quae insunt in academicis gradibus, qui ab Archigymnasiis sive Studiorum Universitatibus deferuntur. Cum vero Nostra per-

magni intersit et ad exoptatissimos fructus capiendos, ut bene constituta sit, auctoritate Nostra Apostolica praescribimus ut hisce legibus sive Constitutionibus quam religiosissime servandis ipsa Disciplina communiatur (1). Ita volumus atque iubemus. Contrariis quibuscumque minime obstantibus, licet mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum XIV Kal. Dec. a. MDCCCCV. Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

---

## II. — EPISTOLA

**Pii X ad Conventum Adiutorum Sodalitatis Salesianae: coetum laudat atque ut ad maiora contendat hortatur.**

DILECTO FILIO PRAESIDI CONVENTUS GENERALIS ADIUTORUM SODALITATIS SALESIANAE. — MEDIOLANUM.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUOTQUOT ex universis terrarum oris illustri censentur nomine Adiutorum rei Salesianae, valde equidem grate novimus conventum Mediolani esse acturos, de provehenda tum piae Sodalitatis tum sacri civilisque cultus opera sollicitos. Quam multis et quam libenter eiusmodi congressiones complectamur votis, admonet sane vos superiorum coetuum memoria, perspicueque declarat sive Nostra in Salesianos non intermissa unquam voluntas, sive earum enarratio rerum, de quibus conferre in coetu consilia praescripsistis. Etenim significata Nobis argumenta conventus gravitate praestare omnia et communi commendari gratia reperimus; ut ecce conferendas in iuventutis commodum curas, sive litteris addicta illa sit, sive incumbat labori; impertienda populo, tum ad corpus tum ad animum sublevandum, auxilia; comparanda iis, qui e patria migrarint, omne genus adiumenta; suppeditandum demum ethnicis fidei catholicae atque adeo humanitatis lumen. Quod coetus studia in hisce collocare constitutum sit, magnopere gratulamur, laudemque auctoribus damus quum quia utilia Sodalitio parant, tum quia opportuna et congruentia tempori spectant. Quamobrem summo eventus uberrimi desiderio congressionem prosequimur, nihilque interea dubitamus. quin frequentia Sodalium et alacritas expectationi Nostrae respondeant. Quae autem consulenda vobis aut providenda in congressu erunt, iis benignitas Dei propitia et volens adspiret, donetque

(1) Sequuntur 27 articuli regimen studiorum et Facultatis respicientes.

abunde munera coelestia. Horum vero auspex Nostrique animi testis Apostolica benedictio sit quam tibi atque e coetu singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Maii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

---

## III. — EPISTOLA

**Ad Praesidem Conventus Catholicorum in Germania Essendiae habendi.**

Dilecto Filio Francisco Laaerman, Doctori, Praesidi coetus conventui catholicorum Germaniae Essediensi in Urbe apparando. — Essediam.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Legimus laeto cum animo, quibus ipse et collegae tui cum voluntatum sensibus instatis Congressui catholicorum Germaniae, Essendiensi in urbe, apparando. Et quoniam de rerum exitu coniicere fere licet e primordiis, spem minime levem e tua collegarumque fide et sollertia concipimus, futurum ut memorandis ceteris catholicorum Germaniae congressionibus, quum gravitate, dignitate numeroque sodalium, tum consiliorum efficacitate ac vi, iste etiam, qui proxime est habendus, Essendiensis conventus par exsistat. Filios e Germania Nostros ad eam scimus constantiam fortitudinemque fidei esse informatos, progrediens bonum debere per eos Religioni gigni non ambigimus. Progressionem enim indicant perpetuam celebrati per vos adhuc coetus, annos amplius quinquaginta; quo quidem satis longo tempore docuit Germania nationes, oportere catholicos non tam verbis, quam actione decertare, strenueque pro Ecclesia qui contendant, summa etiam comparare rei publicae bona. Itaque sive vestrorum recordatione patrum, sive ipsa cuiusque vestrum virtute, splendidam de vobis ac de cogendo coetu fovere expectationem iubemur, exemplumque idcirco debere a vobis in universas proficisci gentes confidimus, unde christiana fides, sicuti languescat in orbe aut iaceat, quod quidem dolentissime conspicimus, excitata reviviscat. Placet autem delectam congressui sedem urbem Essendiam fuisse, quae nomen prae se fert duplici clarum incremento, id est vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Ea porro civitas, si tantum ad fluxas caducasque res valuit, quas tamen ominamur ei sine intervallo laetabiles, aeque certo multum ad animorum tuenda et amplificanda non caduca

bona valebit, quod quidem propositum congressioni est. Quamobrem fervida pro concordi utilique conventus disceptatione vota nuncupamus, illudque conventuris edicimus, sic iis esse pro ubertate eventus enitendum, quasi novam Essendia gloriam ex eorum studio desideret. — Auspicem caelestium gratiarum, Nostraeque benevolentiae pignus, tibi Collegisque tuis, iisque universis, qui ad participandos congressus labores confluent, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II. Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

---

## IV. — MOTU PROPRIO

**Quo Decanatus ac Collegiata S. Michaelis in Foro adnexumque Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiiciuntur.**

PIUS PP. X.

PROPOSITUM urgentes, quod in suscipiendo Pontificatu maximo inivimus, instaurandi omnia in Christo, animadvertimus in Lucana ecclesia rem esse, de qua diligenter per Nos provideri oporteat, ut ipsius utilitati ecclesiae consulatur. Decanatum dicimus Sancti Michaëlis in Foro, decessorum Nostrorum auctoritate, de Archiepiscopi iurisdictione exemptum, proprioque iure administratum, cuius Decano, tamquam Ordinario, illud canonicorum Collegium et adiunctum Seminarium clericorum paret. Huiusmodi quidem exemptio quare induceretur olim, idoneas fuisse causas, certo scimus: sed cogitatio Nos incommodorum movet, quae nec pauca nec exigua inde sunt anteacto tempore profecta; quaeque si in praesens, divino beneficio, sunt nulla, sane tamen est periculum, ne vel graviora in posterum, quam antehac, exsistant. Multo igitur satius esse videtur tamquam in possessionem suam ius commune restitui; nam redintegrata gubernationis unitate totius dioecesis, multa sunt salutaria secutura, hoc nominatim, ut eisdem praeceptis institutisque conformati administri sacrorum, facilius inter se retineant eam, quae opus est ad sancti muneris officia rite utiliterque obeunda, concordiam. Quare, nihil equidem detrahentes de Collegiatae ecclesiae dignitate, nihil de honorum insignibus et privilegiis canonicorum, Nos motu proprio autonomiam, qua Decanatus Sancti Michaëlis in Foro usque adhuc utebatur, abolemus; eamque Collegiatam ecclesiam, Capitulum, Decanum, adiectamque Decanatui scholam seu Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiicimus. Praeterea, quod totius dioecesis utilitas vehementer exigit, eandem Scholam

seu Seminarium Seminario archiepiscopali in omnibus iuris et oeconomiae rationibus, quae ad gubernationem administrationemque spectant, perpetuo coniugimus. Quotquot igitur sunt, qui cuiusvis generis bona eidem Scholae sive Seminario Sancti Michaëlis legata assignatave, fiduciae titulo, possident, universos et singulos, sub poenis in iure canonico statutis, admonitos volumus, ea omnia bona tradant Archiepiscopo; cui Nos eisdem bonis utendi in commodum singularis Seminarii dioecesani potestatem facimus: remota quavis exceptione aut praetextu, abrogatis etiam deletisque consuetudinibus contrariis, nec obstantibus concessionibus aut decretis decessorum Nostrorum, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die v Augusti anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

---

## V. — EPISTOLA

**Venerabili Fratri Floriano, Archiepiscopo Gnensensi et Posnaniensi.**

PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod Te ac fideles Tibi creditos angustiae Nostrae moveant, id profecto amoris est argumentum, quo Beati Petri Cathedram prosequimini. Quam ob rem si grato animo excepimus petrianam stipem, quam large submisisti, at longe gratiori testimonium caritatis, quod illa exhibebat. Vobis autem, ut gratiam pro merito habeamus, Deum in omnibus exoptamus propitium, qui pios in patrem filios nunquam esse sine praemio patitur. Libet autem, Venerabilis Frater, hac uti opportunitate, ut Tibi impensissime gratulemur de singulari studio quo dioeceses istas in exemplum moderaris. Fortunet Deus amplissime labores tuos detque Tibi fidei constantiam sanctitatemque morum in grege tuo semper magis provehere. Non dubitamus equidem, quod semper accidit, quominus in episcopali munere exercendo difficultatibus premaris. At studium tuum nihil inde minuatur, illud prae oculis constanter habens, quod sibi Apostolus proponebat: Omnia possum in eo, qui me confortat. Soletur te etiam et confirmet Vicarii Christi caritas, cuius pignus, simulque caelestium munerum, sit apostolica benedictio, quam Tibi et gregi tuo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII. Augusti Anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

# SECRETARIA BREVIUM

## BREVE

**Quo nova privilegia adduntur Associationi precum Deiparae Perdolenti in Ecclesia S. Marcelli de Urbe existenti, eidem facultatas conceditur alias eiusdem nominis ac instituti Consociationes aggregandi.**

PIVS PAPA X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilectus filius Iosephus Angelucci, Sacerdos Ordinis Servorum B. M. V. et parochus ad S. Marcelli de Urbe, retulit ad Nos in suo templo curiali piam Associationem precum ad Virginem Perdolentem canonice erectam nonnullis abhinc annis extare, ad finem provehendi unionem omnium Ecclesiarum Christianarum in Orbe Ecclesiae Catholicae Romanae; eamque pluribus indulgentiis ac spiritualibus gratiis a Decessore Nostro Leone PP. XIII ven. me. fuisse auctam. Nunc autem cum idem Sacerdos parochus enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut eidem Societati nova addere privilegia de Ap.lica benignitate dignaremur: Nos ut tam frugifera Societas potiora capiat, Deo favente, incrementa, votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Ap.lorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus dictam in Societatem collectis vel in posterum inscribendis, qui per solidum mensem quotidie precem piae Associationis propriam contrito saltem corde recitent, unoque mensis ipsius die, ad cuiusque lubitum eligendo, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti propriam societatis Ecclesiam supradictam curialem visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam: praeterea cum singulis annis ipsa in Ecclesia S. Marcelli de Urbe Dominica in Albis ac tribus diebus continuis immediate praecedentibus piae ad impetrandam coelestem opem haberi soleant supplicationes, sodalibus Consociationis ipsius nunc et in posterum pariter existentibus, qui hisce supplicibus precibus singulis tribus diebus intersint, et vel Dominica in Albis, vel uno e tribus dictis diebus ad cuiusque lubitum eligendo, admissorum pariter confessione expiati ac coelestibus epulis refecti, Ecclesiam ipsam, ut supe-

rius dictum est, orantes visitent, quo ex hinc die id agant, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in D.no concedimus. Tandem iisdem Sociis quo die memoratis supplicationibus contrito saltem corde intersint, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas expungimus. Porro largimur Sodalibus iisdem, si malint, liceat plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vitae labes poenasque expiare. Praeterea cum sicut memoratus Sacerdos Parochus curavit exponendum Nobis, plures tum in Italiae cum in externis regionibus eiusdem nominis atque instituti Consociationes canonice erigantur, quarum Moderatores huic ad S. Marcelli de Urbe institutae aggregationem efflagitant; Nos de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut Moderator pro tempore existens piae Associationis precum Deiparae Perdolenti in Ecclesia parochiali S. Marcelli de Urbe canonice erectae, Societates alias omnes canonice institutas, sive in posterum in universo terrarum orbe instituendas, tum eiusdem tituli, cum quae ad finem eundem intendant, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri ven. me. aliisque Apostolicis Ordinibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi urbanae Societati a Nobis et a Sede Ap.lica concessas et aliis communicabiles communicare licite possit ac valeat. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibita vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI Iulii MCMVI Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro D.no Card. MACCHI

N. MARINI *Subst.*

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO S. OFFICI

### I. — EPISTOLA

**In Hispania presbyteri saeculares sexagenarii uti possunt carnibus feria II et III Maioris Hebdomadae sicut fideles laici.**

Romae ex aedibus S. Officii, diei 31 Martii 1906.

*Eme ac Rme Domine mi Observantissime,*

LITTERIS datis die 15 Ianuarii anni currentis, Rmus istius ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, ut consultationibus sibi factis ex diversis Hispaniae provinciis faceret satis, sequentes quaesitus Emo Domino Cardinali Poenitentiario Maiori proponebat:

I. Utrum in Hispania presbyteri saeculares sexagenarii, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus possint feria secunda et tertia Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici?

II. Et quatenus negative: utrum illos oporteat generali dispensatione ad huiusmodi usum communire?

Re ad supremam hanc Congregationem S. Officii delata et in generali conventu habito feria IV die 28 curr. mensis mature discussa:

Ad I. Emi ac Emi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative.*

Ad II. vero SSmus D. N. in solita audientia R. P. M. Adsessori impertita, eorumdem Eminentissimorum Patrum voto inhaerens, benigne declarare dignatus est presbyteros saeculares sexagenarios in Hispania, vi Bullae Cruciatae et indulti pro carnibus vescendis, praecisione facta ab eorum maiori vel minori robore vel infirmitate, uti carnibus posse feriis II et III Maioris Hebdomadae, sicut fideles laici.

Quod dum ad Eminentiae Tuae notitiam, ut mei muneris est, deferre propero, impensos altissimae aestimationis meae sensus testatos volo tibi, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae

Hmus et Addmus verus famulus
S. Card. VANNUTELLI.

*Emo ac Rmo Domino*
*D. Card. Sancha y Hervas, Arch. Toletano.*

## DECRETUM

### II. — De Jeiunii et abstinentiae lege in Italia reformanda.

*Feria IV die 5 Septembris 1906.*

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiae legis jeiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt, ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu a bito feria IV, die 5 currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt:

1. — In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprenhensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ***jeiunium, seu lex unicae per diem refectionis***, servandum erit:

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum;

Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae. Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus jeiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2. — Praeter jeiunium, in cuntis (ut supra) Italiae regionibus servanda etiam erit ***lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem,*** lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

Feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V., et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3. — Prima vero die quadragesimalis jeiunii;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

Vigiliis: S. Ioseph Sponsi B. M. V., Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam

incidat; Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit: ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4. — Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione jeiunii et, consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5. — Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus jeiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia, vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum jeiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6. — Jeiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut jeiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7. — Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii, ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori huius Sacrae Supremae Congregationis impertita haec omnia et singula Sibi relata Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

Petrus Palombelli
*S. R. U. I. Notarius.*

# S. CONGREGATIO CONCILII

1°

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 28 Iulii 1906.**

*Per summaria precum:*

1828
5

I. — RAVENNATEN. — NOMINATIONIS CAEREMONIARII.
R. « *Non proposita* ».

1830
5

II. — TIBURTINA. — ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS.

Tiburtina civitas in septem dispescitur paroecias, quarum una est ipsa Cathedralis, in qua adest unicus fons baptismalis. Huc accedunt parochi aliarum sex paroeciarum ad administrandum baptismum sive per se, sive per alium sacerdotem, sibi integris relictis incertis baptismorum, et unus tantum liber baptizatorum asservatur in Cathedrali. In hoc singuli parochi baptismata adnotant suorum filianorum, sed attestationes suscepti baptismi a Capitulo Cathedrali relinquuntur, quod emolumenta harum attestationum percipit.

Rebus sic stantibus, sex parochi ab H. S. C. per supplicem libellum expostularunt, ut sibi indulgeretur gratia in sua quaque ecclesia paroeciali erigendi baptismalem fontem, sicut iam nuper concessum fuit duabus paroeciis in Caietana dioecesi.

Tiburtinus Episcopus preces parochorum commendat, sed his acriter sese opponit Capitulum Cathedrale, quod primum substinet in casu invocari non posse concessionem in dioecesi Caietana factam, cum ibi de ecclesia paroeciali agebatur, quae ius exclusivum sibi vindicabat fontis, dum in casu ecclesia, quae sibi eiusmodi ius vindicare satagit, est ipsa Cathedralis Ecclesia, cui, sicut in iure compertum est, ex iure matricitatis ab antiquo ius competit fontis baptismalis.

Hoc fusius demonstrato, contendunt Capitulares duo absolute requiri pro facienda concessione erectionis novi fontis baptismalis, nempe 1° ut absit laesio iuris alterius; 2° ut extet gravis necessitas. Ostendunt vero haec in themate exulare, nam apertissima est laesio iuris ecclesiae Cathedralis per erectionem fontis in aliis paroecialibus ecclesiis; et necessitas invocari nequit, nam, quamvis

incolarum numerus creverit, hi tamen idem territorium ferme occupant quod prius, cum ampliores fabricae excitatae sint ferme omnes intra antiqua moenia, et viarum accessus admodum commodior effectus sit.

Advertunt insuper parochos, si interdum ab aliis detineantur occupationibus vel incommodo sibi sit ad Cathedralem accedere pro baptismo conferendo, delegare posse ad baptismata administranda sive vice parochos, sive beneficiatum sacristam, pro quo satis esset parochos de communi consensu aequam compensationem statuere; quare concludunt contra parochorum petitionem.

Ex adverso parochi in suis allegationibus in primis contendunt petitam erectionem in suis Ecclesiis concedendam esse, quia id a iure communi favetur, utpote demonstrant, sive adducentes doctorum auctoritatem, sive huius S. C. plures conformes resolutiones.

Secundo necessitatem petitae erectionis deducunt quoque ex variis inconvenientibus, quae ex unicitate fontis in ecclesia Cathedrali profluunt, utpote ex distantia huius Ecclesiae ab aliis paroeciis, ex accessus difficultate, et ipso loco seu situ in quo invenitur fons baptismalis, loco nempe maxime humido ac ventoso, unde non raro parentes puerulorum vitae maxime solliciti ad plures menses baptismi collationem differunt. Animadvertunt parochi vigentem praxim in maximum vergere detrimentum paroecialis ministerii, praesertim ob auctum incolarum numerum, ac non minoris ponderis inconveniens profluere ex unico libro baptismali, qui a Capitulo detinetur.

Tertium probant imploratam erectionem in votis esse tum Episcopi tum totius populi Tiburtini, et demum evertere conantur difficultates seu argumenta, quae ex adverso afferri possunt.

Hisce omnibus sedulo matureque perpensis, Emi Patres preces parochorum benigne excipientes, responderunt:

« *Pro gratia erectionis fontis baptismalis in unaquaque paroecia iuxta petita, firmo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate, facto verbo cum SSmo et ad mentem* ».

---

5157
5

### III. — NICOSIEN. — REDUCTIONIS CANONIS.

R. « *Dilata et ad mentem* ».

---

*In folio:*

1113/5

I. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

R. « *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

II. — VARSAVIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

5156/5

III. — IMOLEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

Ioseph Sangiorgi, vivente legitima uxore, adulterinam fovit consuetudinem cum Virginia Savini a promissione futuri inter se matrimonii contrahendi non seiunctam. Tamen, legitima defuncta uxore, ipse nulla peracta conciliari publicatione, neque nulla petita dispensatione a duplici impedimento criminis et affinitatis ex copula illicita, religiosum inivit matrimonium cum Dominica Savini sorore suae amasiae. Videtur paucissimos dies perdurasse inter novos coniuges vitam coniugalem, nam octo vel decem elapsis diebus ab initis nuptiis vir uxorem reliquit, et deinde civiliter contraxit cum antiqua amasia Virginia sorore Dominicae cum qua, ut diximus, coram Ecclesia contraxerat.

Anno vero 1894 vir, ab hac anormali imo immorali rerum conditione egredi cupiens, iudicium instauravit ante Curiam Imolensem ut nullum declararetur matrimonium quod cum Dominica contraxerat. Favorabili in dicta Curia obtenta sententia, quaestio proposita fuit in elapsis comitiis H. S. C. die 28 iulii elapsi.

Emi Patres, tum Consultoris voto, tum Defensoris vinculi allegationibus sueta prudentia perpensis, ad dubium:

« *An sententia Curiae Imolen. sit confirmanda vel infirmanda in casu* »,

respondere censuerunt:

« *Sententiam esse confirmandam et supplicandum SSmo pro opportunis dispensationibus ad effectum matrimonii in casu, praevia separatione Iosephi Sangiorgi a Virginia per aliquot dies, et reparato scandalo prudenti iudicio Episcopi* ».

IV. — NANCEYEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (sub secreto).

R. « Affirmative ».

V. — CALATAVERONEN. — REDDITIONIS RATIONUM (sub secreto).

R. « Ad 1um Negative ».
« Ad 2um Provisum in primo ».
« Ad 3um Acquiescant ».

---

## VI. — NEAPOLITANA. — IURISPATRONATUS.

BULLA « *Sincerae devotionis affectus* » diei 17 aprilis 1521 Leo X Hannibali de Januario cuiusdam Masotti filio ac canonico Primicerio Cathedralis Neapolitanae, qui suis bonis redditus ipsius Primiceriatus auxerat, iuspatronatus activum praefati beneficii concessit, quod « familiae de Januario, videlicet ex quodam Masotto de Januario, a quo Hannibal descendit, descendentibus et in illius domo, in qua idem Hannibal inhabitat, pro tempore habitantibus..., tanquam non ex privilegio sed ex vera fundatione et dotatione competeret ».

Rebus pacifice processis usque ad an. 1839, hoc tempore contentiones exortae sunt inter quasdam familias descendentiam asserentes ab Hannibale, quae omnes iuspatronatus activum praetendentes, proprium nominarunt candidatum eumque Archiepiscopo Neapolitano praesentarunt; sed anno 1841 sententia huius Curiae, omnibus exclusis praetendentibus, iuspatronatus admisit tantum in marchionissa de Januario nupta marchioni de Auletta, addens, ipsa demortua, beneficium liberae evaderet collationis.

Anno 1867 in legibus italicis evertentibus assem ecclesiasticum praebenda quoque primicerialis comprehensa fuit, sed marchionissa de Januario cum suo viro Antonio Castriota Scanderberg de Auletta petiit et obtinuit redemptionem suppressi beneficii, soluta taxa 12000 libellarum, quas mutuo accepit. Tunc ut huic oneri satisfacerent per rescriptum S. Poenitentiariae obtinuerunt facultatem alienandi quandam portionem fundi Primicerialis « ex fundis dotalibus... quae sufficiens sit ad solvendum quod a Gubernio exigitur, exceptis expensis iudicialibus et cum onere redintegrandi dotem beneficii ex fructibus eiusdem, deponendo quotannis libellas 150 apud aedem sacram », usque ad dotis redintegrationem; quod vero una tantum vice peractum est. In-

terea ex familiis de Auletta et Cuomo de Januario, quae propriam sustinebat descendentiam a familia Masotto, controversia provocata fuit ante civile tribunal, quae, agitata ante iudicem primae instantiae, deinde apud Consilium Appellationis vulgo *Corte d'Appello*, et demum apud Supremum Consilium Cassationis, vulgo *Corte di Cassazione*, sententiam obtinuit,quae supradotationem Primiceriatus uti non suppressam habuit, ideoque nullam fuisse peractam redemptionem declaravit, familiarem indolem patronatus admisit et pronuntiavit etiam Comitem Cuomo ius habere ad idem iuspatronatus.

Rebus sic stantibus anno 1903, vacante primiceriali praebenda, Curia Metropolitana sui muneris esse duxit per publicum edictum omnes interesse habentes ad iuspatronatus exercendum invitare. Contra hanc dispositionem recursum habuit marchio de Auletta apud H. S. C., quae, cum nequiret in statu actorum iudicare, die 15 Junii 1904 rescripsit ut marchio de Auletta suum ius experiretur in prima instantia coram Curia Neapolitana, quae vero, peracto iudicio, die 18 Septembris 1905 sententiam tulit, cuius pars substantialis sequentis est tenoris;

2° « Perillustrem dominum Ioannem Castriota Scanderberg « marchionem de Auletta declaramus privationem iuris patrona« tus nequaquam incurrisse, ideoque iure praesentandi clericum ad « Primiceriatum Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae adhuc « frui.

3° « Cum sententia Curiae Neapolitanae die nona Iulii 1841 « lata naturam patronatus stricte et praecise agnatitiam aperte « atque explicite non definierit, iudicamus sententiam tribunalis « civilis appellationis de die 6-13 februarii 1899 a Supremo Col« legio die quinta Iunii confirmatam, praedictae sententiae R.mae « Curiae non contradicere. Propterea in praesenti rerum statu, « cum dictae sententiae Tribunalis appellationis civiles effectus « reiici nequeant, oportet ut admittantur ab auctoritate ecclesiastica « quin isthaec laicorum iudicum potestati subiiciatur. Et ideo « quoniam Princeps de Sirignano, Princeps de Castagneto et Co« mes Aloisius Cuomo de Gennaro comprehenduntur in familia « Masotta de Gennaro, uti iam ab ea descendere demonstrarunt, « decernimus ius habere idoneum clericum ad canonicatum pri« micerialem praesentandi ».

At ab huiusmodi Curiae Neapolitanae sententia, praecise vero quoad tertium articulum seu punctum, omnes contendentes in causa, nempe marchio de Auletta ex una parte, et comes Cuomo Princeps de Sirignano ac Princeps de Castagneto ex altera apud H. S. C. appellarunt, quare quaestio dirimenda proposita fuit in comitiis subsignata die celebratis, sub infrascripto concordato inter partes dubio:

« *An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae diei* 5 *Septembris* 1905 *sit confirmanda vel infirmanda super tertio articulo, in casu* ».

Prolixas patronorum utriusque partis allegationes referre omittimus, responsum E.morum Patrum tantum adnotantes, nempe:

« *Sententiam esse confirmandam* ».

---

2869
5

VIII. — DERTHONEN. — FINIUM PAROCHIALIUM.

In civitate Derthonensi extat quaedam domorum insula a SS. Trinitate nuncupata, eo quia maior aedificiorum pars efformabat antiquum ex-coenobium PP. Augustinianorum, vel ad illud pertinebat. Haec insula duobus viis inteclusa manet, nempe via S. Martiani in plaga occidentali, quae paroecialem Ecclesiam S. Iacobi prospicit, et via Aemilia ad meridiem, quae adversus habet ecclesiam paroecialem S. Matthaei: Fabricae ex-conventus iacentis ad viam S. Martiani in parte posteriori adhaeret quaedam domus, nunc possessa ab haeredibus Ambrosii Rossi et quae olim ad coenobitas Augustinianos spectabat: haec licet unum corpus efficiat, tamen ex parte alta et parte ima, seu duabus adnexis officinis efformatur, quae habent prospectum in Via Aemilia.

De hac domo in praesens quaestio exorta est, utrum nempe ea censeri debeat intra fines paroeciae S. Iacobi, vel potius iurisdictioni parochi S. Matthaei subiiciatur. Unusquisque parochus rem evincere conatur pro se, adducens acta, status animarum, fides mortuorum et baptizatorum nec non alia documenta. Lis, iam in Curia Derthonensi agitata, sententiam obtinuit die 30 martii elapsi anni 1905, cuius pars dispositiva ita se habet: « Pronunciamo doversi dichiarare come dichiariamo estendersi i confini della Parrocchia di S. Giacomo in Tortona fino alla casa Negro in via Emilia, e conseguentemente spettare alla giurisdizione della stessa parrocchia la casa ora degli eredi di Ambrogio Rossi ».

Cum ab hac sententia parochus S. Matthaei appellationem ad H. S. C. tempore utili interposuerit, quaestio in comitiis mensis Iulii proposita et agitata fuit. Haud diverso tamen fato! Nam Emi Patres omnibus sedulo matureque perpensis, ad dubium:

« *An sententia Curiae Episcopalis Derthonensis diei 31 Martii 1905 sit confirmanda vel infirmanda in casu* »

rescribendum censuerunt:

« *Sententiam esse confirmandam* ».

---

2°

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 15 Septembris 1906.**

*Per summaria precum:*

1941/5

I. — BERGOMEN. — IURISDICTIONIS PAROECIALIS.

In dioecesi Bergomensi duae adsunt conterminae paroeciae, quarum uni inest nomen *Almenno S. Bartolomeo,* et alteri nomen *Almenno SS. Salvatore;* harumque fines torrens signat interfluens, nuncupatus Tornago.

Nonnulla praedia, pertinentia ad dotem parochialis beneficii SS. Salvatoris, iacent trans torrentem, in territorio scilicet S. Bartholomaei.

In his praediis vero est ecclesia, quae dicata est S. Thomae Apostolo quaeque vulgo dicitur « *San Tomè* », et passim etiam vocatur: « *La rotonda di San Tomè* ». Haec ecclesia sive ob veteris basilicae formam, sive ob figuras affabre muro pictas, magni dicitur a peritis in arte, et censetur inter monumenta nationalia.

In praesens inter duos titulares harum paroeciarum quaestio est, cuinam ex ipsis iurisdictio super praefata capella sit tribuenda, scilicet an oratorium publicum S. Thomae sit sub dependentia praepositi parochi S. Bartholomaei, vel potius sub iurisdictione praepositi parochi SSmi Salvatoris.

Enunciata praedia cum dicto oratorio antiquitus pertinebat ad quandam monialium comunitatem, qua vero extincta, transiit ad efformandam dotem beneficii SSmi Salvatoris, cuius Praepositi autem annis 1709 et 1753 propriis sumptibus restauraverunt atque ornaverunt oratorium S. Thomae pluries ictu fulminis deformatum et vetustate fatiscens.

Praeterea expensae pro eiusdem oratorii manutentione semper erogatae fuerunt a Praepositis SSmi Salvatoris qui insuper claves retinuerunt.

Lites tamen inter duos parochos SS. Salvatoris nempe et S. Bartholomaei ab antiquis temporibus efferbuere circa usum et exercitium ss. functionum in dicto oratorio, quibus litibus vero etiam populus utriusque paroeciae partem sumere consuevit. Quare Curia dioecesana dispositione provisoria cavit, ut parochus S. Bartholomaei uteretur praefato oratorio pro explendis officiis paroecialibus aliisque ss. functionibus pro ruriculis circumstantibus, quoad usque quaestio a superiori auctoritate resoluta esset.

Hodiernus vero Episcopus in actis causae ad H. S. C. transmittendis haec refert:

Ad huic necessitati consulendum Episcopus praedecessor statuit, ut saltem quoadusque quaestio a superiori auctoritate dirimeretur, parochus S. Bartholomaei uti possit ecclesia S. Thomae salvis iuribus quae in ipsa competere possint parocho SS. Salvatoris. Addit autem convenire partes contendentes ecclesiam S. Thomae pertinere ad beneficium paroeciale SS. Salvatoris; certum esse oratorio S. Thomae pro circumstantibus incolis indigere parochum S. Bartholomaei, qui consequenter teneretur ad expensas solvendas pro cultu atque usu oratorii ipsius; convenien esse, quatenus ab usu oratorii damna exoriantur, ad ea reparanda concurrere teneri etiam Fabricam Almenni S. Bartholomaei, quod acceptant tum ipsa fabrica tum ipsa civilis Communitas Almenni S. Bartholomaei. Ergo, concludit Episcopus in suo voto, quaestio resolvenda est favore parochi S. Bartholomaei, salvo iure determinandi modum, quo in toto vel in parte minuatur ante civilem auctoritatem oeconomica praesertim responsabilitas parochi SS. Salvatoris.

Emi Patres voto Episcopi et allegationibus utriusque parochi mature perpensis, quaestionem dimiserunt decernentes:

« *Ad mentem iuxta votum Episcopi* ».

---

3019
5

## II. — ROMANA ET ALIARUM. — EXCARDINATIONIS ET S. ORDINATIONIS.

S. CONCILII Congregatio die 20 Iulii 1898 decretum edidit quo circa ordinationem laicorum et clericorum ex aliis dioecesibus provenientibus, qui frui nequeunt beneficio excardinationis, statuit *standum esse dispositionibus Const.* « *Speculatores* », iuxta quas dispositiones Episcopus nequit s. ordinationem conferre nisi iis qui sub eiusdem iurisdictionem cadant *vel ratione originis, vel ratione domicilii.* Ut vero quis subditus censeatur *ratione domicilii relate ad ordines suscipiendos,* statuit H. S. C. in citato decreto ut oportere saltem per congruum tempus moratus sit in loco, in quo ordinatio suscipienda est, et sub iuramento spondeat illic perpetuo remansurum esse.

Cum vero saepius contingat, ut in locis Missionum S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, Ordinarii iuvenes, laicos praesertim, acceptent ex aliis dioecesibus provenientes, *dummodo testimonialibus ac consensu respectivi ordinarii polleant,* eos inde mittentes, studiorum ss. ordinationumque causa, in exteris collegiis *quin antea proprium Episcopi acceptantis territorium petant,* ut devitentur ingentes expensae itinerum (quo fit ut domicilium in territorio Episcopi ordinantis non acquirant, defi-

:iente uno ex elementis necessariis ad domicilium acquirendum, nempe facto commorationis), ipsa S. C. de Propaganda Fide die 3 februarii 1899 preces Sanctitati Suae porrexit ad obtinendum, ut ex speciali indulto Ordinarii locorum missionum acceptare possint iuvenes laicos ex aliis provenientes dioecesibus, sub solo iuramento respectivae dioecesi vel Missioni in perpetuum inserviendi, antequam actu commorationis domicilium in ipsis acquirant, utpote ex peculiari indulto fit pro alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide. Eiusmodi petitionem SSmus ad H. S. C. Concilii remisit.

Interea die 24 februarii eiusdem anni 1899 Episcopus Ratisbonensis alteram praecedenti intime connexam quaestionem ad H. S. C. resolvendam movit:

« In Germania adhuc in usu erat ut sicuti clericis, ita etiam « laicis concederentur litterae dimissoriales, quibus ab una dioe« cesi dimittebantur, ut statim in aliam dioecesim in perpetuum « reciperentur, absque conditionibus in Constitutione *Speculatores* « praescriptis. Nunc quaeritur: 1) utrum eiusmodi litterae dimis« soriales, laicis concessae ante Decretum S. C. C. diei 20 Iulii 1898 « validae fuerint necne; et quatenus affirmative: 2) utrum etiam « post citatum Decretum eiusmodi litterae dimissoriales laicis « valide concedi possint ».

Porro dicta dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt in generalibus comitiis die 17 Iunii 1899 sub hisce dubitationis formulis:

I. *An attenta consuetudine, vir laicus qui cum litteris testimonialibus et de licentia proprii Episcopi apud alienum Episcopum eligit domicilium, statim, vi electionis domicilii iuramento confirmatae, ad Ordines promoveri possit in casu.*

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

Tamen variis de causis quaestio usque ad praesens insoluta mansit, sed nuperrime ex parte eiusdem S. C. de Propaganda fide novae instantiae factae sunt, ut res examini subiiceretur.

Simul vero Delegatus Apostolicus in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis a S. C. de Propaganda dubium definiri poscebat, quod ad eandem materiam pertinet. Litterae eius ab illa ad H. S. C. pro opportuna provisione transmissae, ita sonant: « S. C. Concilii die 20 Iulii 1898 decretum ferebat circa incardina« tionem et excardinationem clericorum, in quo (sub n. 2) sta« tuitur, *Incardinationem faciendam esse ab Episcopo, non* « *oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum.* In Con« cilio III Baltimorensi (A. D. 1884) sub n. 66 legitur: *Praescriptam* « *incardinationem haberi declaramus, si Episcopus, elapso trien*« *nio vel respectivo quinquennio probationis, actum adscriptionis* « *formalis emiserit.*

« Quaeritur an vi dicti Decreti Concilii, quod requirit incar-
« dinationem *in scriptis,* nullum sit citatum decretum Conci-
« Baltimorensis, quod admittit *incardinationem praesumptam*:
« et in casu affirmativo, an eadem lex vim habeat retroactivam
« ad casus quibus triennium vel quinquennium probationis, iuxta
« praefatum Con. Baltimorense (n. 62, 63), expletum sit ante pu-
« blicationem citati decreti S. C. Concilii ».

Tres quaestiones quoad propositorum dubiorum solutionem solvendas Emis Patribus subiectae fuerunt. Et circa primam, quoad nempe dubia proposita a Rmo Delegato Apostolico Washingtoniae quaesitum est:

1° *An dispositio Concilii Baltimorensis, quae admisit incardinationem praesumptam, abrogata fuerit ex decreto* A primis *20 Iulii 1898, quo statutum fuit, ut incardinatio in scriptis fiat.* Et quatenus *affirmative;*

2° *An haec abrogatio retrotrahenda sit ad casum quo aliquis clericus admissus in non propria dioecesi, ibi expleverit triennium vel quinquennium commorationis (quo praesumitur incardinatio) ante diem 20 Iulii 1898, scilicet ante decretum* A primis, *quo vetus disciplina mutata est.*

Alia vero est quaestio relate ad usum in Germania atque alibi inolitum concedendi excardinatorias litteras (seu, uti vocant dimissoriales) ipsis laicis, ad effectum, ut hi possint ordinari ab Episcopo benevolo receptore, tanquam proprio, non servatis regulis Constitutionis *Speculatores*, eodem modo ac cum clericis fieri coeptum erat. Et quoad hanc quaestionem quaesitum fuit:

1° *An haec consuetudo vim legis obtinere potuerit, seu praescribere contra ius commune, adeo ut Episcopi legitime inolitam praxim servare potuerint.*

2° *An decretum* A primis, *vi clausulae finalis superius citatae, has particulares consuetudines abrogaverit.*

3° *In quocumque casu* (et haec quaestio est practica) *utrum haec ratio obtinendi proprium Ordinarium ad effectum S. Ordinationis probanda sit, et quibusnam cautelis: uno verbo, utrum extendenda sit ad laicos norma pro clericis introducta, ad Episcopum ordinatorem facilius acquirendum.*

Tertio loco est quaestio principalissima, quam S. C. de Propaganda iam pridem diluendam postulaverat, et nunc denuo instabat ut definiretur. Porro ut punctum clarius lucesceret, casus practicus propositus fuit. Titius iuvenis laicus dioeceseos Westmonasteriensis in Anglia acceptatur ab Ordinario Sydneyensi in Australia subsequenter ad conventiones, quae per epistolas intercesserunt, exhibito consensu cum dimissorialibus litteris Archiepiscopi Westmonasteriensis. Ast Titius non proficiscitur ad dioecesim adoptionis, sed convenit cum Archiepiscopo Syd-

ieyensi, ut studia peragat in Lovaniensi Universitate: ibique durante studiorum curriculo, cum dimissoriis litteris Archiepiscopi Sydneyensis (qui illum retinet qua proprium subditum) ad sacros ordines gradatim promovetur, ac demum Sydneyum pergit sacerdos iam factus. Ut patet haec quaestio non parum differt a praecedenti. In praecedenti supponitur laicus, qui discessoriales obtinuit et Episcopum receptorem benevolum invenit, in eius dioecesim migrasse, et in eo domicilium canonicum incoepisse: heic vero non ita. Illic igitur minor iuris communis offensio, legis derogatio; heic maior. Illic supponitur Episcopum personaliter cognoscere et experiri hominem quem recepit; heic autem excluditur. Itaque casus ille ab hoc differt et species facti ac quaestio diversae sunt.

Hisce positis, allegationibus ex officio allatis sedulo perpensis, Emi Patres responderunt:

In prima quaestione: *Ad* I « *Affirmative* », ad II « *Negative* ».

In secunda quaestione: *Ad* I *et* II « *Providebitur in tertio* »; *ad* III « *Affirmative iuxta normas per decretum evulgandas, facto verbo cum SSmo* ».

In tertia quaestione: « *Provisum in praecedenti* ».

---

3972
5

III. – ROMANA ET ALIARUM. — DUBIORUM CIRCA SACRAM COMMUNIONEM.

Die 20 decembris 1905 SSmus D. N. Pius Pp. X, ex H. S. C. consulto decretum edidit *De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione* (1), quo « omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis ac conditione » summopere commendatur « Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Inibi praeterea sub n. 7 statuitur: « Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur..., quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altari inhiant servitio, item in aliis christianis omne genus ephebeis ».

Quin imo ut laudabilis ac valde Deo acceptus communionis quotidianae usus efficacius in die ubicumque propagetur, atque uberiores fructus edat, Sanctitas Sua nedum die 30 maii 1905 (2)

(1) Cf. *Acta Pontificia*, Vol. IV, pagg. 57-61.
(2) Cf. *Acta Pontificia*, Vol. III, pag. 189.

omnibus Christifidelibus, qui devote quandam recitaverint orationem pro pii usus quotidianae communionis propagatione, indulgentias tribuit, verum etiam per decretum *Urbis et Orbis* diei 14 Februarii 1906 (1) a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita datum, benigne elargitus est, ut per quotidianam Communionem lucrari possint omnes indulgentias absque onere confessionis hebdomadariae.

Quanto cum obsequio universim, et quam laetanter apud plures exceptae sint benignae S. Sedis dispositiones et declarationes hac de re, probant litterae quam plures Episcoporum ac Superiorum Ordinum religiosorum ad H. S. C. directae, nec non ephemerides non paucae quae de decreto diei 29 Decembris 1905 egerunt.

At una simul dubia et postulationes ad H. S. C. exhiberi coeperunt, inter quae duo potissimum peculiarem considerationem merentur, quae nempe respiciunt iuvenes nuper ad S. Mensam admissos et infirmos chronico morbo laborantes.

Sciendum est enim in pluribus dioecesibus usum hucusque fuisse quod pueri et puellae, ad primam Communionem semel admissi, prohibeantur de S. Synaxi cito iterum participare; imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe solemni functione primae Communionis.

Unde rogatus est SSmus D. N. ut dignaretur haec duo dubia resolvere:

1. — *Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderi ne debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem?*

2. — *Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale ieiunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur?*

Cum autem Sanctitas Sua huius negotii examen ad H. S. C. remiserit, quaestio, agitata in comitiis generalibus diei 15 Septembris mox elapsi, hoc obtinuit rescriptum:

Ad 1um « *Sacrae communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam iuxta normas in Catechismo Romano cap. 4, n. 63 semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari; reprobata praxi contraria alicubi vigente* ».

Ad 2um « *Iuxta mentem, facto verbo cum SSmo* ».

---

(1) Cf. *Acta Pontificia*, Vol. IV, pag. 148.

*In folio:*

I. – NAMURCEN. – NULLITATIS SEU DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. Ad $1^{um}$ « *Providebitur in secundo* ».

Ad $2^{um}$ « *Affirmative ad cautelam, et scribatur Episcopo iuxta mentem* ».

---

$\frac{264}{3}$

II. – PARISIEN. – LAUSANNIEN. – GENEVIEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII.

HAEC causa iam agitata fuit in generalibus comitiis diei 25 iunii 1904, et relata est in vol. II huius ephemeridis. Videant ergo lectores *Acta Pontificia*, vol. II, pag. 99.

Iterum proposita quaestio in comitiis elapsi mensis septembris sub rogandi formula:

« *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?* ».

Emi Patres respondendum censuerunt:

« *Consilium praestandum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato* ».

---

$\frac{2113}{5}$

III. – PARISIEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII.

R. « *Dilata, et roborentur probationes iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

---

IV. – VARSAVIEN. – MOHILOVIEN. – DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative* ».

---

V. – ACHERUNTINA ET ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI. – PAROECIALIS.

TERTIO proposita est in comitiis subsignata die habitis haec causa, quae semel et iterum agitata est inter Archiepiscopum Acheruntinum, mox defunctum, ex una parte et fratres franciscales minoritas ex altera, quoad naturam et pertinentiam paroeciae S. Mariae loci Banzi. Disceptata primum fuit in plenario conventu diei 26 Augusti superioris anni, et propositae tunc rogandi formulae « *an paroecia S. Mariae loci Banzi censenda sit*

***regularis, ita ut religiosi Ordinis Minorum S. Francisci redintegrandi sint in eius possessionem in casu*** » Emi Patres rescribere censuerunt « ***Ad mentem*** ».

Mens autem fuit, ut Archiepiscopus revocaret Regulares, eisque tribueret paroeciam loci Banzi. Hac cognita mente, Archiepiscopus per suum constitutum procuratorem imploravit beneficium novae audientiae, obtinuitque. Instaurato itaque certamine sub die 20 Ianuarii currentis anni sub dubitandi formula « ***an sit standum vel recedendum a decisis in casu*** », hac vice, litis sorte conversa, prodiit responsum: «***Ex noviter deductis non satis constare de natura regulari paroeciae*** ».

Cum vero istantiae procuratoris franciscalium causae revisionem petentis ex novis documentis adducendis annuisset haec S. C., causa iterum diiudicanda proposita fuit in elapsis mox comitiis, et ad dubium

« ***An sit standum primo vel secundo loco decisis in casu*** ».

Emi Patres respondere censuerunt:

« ***Paroeciam habendam esse uti regularem, facto verbo cum SSmo.***

---

VI. — CLAVAREN. — ADIUCATIONIS REDITUUM (***reservata***).

R. « ***Episcopo iuxta mentem*** ».

---

VII. — LARINEN. — PRIVATIONIS PAROECIAE (***reservata***).

R. « *Iuxta mentem* ».

---

## S. RITUUM CONGREGATIO

### I. — ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

**Privilegio celebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V. gaudent omnes Religiosae Congregationes quae legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utentes, Officium parvum B. M. V. recitant.**

REV. FR. FRANCISCUS TISCHLER, Lector Ordinis Minorum Capuccinorum in Provincia Tirolis Septemtrionalis, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, quod Rescripto Apostolico die 14 Martii vertentis anni eadem Sacra Congregatio privilegium, quo gaudet Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum c elebrandi Missam votivam de Immaculata Conceptione B. M. V., extendi concessit etiam ad Ecclesias et Oratoria Religiosarum Congre-

gationum, quae in horis canonicis persolvendis Kalendario Ordinis Minorum Capuccinorum legitime utuntur. Quaeritur an terminis *in horis canonicis persolvendis* comprehendantur omnes etiam Religiosae Congregationes quae quidem legitime Kalendario Minorum Capuccinorum utuntur quoad Missam etc., loco autem horarum Canonicarum Officium parvum B. M. V. tantum recitant?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito R.mo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisitaque sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

« *Affirmative, iuxta Decretum* Ordinis Fratrum Minorum *15 Aprilis 1904 ad I* (1). »

Atque ita rescripsit, die 25 Maii 1906.

A Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

II. — AVERSANA.

**De loco quo in Processionibus incedere debent laici aliquo tantum signo catholico exornati.**

Hodiernus Rmus Pro-Vicarius Generalis Aversanae dioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. An in Sanctorum Processionibus liceat laicis sive adultis sive pueris sine sacco, aliquo tamen catholico signo exornatis, et intorticia manu ferentibus, sodales confraternitatum sacco indutos et clerum praecedere, an debeant ipsi, in hisce Processionibus B. M. V. vel Sanctorum statuam sequi?

II. An quod in casu disponitur de Sanctorum Processionibus debeat intelligi etiam de Processionibus Poenitentialibus, quando nempe clerus cum populo adeunt Dei templum ad implorandam divinam misericordiam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Possunt procedere vel ante sodales confraternitatum sacco indutos vel post sacras imagines.*

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 8 Augusti 1906.

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta Pontificia* Vol. II, pag. g. 65-67.

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## I. — ORDINIS FRATRUM MINORUM.

**Conceditur Absolutio et Indulgentia in festis Viae Dolorosae D. N. I. C., et Septem Gaudiorum B. M. V.**

Beatissime Pater,

FRATER BONAVENTURA MARRANI, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit, ut eadem Sanctitas Vestra pro Festis: *a)* Mysteriorum Viae Dolorosae (Feria VI ante Dominicam Septuagesimae), et *b*) Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis (Dominica post Octavam Assumptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis), sequentes spirituales gratias benigne concedere dignetur, nempe:

I. Absolutionem generalem Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Regularium impertiendam, prouti in aliis Festis Christi Domini eiusque Beatissimae Matris iam concessum est.

II. Plenariam Indulgentiam ab omnibus ex utroque sexu Christifidelibus lucrandam, qui in praefatis duobus Festis confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel aliquod publicum sacellum ipsorum Fratrum ac Sororum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Vestrae pie oraverint. Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

**II. — Sacerdotibus Congregationis Missionis conceditur indultum quoad impositionem Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.**

Beatissime Pater,

AUGUSTINUS VENEZIANI, Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, enixe petit indultum cuius vigore sacerdotes dictae Congregationis, qui facul-

tate gaudent benedicendi ac imponendi Scapularia B. M.V. de Monte Carmelo, *occasione tantummodo magni concursus* illa benedicere valeant, quin teneantur eadem singulis christifidelibus imponere, omissa etiam nominum inscriptione in album confraternitatis. Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in Audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1906.

A Card. Tripepi. *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

**III. — Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam precem: Maria addolorata, madre di tutti i cristiani, pregate per noi.**

Beatissimo Padre,

Il P. Giuseppe Angelucci dei Servi di Maria, parroco di S. Marcello in Roma, prostrato ai piedi della S. V. umilmente supplica perchè si degni concedere qualche indulgenza a tutti coloro che recitano la giaculatoria: *Maria Addolorata, madre di tutti i cristiani, pregate per noi;* sopratutto affinchè si ottenga la conversione delle Chiese dissidenti. Che, ecc.

Ex audientia SSmi die 4 Iunii 1906, SSmus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito, praefatam precem devote recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem, etc.

L. ✠ S.

Casimirus Card. Gennari.

Praesentis Rescripti exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 27 Iunii 1906.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**IV. — Indulgentiae pro pio exercitio mensis SS. Cordi Iesu dicati.**

Beatissimo Padre,

Essendo la devozione al Cuore SS. di Gesù la più feconda di frutti spirituali, di grazie e di meravigliose conversioni, per cui uomini ostinati nella colpa si sono ravveduti, ed essendo il pio esercizio del mese consacrato a quel Cuore Divino il mezzo più adatto ad estendere e perfezionare la detta devozione, il sottoscritto, umilmente prostrato ai piedi della S. V., supplica che alle indulgenze già largite dalla s. m. di Leone XIII si degni aggiungere la concessione perpetua:

1°. dell' indulgenza plenaria *toties quoties*, applicabile alle anime dei defunti, il giorno 30 giugno, in quelle chiese dove il mese del Sacro Cuore sia stato solennemente compiuto.

2°. del favore dell'altare Gregoriano *ad instar* nella loro messa del 30 giugno ai predicatori del mese del Sacro Cuore. ed ai Rettori delle chiese, ove il pio esercizio venne solennemente compiuto;

3°. per le persone, che promuovono il pio esercizio, dell'indulgenza di 500 giorni, da lucrarsi con qualsiasi loro opera buona, intesa a propagarlo o a farlo compier meglio; della indulgenza plenaria nelle loro Comunioni del giugno; tutto applicabile alle anime sante del Purgatorio.

*Ex audientia SSmi, die 8 Augusti 1906.*

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, qui in votis vel maxime habet, ut pium exercitium *mensis Cordi Iesu Sacratissimo dicati* magis in dies propagetur, et in Christifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur, infrascriptis precibus libenter annuens *pro gratia*, indulgentias expetitas perpetuo valituras benigne elargiri dignatus est, atque optatam benedictionem Apostolicam peramanter impertivit.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretario*

L. ✠ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

---

**V. — Indulgentia 300 dierum conceditur fidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus et quasdam statutas preces effundentibus.**

Si reciti un *Pater Ave e Gloria;* poi si dica per dieci volte: *Lodiamo ogni momento il SS. Sacramento,* e si risponda: *Ora e sempre sia lodato nostro Dio sacramentato;* quindi si ri-

peta il *Pater Ave* e *Gloria*, e così si seguiti finchè duri la processione.

Ex Audientia SS.mi
Die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Christifidelibus Venerabile Eucharistiae Sacramentum in processione comitantibus, qui praefatum exercitium devote peregerint, indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae e Sec.ria eiusd. S. C. die 11 Aug. 1906.

D. PANICI, Archiep. Laodicen, *Secretarius*.

---

**VI. — Indulgentia 300 dierum conceditur recitantibus sequentem precem s. Ritae a Cassia.**

O gloriosa S. Rita, voi che foste prodigiosamente partecipe della dolorosa Passione di N. S. Gesù Cristo, ottenetemi di soffrire con rassegnazione le pene di questa vita, e proteggetemi in tutte le mie necessità.

Ex Audientia SS.mi

Die 30 Iulii 1906.

SS.mus omnibus Cristifidelibus qui praefatam precem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam, semel in die lucrandam, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concedit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae e Sec.ria eiusd. S. C: die 11 Aug: 1906.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret*.

# S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

## DECRETUM

**Quo Curiae Archiepiscopali Coloniensi facultas datur cognoscendi in 2ª instantia causas iudicatas in 1ª instantia in Curia Hildesiensi.**

Ex Audientia SS.mi die 11 Septembris 1906.

SS.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Subsecretario, consulere cupiens faciliori et promptiori agnitioni ecclesiasticarum iudicialium controversiarum dioeceseos Hildesiensis, ad preces eiusdem dioeceseos Antistitis, et habito voto Emi ac Rmi Cardinalis Archiepiscopi Coloniensis, ipsi Emo Cardinali Archiepiscopo facultates ad septennium tribuit necessarias et opportunas, ut, ex delegata Sedis Apostolicae auctoritate, cognoscere possit in secunda instantia et iudicare tum matrimoniales tum alias fori ecclesiastici causas, quae in prima instantia ab Episcopo Hildesiensi, vel, sede vacante, a Vicario Capitulari eiusdem dioeceseos iudicatae fuerint, quaeque usque hodie in eadem instantia a Sede Apostolica cognoscebantur et iudicabantur, servata, quoad matrimoniales causas, constitutione Benedicti Pp. XIV quae incipit « *Dei miseratione* »; eaque in primis lege, ut in singulis actis expressa fiat mentio huius specialis Sedis Apostolicae delegationis, et quoad omnes praedictas causas servatis ceteris, quae Jure canonico praescripta sunt. Super quibus idem SS.mus Dominus hoc edi Decretum et in acta superius memoratae S. Congregationis referri mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die, mense et anno ut supra.

L. ✠ S.

HUMBERTUS BENIGNI, *Subsecr.*

(Gratis omnino).

# APPENDIX

**Schema di Regolamento per la custodia e l'uso degli Archivi e delle Biblioteche ecclesiastiche.**

(Cfr. *Acta Pontificia* Ann. IV. pag. 236-238).

PARTE I. — **Ordinamento, inventarî e cataloghi.**

Affinchè i manoscritti e le carte siano conservati ed usati comodamente senza danno alcuno dei possidenti, occorre anzitutto che siano ed appaiano individualizzati e portino i segni della loro pertinenza, inoltre si possano con facilità conoscere quanto al contenuto e ritrovare. Quindi:

1. I singoli codici, pergamene, ecc. portino il bollo o sigillo della Biblioteca, Capitolo o Chiesa possidente; i codici poi l'abbiano tanto nella prima ed ultima pagina, quanto in un determinato foglio intermedio (da variare nei varî istituti) che serva di riconoscimento; per esempio, nel 53 verso o, per i libri di pochi fogli, nel 7 verso. Il bollo sia piuttosto di piccola dimensione, di forma ovale e di nitida impronta, e venga applicato al margine inferiore di maniera che non copra la scrittura. Non si usi fumo o inchiostro evanescente o corrosivo, ma un colore innocuo ed inalterabile; e si avverta di lasciare perfettamente asciugare l'impronta prima di chiudere il volume, o si provegga almeno che per essa non si macchino i fogli contigui.

---

## VERSIO LATINA.

**Statuti forma ad custodiam atque usum Archiviorum Bibliothecarumque ecclesiasticarum.**

PARS I. — **Ordinatio, Inventaria, Catalogi.**

Ut manuscripta et chartae serventur atque commode adhibeantur absque ullo possidentium damno, opus in primis est ut ad individuum sint et videantur redacta signaque ostendant eorumdem pertinentiae, ac simul facile quoad ipsorum summam cognoscantur et reperiantur. Proinde:

1. Singuli codices, pergamenae etc. signum deferant impressum bibliothecae, capituli aut ecclesiae possidentis; codices vero idem habeant tum in primo et postremo folio, tum in quodam stato folio intermedio (diverso pro variis institutis), quo codex identificari possit; exempli causa, in 53° versu vel, si de libris ex paucis agatur foliis, in 7° versu. Signum parvum esto dimensione, ovale forma ac nitidum impressione, atque margini inferiori applicetur, ne scriptum cooperiat. Fumus aut atramentum evanescens vel corrosivum ne adhibeantur, sed color aliquis innocuus et inalterabilis; caveatur insuper ut bene exsiccetur impressio antequam volumen claudatur, vel saltem consulatur ne folia contigua propter impressionem ipsam offuscentur.

2. Abbiano inoltre una segnatura propria, le pergamene, scritta nel dorso in un punto determinato, e i codici tanto nel dorso (preferibilmente in apposita etichetta) quanto nell'interno della copertina a principio. Le segnature, come espressione e custodia dell'ordinamento che presuppongono, non si cambino mai se non per un'evidente necessità; nel qual caso, ad evitare confusione e perdite di tempo, fa d'uopo non ricoprire nè cancellare la segnatura antica, ma conservarla, e registrare nell'inventario e catalogo anche questa, fra parentesi, accanto alla nuova, e fare in apposito libro una concordanza tra le segnature vecchie e le nuove.

3. Infine i codici abbiano numerati altresì i fogli tutti - non le pagine - con numeri piccoli ma chiari; inscritti a matita ovvero stampati nell'angolo esterno del margine superiore. Eziandio i fogli smezzati e bianchi sono da numerare e contare cogli altri.

4. Se l'Archivio e la Biblioteca hanno già un ordinamento antico compiuto o almeno così avanzato da apparir chiaro il concetto, con cui fu eseguito, allora non si muti e si curi di restituirlo e fedelmente proseguirlo a seconda delle occorrenze. Coi cataloghi ed indici bene compilati si rimedia alle imperfezioni, se mai ci fossero, dell'ordinamento preesistente, e in tal modo si schiva la doppia e spesso pericolosa od anche nociva fatica d'un cambiamento d'ordine.

5. Però, dove manca un ordinamento anteriore ovvero ne restano avanzi troppo frammentarî o testimonianze troppo incerte (come inventarî insufficienti), allora l'**ordinamento** si deve rifare di pianta secondo le norme seguenti:

6. *a*) I *manoscritti* si aggruppino per lingua, per altezza (a risparmio di spazio) e, dove sono molti, per materia, curando atten-

---

2. Signaturam autem propriam habeant pergamenae, stato in loco super dorso scriptam, atque codices tum in dorso (super aliqua chartula) tum intus in superiori parte involucri (*copertina*). Signaturae vero, quippe quae expressiones sunt et custodes ordinis ad quem referuntur, nunquam mutentur nisi evidenti necessitate; quo in casu ad vitandas confusiones ac temporis iacturas, ne cooperiatur neve deleatur vetus signatura opus est, sed eadem servetur atque in inventario catalogoque etiam haec referatur inter parentheses prope novam, et alicui libro concordantia inter veteres novasque signaturas committatur.

3. Tandem singula codicum folia numerentur minime vero paginae numeris, parvis quidem, sed claris hematita conscriptis vel in angolo externo marginis superioris typis impressis. Etiam folia dimidiata aut alba connumeranda sunt cum aliis.

4. Si archivium et bibliotheca ordinem possideant antiquum exactum vel saltem adeo evolutum ut clare pateat conceptus, quo redactus fuerit, tunc ne innovetur ac ut restituatur et pro circumstantiis fideliter servetur curandum. Catalogis indicibusque recte compilatis, imperfectionibus, si quae sint, ordinis praeexistentis providetur; hac ferme ratione duplex saepiusque periculis plenus vel damnosus labor novi ordinis vitatur.

5. Ubi vero deest anterior ordo vel eiusdem fragmenta aut signa incerta manent (prout sunt inventaria insufficientia) tunc ordo ab initio conficiendus ad normas quae sequuntur.

6. *a*) MANUSCRIPTA coacerventur iuxta idioma, altitudinem

tamente di raccogliere i volumi d'una stessa collezione. Indi si segnino con un unico numero arabico progressivo, che servirà da segnatura. Se il fondo è ricco di codici di varie lingue, allora si possono fare tante numerazioni, quante sono le lingue, e le segnature risulteranno composte dal nome abbreviato della lingua e del numero arabico progressivo (ad es. *Lat. 158, Ital. 37, Gr. 5*).

7. *b*) Le *pergamene* si distribuiscano, per quanto è possibile, prima in varî gruppi a seconda della varia provenienza (chiesa, monastero, ecc., ufficio amministrativo tale, ecc.), e poi dentro ciascun gruppo nell'ordine di tempo, e così si numerino. Quando però l'ordinamento per provenienza riuscisse troppo difficile od incerto, allora si dia semplicemente l'ordine cronologico e il numero progressivo, salvo che la collezione sia così ricca da permettere la formazione di gruppi speciali, come lettere pontificie, diplomi imperiali, atti vescovili, carte pagensi, ecc. ecc. I varî gruppi si possono designare con lettera maiuscola latina ovvero con un numero latino, il quale coll'arabico aggiunto costituisca la segnatura delle singole carte.

Come le segnature siano da porre v. sopra n. 2.

8. *c*) I *libri stampati*, specialmente dove il fondo è in aumento, si ordinino per materia in alcune classi estese e generiche che si possono designare col nome abbreviato, per es. Teol(ogia), Filos(ofia), Stor(ia), Canon(ico Diritto), Civil(e Dir.), ecc., e poi si numerino con cifra arabica progressiva all'indefinito, indipendentemente dalla condizione degli scaffali, affinchè, anche mutati questi con altri di diverse dimensioni, l'ordinamento rimanga, nè siano da rifare, con enorme perdita di fatica e di tempo, tutte le segnature e nei libri stessi e negli inventarî e cataloghi. Se le classi di-

---

(ut spatio parcatur) atque, ubi plurima sint, iuxta materiam, maxima habita cura ut volumina eiusdem collectionis simul uniantur. Dein unico numero arabico progressivo signentur, prout signatura adhibendo. Cum archivium dives sit codicibus variis linguis exaratis, tunc tot numerationes faciendae, quot erunt linguae; et signaturae constabunt nomine breviato linguae ac numero arabico progressivo (exempli causa *Lat. 158, Ital. 37, Gr. 5*).

7. *b*) PERGAMENAE, quoad fieri potest, distribuantur prius varios in acervos iuxta derivationem (ecclesiam, monasterium, etc., officium administrativum tale, etc), quisque dein acervus iuxta temporis ordinem, sicque numerentur. Cum vero ordo iuxta derivationem evadat nimis difficilis incertusve, tunc detur tantum ordo chronologicus numerusque progressivus, nisi tamen collectio adeo sit dives, ut peculiares acervos efformare permittat, prout litterae pontificiae, diplomata imperialia, acta episcopalia, chartae pagenses, etc., etc. Varii acervi littera maiuscola latina designari possunt, vel latino numero, qui, arabico adiectus, singularum chartarum signaturam constituat.

De signaturis ponendis, v. supra n. 2.

8. *c*) LIBRI TYPIS IMPRESSI praesertim ubi bibliotheca incrementum est habitura, iuxta materiam ordinentur in categorias amplas ac genericas, quae nomine breviato poterunt designari, ex. c. Theol(ogia), Philos(ophia), Histor(ia) Canon(icum Ius), Civil(e Ius) etc., dein cifra arabica progressiva numerentur indefinite, ab armadi conditione independenter, ut, quamvis hisce cum aliis

venissero troppo copiose, allora è meglio formar classi meno generiche, come Bibbia, Padri, Concilî, Dogm(atica), Mor(ale), ecc., e distribuire i libri per sesto, designando ogni sesto con una cifra romana (per es. folio = I, quarto = II, ottavo = III, dodicesimo = IV, ecc.), la quale, combinata coll'arabica progressiva, costituisca la segnatura del libro, ad es. Stor. II, 53.

9. In ogni caso però sarà bene riunire a parte gl'incunaboli, le stampe in pergamena ed altre rarità, come segnatamente messali breviarî, rituali, ecc. anteriori alla correzione ovvero di riti particolari, spartiti di musica dei sec. XVI-XVII, libri con legature antiche di bellezza non ordinaria, ecc., per custodirli con la stessa cura dei manoscritti in una sezione particolare detta ***riserva***.

10. E' indispensabile, quasi fondamento, un **inventario** almeno sommario dei documenti ed oggetti dell'Archivio, Biblioteca, ecc., il quale fornisca i dati necessarî tanto all'identificazione o riconoscimento, quanto alla consultazione od uso scientifico.

---

diversis ex conditionibus permutatis, maneat ordo neque omnes signaturae iterum sint faciendae, magna cum iactura sive temporis sive laboris. Cum categoriae nimis copiosae evadant, tunc melius erit classes minus genericas efformare, sicut Biblia, Patres, Concilia, Dogm(atica), Mor(alis) etc. atque libros distribuere iuxta sextum, quolibet sexto cifra romana designato (ex. c. folium = I, quartum, = II, octavum = III, duodecimum = IV etc.) quae cum arabica progressiva constituat libri signaturam, ex. c. Histor. II. 53.

9. Semper autem optimum factu erit incunabula separatim colligere, pergamenae typis impressae ceteraque rara documenta, prout missalia, breviaria, ritualia etc. correctione anteriora; vel libros rituum particularium, libros musicae saec. XVI-XVII, libros antiquitus religatos peculiari pulchritudine etc., ut eadem cura ac manuscripta custodiantur in particulari sectione appellanda *Riserva*.

10. Erit omnino indispensabile, quasi fundamentum, ***Inventarium*** saltem summarium documentorum atque rerum archivii, bibliothecae, etc., quod signa tribuat necessaria tum identificationi seu recognitioni peragendae, tum consultationi usuique scientifico.

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

## De Sacramentalibus.

(Cf. *Acta Pontificia*, Vol IV, pag. 354).

### § 2. — *De Sacramentalium administratione.*

Homo vivens tantum, cuius tandem sunt spiritus et corporis bona, tum certarum rerum auxilio eget tum proxime est sacramentalium subiectum; aptus tamen et dignus est qui vivit in communione cum Ecclesia et in statu gratiae atque fidelem, piam et divinae devotam voluntati gerit mentem. Qui extra Ecclesiam est

sacramentalium gratiae partem minime attingere ex se potest; ideoque in universum acatholici Ecclesiae sacramentalia recipienda sunt impares. Si vero horum aliquis ad Ecclesiam salutem expetit et eam ex animo assequi annitatur, potest quidem et sacramentalium virtutem, ut suam perficiat conversionem, interponere: ut catechumeni qui ea quae baptismum praecedunt sacramentalia recipiunt. Sacerdos praeterea qui haereticorum et infidelium salutem intercedere et potest et debet, benedictionem petenti acatholico concedere potest.

Sacramentalia divinae gratiae conciliatrix Ecclesia per aptos et sua auctoritate missos ministros confert. Ex ordine recepto apti sunt: 1° Episcopus et sacerdos; 2° diaconus qui paschalem consecrat cereum et solemne, necessitate cogente, confert baptisma; 3° lector qui novos fructus et panem benedicit; 4° exorcista qui exorcismum perficit.

Ad haec, ut sacramentalia ministrare liceat, facultas ab Ecclesia necessaria est. Quaedam enim uni S. Pontifici reservantur (ut Pallii benedictio); Episcopus, praeter quae S. Pontifici reservantur cuncta in sua dioecesi sacramentalia ministrat. Propria sunt eius: *a)* SS. Oleorum benedictio et consecrationes quae unctione perficiuntur (ut ecclesiae, altaris, calicis dedicatio vel consecratio quas simplici sacerdoti unus Pontifex delegare valet: *b)* abbatis et abbatissae benedictio et ad ordines minores promovere; *c)* parramentorum, tabernaculi seu vasculi et sacrarum imaginum solemnis benedictio nedum consecratae Ecclesiae reconciliatio (huiusmodi benedictio et reconciliatio ab Episcopo simplici sacerdoti delegari possunt; *d)* ceterae quae in pontificali et in rituali continentur benedictiones quae a rubricis Episcopo reservantur et iure communi sacerdoti deferri possunt (ut primarii Ecclesiae lapides, novi oratorii, etc.).

Sacerdotes cetera sacramentalia ministrare valent quae Episcopo non reservata, sibi commisso officio congruunt. Parochi igitur ea iure ordinario proprie sacramentalia ministrant quae cum sacramentis (baptismalis aquae consecratio, etc.) ab ipsis ministrandis coniunguntur, ne dum domorum (sabato sancto) fructuumque benedictiones, exsequias et quae in rituali a parochis praestandae decernuntur.

Ceteras quae in Missarum libro et in rituali continentur benedictiones (cinerum, palmarum, candelarum, imaginum) a quolibet sacerdote (sciente tamen et consentiente ecclesiae rectore), dari licet.

Ut digne sacramentalia ministrentur et eorum virtus (quatenus ex opere operantis vim habent) excitetur, minister in statu gratiae, pura mente, viva fide, firma spe, devote, ex praescriptis ritibus ea largiatur oportet.

## SECTIO II[a]

### De Sacramentalibus singillatim.

§ 1° - *Notatio praevia.*

Sacramentalia tum Satanae potestatem deicit (exorcismi), tum peculiares gratias, terrena et quae hac superant bona, communicant (benedictiones), tum denique personas aut res divino mancipant servitio (consacrationes).

§ 2° - *De Exorcismo.*

Exorcismus spiritus nequam in hominem et subiectam naturam potestatem propulsat. Christus Jesus sua morte superatam daemonis virtutem minuit, non omnino sustulit ut in nos, non amplius inermes, adversarii viribus ad suam gloriam et nostri probationem tentaremur. Iis vero qui in eum credunt in daemones potestatem dedit Deus ut sibi et aliis contra mali inimici incursus caveant. Ecclesiae praeterea singularis in Satanam est potestas sive extra ordinem sive ordinaria potestate in exorcistae ordine.

*Exorcismus* est obtestatio qua vel directa, in nomine Domini malus hostis a re procreata recedere jubetur (*exorcismus per modum imperii, imperativus*), vel per invocationem sanctorum aut Deum deprecando qui personam vel rem daemoni subiectam (nondum baptizatam), aut ab eodem agitatam, vexatam (*circumsessam*), aut correptam (*obsessam, energumenum*) liberare velit (*exorcismus per modum deprecationis; deprecativus*).

Exorcismus hodie sacerdoti reservatur, cui imo eos tantum adhibere licet qui cum consecratione quae eidem liceat conjunguntur. Exorcismus qui solus directe perficitur tum est solemnis (in ecclesia) in quo caeremoniae omnes adhibentur quae in rituali praescribuntur et sacerdoti tantum licet qui scripta ordinarii licentia munitur; tum est privatus in quo omnibus omissis caeremoniis, Jesu tantum nomen invocatur.

§ 3° - *De Benedictionibus.*

Benedictio (invocativa) est ritus quo certa bona personae vel rei (pro persona) ex J. Christi meritis ab apto Ecclesiae ministro invocatur.

*a*) Generalis benedictio si cum SS. Sacramento, aut cum D. N. Jesu Christi vel SS. reliquiis datur nihil dicitur, si autem manu (« recta et digitis simul unitis et extentis »), praescripta pronuncianda est formula (*Benedictio* etc.), crucis signum efficiendo.

*b*) Benedictio apostolica, quam plenaria indulgentia comitatur morituris post sacramentalem absolutionem, si potest, impertitur. Eam concedendi facultatem, quae ex se nec Episcopi nec Pontificis morte amittitur, ab Episcopis obtinent sacerdotes qui infirmorum curam gerunt.

Generalis absolutio post morientium sacramenta, fere semper iis conceditur qui sacramentalem absolutionem recipere possint. Ut valeat sacerdos qui delegatus fuerit formam a Benedicto XIV praescriptam omnino immutatam adhibeat necesse est. Ut vero plenariam hujusmodi absolutioni adnexam indulgentiam infirmus lucretur: *a*) ad verum mortis articulum advenisse necesse est. Nec exinde ad novissimam animae colluctationem apostolica benedictio est differenda, quum infirmus apte et utiliter ad eam tunc praeparari non possit et saepius tempus amitteretur, sed fere semper post Extremam Unctionem datur; *b*) actualis vel virtualis vel saltem interpretativa indulgentiae lucrandae voluntas; *c*) gratiae status; *d*) contritionis et caritatis, quem possit, actus: *e*) potissimum infirmitatis et mortis poenis, utpote quae sunt Deo pendendae, plena animi submissio: *f*) peccata sua confessus fuerit et Eucharistiam susceperit, aut, quum id nequeat, vere poenitens SS. Jesu nomen ore vel saltem mente invocaverit.

Eidem quoties grave vitae periculum subeat toties renovatur absolutio, sed plenaria huic adnexa indulgentia quae in vero tantum mortis articulo valet semel tantum datur.

Hujusmodi generalis in estremis absolutionis ritus in rituali et diurnali indicatur.

Praeter generalem absolutionem morientes plenariam lucrantur indulgentiam quum: *a*) certas, dum viverent, recitaveriut orationes quae a S. Sede plenaria ditatae sint indulgentia; *b*) crucem, rosarii coronam, numisma devote gerunt cui pontificia annectitur benedictio: *c*) si piae congregationis cui hujusmodi S. Sedes benedictionem concesserit, sint membra semper tamen status gratiae praescriptae necesse est; *d*) stationum praesertim cruces commendantur.

# BIBLIOGRAPHIA

I.

SEMERIA (P. Giovanni, barnabita). — **La messa nella sua storia e nei suoi simboli.** — Ed. 2ª riveduta ed aumentata — Roma — F. Pustet - 1906. - Lib. 3.

De S. Sacrificio altaris plurima habentur commentaria atque studia, sed valde pauca historice evolvuntur. Cl. P. Semeria in hac altera editione huius operis, methodo tantum historica, evolutionem historico-symbolicam dat S. Missae. In quodam prologo Missam Catechumenorum exponit, quae suis cum precibus, cantibus, lectionibus et homeliis nobis repraesentat liturgiam antiquam Synagogalem hebraicam. Dein Missa exponitur prout a conscientia christiana melius concipiebatur in Eucharistia perfectum perpetuumque sacrificium.

Opus vere mirabile quod utinam corda et mentes fidelium in dies accendat! Per veritatem historicam mentes et corda ad Deum diriguntur melius quam per arida et phantastica asceticorum commenta.

Non diffitemur tamen nonnullas in hoc libro haberi propositiones theologice forsan non undequaque exactas atque, uti aliqui dicunt, nimis modernas: sed stylus, methodus et claritas expositionis librum reddunt maxime utilem atque pulchrum et apprime conferunt ut Missa iterum evadat reapse, uti est iure, non tantum Missa sacerdotalis, sed Missa populi, dragma divinum simul et humanum.

II.

BRETTES (chanoine). — **L'Homme et l'Univers.** — 1° *L'Univers et la Vie* — Paris Roger et Chernoviz Lib. 8.

Canonicus Brettes, orator magni nominis, in hoc opere etiam esimius scientiae cultor apparet. *L'Univers et la Vie* austera nititur et profunda conceptione; thesis est: quaenam fuerint vires constructioni mundi adhibitae. A cellula eiusque organicis elementis exordium sumens, de diastasibus pigmentisque, experientia duce, discutit, et materialistarum confusionem tollit inter vitam cellularem et vires materiae brutae.

Lex universi, demonstrat cl. Auctor, non est *evolutio* darwinistica, sed *revolutio*, quae mundi elementa atque habitantes susdeque mittens omnia entia vi ac dolore vivere cogit.

Finis atque spatium nostrae ephemeridis nos non sinit accuratam edere recensionem huius admirabilis operis, cuius novitas neminem fugit. Certi sumus omnes doctos viros hoc primum volumen maioris operis, cuius titulus « *L'Homme et l'Univers* » carissimum habituros esse.

III.

P. BENVENUTO BAZZOCCHINI. — **L'Emmaus di S. Luca.** — F. Pustet. Vol. un. Lib. 2.50.

Hodiernis S. Scripturae studiis effervescentibus non parum confert opus P. Bazzocchini de Sanctuario Emmauntino identi-

ficando. Argumenta plurima ab ipso allata et critice discussa clare et obiective exponuntur.

Commendamus sacrorum librorum studiosis novam hanc monographiam.

IV.

FEDELE SAVIO S. J. — **Il Papa Zosimo, il Concilio di Torino e le origini del Primato Pontificio.** — Studio storico critico. — In *Fede e Scienza* N. 44 Ser. V. — F. Pustet — 1906. Lib. 0.90.

Bibliotheca *Fede e Scienza* iam pluribus nitet gemmis, quas magni nominis scriptores simul coegerunt ad concordem ostendendam relationem Revelationem inter et humanas scientias.

Nuper huic collectioni et P. Savio novam attulit et quidem fulgentem margaritam, nempe studium hoc historico-criticum circa origines Primatus Pontificis Romani, capta occasione publicationis cuiusdam libri Ernesti Babut protestantis « *Le Concile de Turin, essai sur l'histoire des églises provençales au Ve siècle et sur les origines de la monarchie ecclésiastique romaine* ». Parisiis, Picard, 1904.

Spatii deficientia nos non sinit, prout velimus, huius studii recensionem dare; attamen illud nostris subnotatoribus apprime commendamus.

V.

MASSA D. OLIMPIO. — **Il Vangelo e Quaresimale predicati dal Parroco.** — Vercelli 1906. Lib. 2.50.

Sac. O. Massa, de religione bene meritus ob curas laude dignas quas ipse impendit ephemeridi edendae « *La Strenna del Parroco* », nuper hanc sermonum collectionem publicavit super Evangeliis dominicarum annique festorum. Eamdem libenter commendamus parochis ac omnibus ecclesiasticis viris qui curam habent animarum quique pabulum spirituale omni exceptione maius pro se suisque fidelibus inhiant.

---

**Paillettes d'or.** — (13e Série). Recueil des années 1904-1905-1906. — Un vol. in-18 de 156 pages. Publication honorée d'un Bref de Sa Sainteté Pie X. — Edit. Aubanel Fréres - Avignon. - Lib. 0.60.

Opuscolum valde commendabile ob eiusdem utilitatem atque amenitatem.

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Belser**, Dr. **J. E.** — *Die Briefe des heiligen Johannes.* Übersetzt und erklärt L. 3.75

**Cassuto** Dr. **Andrea.** — *Lettera ad uno studente di S. Scrittura*, per il Revmo P. Giacinto M. Cormier, Maestro generale dei Predicatori. Traduzione della 1a edizione francese. Fasc. 58 pag. L. 1.25

**Cellini** Prof. **Adolfo.** — *Critica e Fede* nella Esegesi biblica. Osservazioni fondamentati seguite da una breve appendice intorno al così detto primo principio della Ermeneutica Sacra. Vol. in-8 130 pag. L. 2 —

**Deharbe** P. **Giuseppe,** S. J. — *Spiegazione del Catechismo Grande,* illustrata con esempi; ossia Manuale per la istruzione Catechistica e libro di lettura per le famiglie cristiane. Nuova edizione riveduta e disposta dal Sac. D. Giuseppe Perardi secondo l'ordine del Catechismo prescritto dal S. Padre Pio X. 6 volumi in-8. Prezzo di sottoscrizione L. 15; prezzo a pubblicazione terminata L. 18 —
È uscito il Vol. I, *Del Credo.* Primo articolo del credo.

**D'Olsy** P. **Eugenio.** — *Direttorio Spirituale* dei Terziari di S. Francesco. Traduzione dal francese sulla 2ª Edizione emendata ed accresciuta. Vol. in-12, 516 pag. L. 1.25

**Ehrle Franz,** S. J. — *Martin de Alpartils Chronica actitatorum temporibus Domini Benedicti XIII.* Zum ersten Mal veröffentlicht. Band I. Einleitung, Text der Chronik, Anhang ungedruckter Aktenstücke. (Quellen und Forschungen aus der Geschichte XII. Bd.) XLII u. 616 S. Lex-8. L. 32 —

**Freisen** Dr. **Jos.** — *Der katholische und protestantische Pfarrzwang und seine Aufhebung in Österreich und den deutschen Bundesstaaten.* Ein Beitr. z. Rechtsgesch. der Toleranz. Mit Abdruck der staatskirchenrechtlichen Erlasse. XII u. 195 S. gr. 8. br. L. 6.50

**Haine,** A. J. J. F. — *Theologiae moralis* elementa, ex S. Thoma aliisque probatis doctoribus collecta ordineque disposita. Editio 5ª novis curis expolita e juxta recentiora decreta S. Sedis emendata, opera et studio Rev. P. J. Bund. Quatuor volumina in-12 L. 10 —

*Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie.* — Herausgegeben von Dr. **E. Commer,** Univ.-Prof. XX Jahrg. Mit 1 Porträt. 518 S. gr. 8. L. 11.25

**Kröss,** J. R. — *Gottesflammen.* Nachgelassene eucharistiche Predigten. Vol. in-8 366 pag. L. 3.75

**Feder A. L.** S. J. — *Iustins des Märtyrers Lehre von Jesus Christus,* dem Messias und dem menschgewordenen Sohne Gottes. Eine dogmengeschichtliche Monographie L. 10 —

**Leinz** Dr **Anton.** — *Apologetische Vorträge.* L. 3 —

**Ludwig** Dr. **A. Fr.** — *Weihbischof Zirkel von Würzburg in seiner Stellung zur theologischen Aufklärung* und zur kirchlichen Restauration. 598 S. gr. 8. L. 18 —

**Niglutsch J.** — *Brevis Commentarius in Evangelium S. Matthaei* usui studiosorum S. Theologiae accommodatus. Editio altera emendata. Vol. in-8. 250 pag. L. 3.50

*Noël et Épifanie a Rome.* Notes historiques et liturgiques. Fasc. in-24. L. 0.50

**Schmid.** — *Caeremoniale* für Priester, Leviten, Ministranten und Sänger. Mit 150 Abbildungen. Dritte vermehrte Auflage. Vol. in-8, 674 pag. L. 7.50

**Schubert, Joh. Val.** — *Zur Reform des Katechismus und der Katechese.* Mit kirchl. Druckerlaubnis. 128 Seiten. gr. 8, br. L. 2 —

**Semeria G.** — *La Messa* nella sua storia e nei suoi simboli. Edizione 2ª riveduta ed aumentata. Vol. in-12, 306 pag. L. 3 —

**Stieglitz Heinrich** — *Ausgeführte Katechesen* über die Katholische Sittenlehre. Vol. 12° 420 pag, L. 3.75

**Vitali** Sac. **Luigi.** — *I Vangeli* delle Domeniche dell'anno e delle principali solennità. Riflessioni e commenti. Vol. in-12, 500 pag. L. 4.50

# ACTA SUMMI PONTIFICIS

## I. — EPISTOLA

**ad Emum Archiepiscopum Colonien., qua Pontifex de conventu Essendiae feliciter habito gratulatur.**

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER COLONIENSIUM ARCHIEPISCOPO.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUOD feliciter exitus sortitus fuerit catholicorum Germaniae conventus Essendiae habitus superiori Sextili mense, id non una tantum ex parte comperimus, ac in primis ex iis quae coram diserteque retulit Ven. Frater Noster Praenestinus Episcopus, zelum et actuosam Germanorum sollertiam testatus. Opinionem, quae firma iamdiu Nostro inerat animo de gravitate filiorum qui Germaniam incolunt, firmiorem adhuc reddidit notitia disceptationum, quae in Essendiensi conventu habitae sunt. Haud tamen minor delectatio fuit quam hausimus ex proposito iterum iterumque prolato, quo actionem religiosam Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam velle catholici e Germania orti declararunt. Haec quidem obedientia, uti diuturna experientia constat, peramplam et integram, licet aliter nonnulli oblatraverint rei veritatis ignari, cuique relinquit libertatem quoad ea quae religionem non attingunt, ideoque eam gignit singulorum animorum concordiam quae, a singulis ad societatem progrediens, sociale firmat bonum duplici coalescens elemento, religioso scilicet ac civili. Hoc valde probari visum est Augustissimo Imperatori ac Regi, qui grati et benevolentis animi sensa professus est erga eos qui, ortu Ipsi religione autem Nobis subditi, statim ac Essendiam convenissent quum Ipsum tum Nos obsequio prosecuti sunt. Laetitiam igitur, quam ex Essendiensi conventu profitemur haustam, Tibi, dilecte Fili Noster, testatam volumus, ac per te clero populoque archidioeceseos tuae cunctisque Nostris e Germania filiis qui ad participandos praefati Congressus labores multiplici sane modo confluxerunt. Grati insuper animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae testis sit Tibi ac illis apostolica benedictio, quam caelestium munerum auspicem Vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Octobris MCMVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIUS PP. X.

## II. — EPISTOLA

**ad Emum Urbis Vicarium Collectam pro Inimicis in Missae celebratione addens.**

AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI, NOSTRO VICARIO GENERALE.

*Signor Cardinale,*

Le condizioni dolorose in cui si trova la Chiesa, combattuta ed oppressa da molti degli stessi suoi figli che le si son fatti nemici, ci persuadono esser venuto il momento di usare in modo particolare di quel mezzo lasciatoci pel governo dal suo divin Fondatore: la preghiera. Nutriamo infatti la dolce speranza, che, com'Egli *nei giorni della sua carne, avendo offerto preghiere e suppliche con forti grida e con lagrime a colui che salvarlo potea dalla morte, fu esaudito per la sua riverenza* (agli Ebr. V.), così l'Onnipotente alle preghiere del corpo mistico di Gesù Cristo verserà sopra di noi le sue divine misericordie.

Per questo raccomandiamo a Lei, Signor Cardinale, di ordinare a tutti i sacerdoti di Roma e del suo Distretto, che fino al termine dell'anno, in tutti i giorni non impediti dal rito, recitino nella Santa Messa la colletta n. 31 *pro inimicis;* e di eccitare nel tempo stesso i fedeli ad unire le loro preghiere con quelle dei sacerdoti, specialmente nelle due Novene della Immacolata e del Santo Natale, ben sapendo quanto sia potente la preghiera di molti buoni per ottenere i divini favori.

E in questa fiducia impartiamo a Lei, Signor Cardinale, con particolare affetto l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, li 10 novembre 1906.

PIUS PP. X.

# SECRETARIA STATUS

## I. — CONVENTIO

**inter S. Sedem et Statum liberum Congensem.**

Le Saint-Siège apostolique, soucieux de favoriser la diffusion méthodique du catholicisme au Congo, et le gouvernement de l'Etat indépendant, appréciant la part considérable des missionnaires catholiques dans son œuvre civilisatrice de l'Afrique Centrale, se sont entendus entre eux et avec les représentants des missions catholiques du Congo en vue d'assurer davantage la réalisation de leurs intentions respectives.

A cet effet, les soussignés:

S. Exc. Mgr Vico, archevêque de Philippes, nonce apostolique, grand croix de l'ordre de la Conception de Villa Viçosa, commandeur avec plaque de l'ordre de Charles III, etc., dûment autorisé par Sa Sainteté le Pape Pie X, et

Le Chevalier de Cuvelier, officier de l'ordre de Léopold, commandeur de l'ordre de Saint-Grégoire-le-Grand, etc., dûment autorisé par S. M. Léopold II, roi-souverain de l'Etat indépendant, sont convenus des dispositions suivantes:

1° L'Etat du Congo concédera aux établissements de missions catholiques au Congo les terres nécessaires à leurs œuvres religieuses dans les conditions suivantes:

2° Chaque établissement de mission s'engage, dans la mesure de ses ressources, à créer une école où les indigènes recevront l'instruction. Le programme comportera notamment un enseignement agricole et d'agronomie forestière et un enseignent professionnel pratique des métiers manuels;

3° Le programme des études et des cours sera soumis au gouverneur général et les branches à enseigner seront fixées de commun accord. L'enseignement des langues nationales belges fera partie essentielle du programme;

4° Il sera tait par chaque supérieur de mission, à des dates périodiques, rapport au gouverneur général sur l'organisation et le développement des écoles, le nombre des élèves, l'avancement des études, etc. Le gouverneur général, par lui-même ou un délégué qu'il désignera expressément, pourra s'assurer que les écoles répondent à toutes les conditions d'hygiène et de salubrité;

5° La nomination de chaque supérieur de mission sera notifiée au gouverneur général;

6° Les missionnaires s'engagent à remplir pour l'Etat, et moyennant indemnité, les travaux spéciaux d'ordre scientifique rentrants dans leur compétence personnelle, tels que reconnaissances ou études géographiques, ethnographiques, linguistiques, etc.;

7° La superficie de terres à allouer à chaque mission, dont l'établissement sera décidé de commun accord, sera de 100 hectares cultivables; elle pourra être portée a 200 hectares en raison des nécessités et de l'importance de la mission. Ces terres ne pourront être aliénées et devront rester affectées à leur utilisation aux œuvres de la mission. Ces terres sont données à titre gratuit et en propriété perpétuelle; leur emplacement sera déterminé de commun accord entre le gouverneur général et le supérieur de la mission;

8° Les missionnaires catholiques s'engagent, dans la mesure de leur personnel disponible, à assurer le ministère sacerdotal

dans les centres où le nombre des fidèles rendrait leur présence opportune. En cas de résidence stable, les missionnaires recevront du gouvernement un traitement à convenir dans chaque cas particulier;

9º Il est convenu que les deux parties contractans recommanderont toujours à leurs subordonnés la nécessité de conserver la plus parfaite harmonie entre les missionnaires et les agents de l'Etat. Si des difficultés venaient à surgir, elles seront réglées à l'amiable entre les autorités locales respectives, et si l'entente ne pouvait s'obtenir, les mêmes autorités locales en référeraient aux autorités supérieures.

En foi de quoi les soussignés ont signé la présente convention et y ont apposé leurs cachets.

Fait en double exemplaire à Bruxelles, le 26 mai 1906.

Ch. DE CUVELIER.

VICO,
*Archevêque de Philippes,*
*Nonce apostolique.*

---

## II. — EPISTOLA

### ad R. D. A. Cellini de Studiis biblicis optime meritum.

N. 20120.

*Illmo e Revmo Signore,*

Mi torna particolarmente piacevole portare a cognizione della S. V. Illma e Rvma che l'omaggio da Lei fatto al Pontefice delle pubblicazioni scritturali dell'egregio signor Canonico Teologo di cotesta Cattedrale, Don Adolfo Cellini, ha meritato l'alto encomio di Sua Santità. Nei tempi attuali, quando gli studii biblici, presumendo della loro parvenza di dotti, tendono funestamente a sfrondare la divina autorità del sacro testo, giunge desiderato ed opportuno il prezioso contributo del Cellini, il quale, nelle oscure fatiche del passato e nell'amore ai libri santi, ha maturato la difesa della verità e l'ha circondata di indiscutibile prestigio scientifico. La Santità Sua è grata al bravo Professore di Ripatransone del nobile esempio dato agli esegeti col saper mettere a profitto i progressi della scienza moderna coordinati al rispetto della scienza antica, la quale, come la verità, è una e non tramonta. Il pensiero del Pontefice, Cui non piace il disprezzo delle dottrine condensate dai venerandi padri nostri, come non piace il timore di ogni scientifico avanzamento, ha avuto nel Cellini un interprete valoroso. Egli è perciò che Sua

Santità si congratula con l'illustre Canonico, e fortemente lo esorta, non solo a dare alla luce tutti i frutti dei suoi passati studii, ma eziandio a proseguire nell'arduo cammino delle scritturali investigazioni, cammino che arreca a lui tanto onore ed alla Chiesa tanto vantaggio. Da ultimo, in contrassegno di benevolenza, la Santità Sua imparte al prelodato Professore l'Apostolica Benedizione.

Del che mentre io rendo intesa V. S., godo aggiungerle che anche a Lei l'Augusto Pontefice ha concessa di cuore la stessa grazia insieme ad un particolare encomio per avere Ella confortato di benevolo incoraggiamento i sani e salutari studii del dotto Teologo.

Colgo poi l'opportunità di dichiararmi con sensi di distinta stima.

Roma, 19 ottobre 1906.

Di V. S. Illma e Revma

*Servitore*
R. Card. Merry Del Val.

Mons. Luigi Boschi
*Vescovo di Ripatransone.*

*Nota.* — En opera a cl. Cellini exarata:

1) « Saggio storico-critico di esegesi biblica sulla interpretazione del sermone escatologico ». Lib. 2.50.

2) « Gli ultimi capi del tetramorfo e la critica razionalistica, cioè l'armonia dei quattro Evangeli ». F. Pustet, 1906. Lib. 3.50.

3) « Critica e Fede nella Esegesi biblica ». Un vol. in-8. Lib. 2.

## SECRETARIA BREVIUM

**I. — Ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur Cathedralis Ecclesia Urgellensis.**

### PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Templa Dei vetustate, structura et divini cultus splendore conspicua, Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiaribus titulis ac privilegiis ornare et decorare satagimus. Jamvero cum probe noscamus cathedralem ecclesiam Urgellensem saeculo

undecimo extructam, pulcherrimum et ferme unicum extare in Hispaniae regionibus Romani ordinis exemplar, ac splendidis artis operibus insignem, divite refertam sacra supellectile, atque amplissimo Patrum canonicorum ordine ac Beneficiariis auctam, prout decet sacram aedem totius Urgellensis dioeceseos principem, maxima liturgicarum functionum solemnitate ac magnificentia pollere; idcirco illius Antistitis et Capitularium votis ultro libenterque annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes ac singulos, quibus hae Litterae Nostrae favent, a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, cathedralem Urgellensem Ecclesiam Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum Minoris Basilicae titulo ac dignitate cohonestamus, cunctis eidem privilegiis attributis, quae Minoribus Urbis Basilicis de jure competunt. Decernentes praesentes litteras fiirmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, illisque ad quos spectat et spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos judicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX Decembris MCMV, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MACCHI.

---

**II. — Sodalitas Missae Reparatricis civitatis Argentinensis in Archisodalitatem erigitur pro Germania.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PIAS fidelium Societates quae bonorum operum assidua exercitatione florentes optime de re catholica merentur, tum pietatis studia excitantes, tum christianae religionis praecepta asserentes, de Romanorum Pontificum more institutoque peculiaribus titulis privilegiisque decorare satagimus. Has inter minime Nos latet iure ac merito accensendam esse Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis, canonice erectam in Conventu Monialium Societatis Mariae Reparatricis, civitatis Argentinensis, praecipuum ad finem Dei honorem a christianis omissione Missae festivis diebus laesum, per alterius Missae auditionem piandi cumque ipsius So-

dalitatis hodiernus Moderator enixis Nos precibus flagitaverit, ut illam ad Archisodalitatis gradum evehere de Apostolica benignitate velimus, Nos votis hisce annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus Nostrae hae Literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra, praesentium vi, perpetuumque in modum Sodalitatem Missae Reparatricis in Conventu memorato Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis erectam, in Archisodalitatem cum solitis privilegiis instituimus, evehimus. Archisolidatis autem sic per Nos erectae Officialibus et Sodalibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti Sodalitates in universo Imperio Germanico existentes, servatis forma Constitutionis Clementis Papae VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati ab hac S. Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite possint ac valeant, eadem Nostra auctoritate Apostolica praesentium tenore, atque item perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri et obtinere sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX Februarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. ✠ S. NICOLAUS MARINI, *Substitutus.*

---

**III. — Indulgentiis ditatur Archiconfraternitas Belgica Missae Reparatricis.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CUM, sicuti ad Nos relatum, in ecclesia Tongerloensi Ordinis Praemonstratensis dioecesis Mechliniensis intra fines, pia Sanctae Missae Reparatricis Archiconfraternitas pro universo Belgarum Regno existat, Nos, ut tam frugifera societas uberiora capiat, Deo favente, incrementa, de omnipotentis Dei misericordia

ac BB. Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus eadem in societatem nunc et in posterum adlectis, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti prima Dominica vel prima feria sexta cujusque per annum mensis propriam sodalitii ecclesiam sive cappellam, si habeant, secus parochialem cujusque ecclesiam ab ortu usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitent ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Dominum preces effundant, dummodo per decursum totius mensis praecedentis singulis hebdomadibus missae ex intentione reparatricis interfuerint, plenariam; - et singulis similiter atque universis nunc et pro tempore existentibus dictae Archiconfraternitatis sociis pariter admissorum confessione rite expiatis et coelestibus epulis refectis, qui quotannis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SSmae Trinitatis, SSmi Corporis Christi, feria sexta post octavam solemnitatis ejusdem Corporis Christi immediate sequenti, necnon Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis B. Mariae Virginis festivitatibus, et similiter S. Joannis Apostoli et Evangelistae, S. Joseph, S. Norberti festo die, nempe sexto Junii mensis, et die quo sanctorum martyrum Gorcomiensium festum agitur, nempe Julii mensis nono, item die quarto Aprilis mensis celebritatis omnium Sanctorum a primis Vesperis, die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac die coelestis Patroni respectivae ecclesiae ubi reperitur sodalitas dictae archiconfraternitati legitime aggregata, et quo die singulis annis solemnis juxta tabulas instituti sodalium habetur adunatio, ab ortu usque ad occasum solis dierum hujusmodi propriam societatis ecclesiam, si adsit, secus cujusque curialem, ut superius dictum est, preces fundentes inviserint, quo ex hisce die id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX Maii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI,
NICOLAUS MARINI.

**IV. — Archisodalitas Missae Reparatricis civitatis Argentinensis indulgentiis ditatur.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PER similes Nostras Literas die xx Februarii mensis vertente anno Sodalitatem sub titulo Missae Reparatricis canonice erectam in Conventu Sororum Societatis Mariae Reparatricis civitatis Argentinensis in Archisodalitatem pro universo Imperio Germanico ereximus, nunc autem spirituali bono fidelium consulere volentes, qui nunc et in posterum Sodalitati eidem nomen dabunt suum, coelestes Ecclesiae thesauros quorum Nobis Altissimus tribuit dispensationem reserare idcirco censuimus, nimirum ut Archisodalitas tot tantisque nominibus optime de re christiana merita potiora iugiter capiat favente Domino incrementa. Quae cum ita sint de Omnipotentis Dei misericordia ac SS. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam: ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Archisodalitate Confratribus et Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam: denique iisdem nunc et in posterum similiter eandem in Archisodalitatem adlectis Sodalibus qui item sacramentali admissorum confessione expiati ac coelestibus epulis refecti die quo Dolorosae Virginis festum agitur, die festo S. Annae Matris Deiparae Virginis, Dominica post Octavam SSmi Corporis Christi, et feria quinta in Coena Domini a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi propriam Sodalitii ecclesiam si extet, secus cuiusque curialem singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo ex hisce die id egerint, pariter Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea dictis nunc et in posterum existentibus Societatis eiusdem Confratribus et Consororibus quoties corde saltem contriti iuxta Archisolidatis tabulas pietatis seu charitatis opus exercuerint, in forma Ecclesiae solita de poenalium numero sexaginta expungimus. Tandem largimur liceat Sodalibus ipsis, si malint, plenariis hisce hac partialibus indulgentiis vita functorum labes poenasque

expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxv Iunii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. ✠ S. NICOLAUS MARINI, *Substitutus*.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### DECRETUM

**quo conceditur usus Cappae magnae Praesulibus O. S. B. omnium Congregationum.**

ROMANI PONTIFICES non semel Religiosorum Ordines bene de Ecclesia et civili societate meritos, laudibus, honoribus privilegiisque honestarunt. Quod in primis erga Monachorum Nigrorum S. Benedicti Ordinem factum est, quippe qui, historia testante, in his occidentalibus oris, non modo totius monasticae vitae semen, sed etiam bonarum artium eximius vindex et cultor extiterit. Cum igitur Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas totius Ordinis S. Benedicti, a SSmo D. N. Pio PP. X postulaverit. ut usus Cappae magnae quo, ex S. Sedis privilegio, nonnulli Praesules dicti Ordinis fruuntur, omnibus capitibus Congregationum Monachorum Nigrorum confoederationi suae adscriptarum extenderetur, Eadem Sanctitas Sua, Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, peculiarisque suae benevolentiae pignus praefato inclito Ordini dare volens, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Iulii 1906, benigne concessit, prout praesentis Decreti tenore concedit, usum Cappae Magnae omnibus Praesulibus Congregationum eidem Ordini adscriptarum, ipsis Praesulibus indulgens ut ea uti valeant non modo in propriis ecclesiis, verum etiam in ecclesiis totius Congregationis cui praesunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae e Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 30 Iulii 1906.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

PH. GIUSTINI, *Secret.*

# S. CONGREGATIO CONCISTORIALIS

## AESINA (IESI). — CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICORUM.

Cum R. P. D. Joannes Baptista Ricci, Aesinae dioecesis episcopus, canonicis suae ecclesiae cathedralis ob jamdiu probatum eorum erga se studium, sedulamque quam in operibus ipsis commissis obeundis navant operam, aliquod benevolentiae suae testimonium praebere cuperet, SSmo Dno Nostro Pio PP. X, litteris die 2 Maii hoc anno datis, humiles porrexit preces ut iisdem facultatem induendi vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris ejusdem sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus episcopus sacra in pontificalibus facit, vel divinis officiis sacris vestibus aut cappa magna indutus interest, benigne concedere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis rebus Consistorialibus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, ad splendorem divini cultus augendum, atque in propensae suae erga Aesinae cathedralis ecclesiae canonicos voluntatis testimonium, quo ipsi animarum saluti curandae, aliisque muneribus obeundis alacriori in dies studio dent operam, oblatas preces benigne excipere dignata est.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Beatitudo Sua, omnes ac singulos cathedralis ecclesiae Aesinae canonicos actu existentes, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis et censuris, sive a jure sive ab homine, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem eorumque in perpetuum legitimis successoribus, facultatem benigne concedere dignata est ut sollemnioribus diebus anni festis, primae nempe classis ritus duplicis, aliisque quibus episcopus sacra in pontificalibus peragit, vel sacris vestibus aut cappa magna indutus divinis officiis adstat, intra limites Aesinae dioecesis, vestem talarem violacei coloris, absque tamen syrmate, cum zona coloris ejusdem, licite ac valide gestare possint ac valeant, servatis de jure servandis, praesertim ritualibus dispositionibus, et in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus idem SSmus Dnus Noster praesens edi jussit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, cujus executionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi in eumdem finem quamcumque aliam perso-

nam in ecclesiastica dignitate constitutam, committi voluit eidem R. P. D. Aesino Antistiti, et decretum ipsum inter acta Sacrae hujus Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae, hac die 19 Maii anno Dni 1905.

Pro R. P. D. Secretario:

JULIUS GRAZIOLI, *S. C. Cons. et S. Coll. Subst.*

## S. RITUUM CONGREGATIO

### ORDINIS CISTERCIENSIS.

**I. — In Kalendario Cisterciensium quaedam ritus elevationes ac variationes fiunt.**

Ad maiorem uniformitatem habendam cum Kalendario Ecclesiae Universalis, Rmus D. Amadeus de Bie, Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis, nomine quoque Capituli Generalis nuper coacti, a SSmo Domino Nostro Pio Papa X insequentes ritus elevationes ac variationes in Kalendarium ipsiusmet Ordinis inducendas, humillimis precibus expetivit, nimirum:

1° ut festum Sacratissimi Cordis Iesu ad ritum duplicem primae classis absque Octava elevetur, extendendo integrum Decretum diei 28 Iunii 1889 ad Breviarium Cisterciense;

2° ut festum Annuntiationis B. M. V. evehatur ad duplex primae classis sine Octava, recolendum una eademque die cum Ecclesia Universali, iuxta Decretum diei 23 Aprilis 1895;

3° ut festum Exaltationis S. Crucis ad ritum duplicis maioris elevetur, sicut obtinet in Ecclesia universali;

4° ut extendatur ad Breviarium Cisterciense Decretum diei 13 Augusti 1892, quo festum S. Ioseph Conf. Sponsi B. M. V. quoties impeditum occurrat Dominica Passionis aut quindena paschali, adsignetur diei fixae, tamquam propriae sedi.

Demum 5° ut normae quoad Orationes in Missis Defunctorum praescriptae per Decretum generale diei 30 Iunii 1896 extendantur ad Breviarium Cisterciense, firmis manentibus Rubricis de solemni Ordinis Tricenario.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro Praefecto, benigne precibus annuere dignata est: servatis ceterum peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## II. – DECRETUM

**quo erigitur in Basilicam Minorem Ecclesia B. Mariae Virginis Gratiarum prope Goritiam.**

Extat prope Goritiam, in vertice montis quem Sacrum appellant, coenobium continens Ordinis Minorum, celeberrima aedes sacra et vetustissima, sub titulo Beatae Mariae Virginis Gratiarum, jussu ipsius Deiparae, uti fertur, a fundamentis erecta piis cleri et populi Goritiensis impensis, atque anno 1544 Deo in honorem eiusdem Matris Gratiarum solemni ritu consecrata. Illuc non modo e comitatu Goritiensi, verum et finitimis quoque provinciis, piae peregrinationis causa Christifideles, fere numero quinquaginta millia, quotannis accedere solent, Dei Genitricis sacram Iconem in ara templi illius majori collocatam, vetustate ac prodigiorum fama insignem veneraturi, praesertim Dominica tertia post Pentecosten, qua die anno 1757 ex Capituli Vaticani decreto sacra eadem effigies aureo diademate coronata fuit. Quapropter idem templum non modo Romani Pontifices privilegiis atque indulgentiis locupletarunt, sed ipsi etiam Austriacae Domus Imperatores praeclaris admodum indultis condecorarunt.

Quae omnia animo reputans P. Fr. Placidus Fabiani, Minister Provinciae Sanctae Crucis Carniolae Ordinis Minorum, SSmo Domino Nostro Papae X supplicia vota, Rmorum Praesulum Ecclesiarum Goritien., Veglen. et Labacen. amplissime commendata, porrexit, exposcens ut memoratam ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum in Monte Sancto ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaretur; utpote quae vetustissimis ac celeberrimis ecclesiis Austriacae Ditionis ac praesertim Archidioeceseos Goritiensis merito accensenda sit, atque hujusmodi Basilicae nomine ab antiquis historiographis appelletur.

Sanctitas porro Sua, his precibus ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis peramanter deferens, ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum in Monte Sancto, sitam prope urbem Goritiam, Basilicae Minoris titulo ac dignitate cohonestare dignata est; cunctis eidem honorificentiis ac privilegiis attributis, quae Minoribus Almae Urbis Basilicis de jure competunt. Voluit tamen Sanctitas Sua ut super ejusmodi concessione Litterae Apostolicae expediantur in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Aprilis 1906.

A. Card. Tripepi, *Pro-Praef.*

D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## I. — DECRETUM.

**Numisma S. Benedicti, peculiaribus indulgentiis ditatum, adnexam non habet indulgentiam Portiunculae.**

PROCURATOR Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sequens dubium dirimendum exhibuit, nempe:

« Utrum numisma S. Benedicti iubilare, a s. m. Pio PP. IX per Litteras Apostolicas in forma Brevis, sub die 31 Augusti anni 1877, specialibus Indulgentiis ditatum, adnexam habeat Indulgentiam Portiunculae? ».

Et Emi Patres ad Vaticanum in Generali Congregatione coadunati, die 7 Augusti 1906, proposito dubio respondendum mandarunt:

*Negative.*

Quam resolutionem Emorum Patrum SSmus D. N. Pius PP. X in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 8 eiusdem mensis et anni, ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laod., *Secr.*

---

**II. — Tertiarii, qui religionem ingressi fuerint, non indigent nova receptione in Tertium ordinem cum ad saeculum per dispensationem redeant.**

RAPHAEL DELARBRE, Ordinis Minorum S. Francisci, Minister Provincialis Aquitaniae in Gallia, sequentis dubii solutionem ab hac S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita humiliter postulavit, nempe:

Utrum Religiosi votorum simplicium, qui ante ingressum in Religionem ad habitum Tertii Ordinis saecularis admissi, fuerant, ad saeculum, per solutionem a votis rite redeuntes, nova indigeant receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint?

Et Emi Patres, in Congregatione Generali, ad Vaticanas Aedes habita, die 7 Augusti 1906, respondendum mandarunt:

*Negative.*

In Audientia autem diei 8 eiusdem mensis et anni, Emorum Patrum sententiam, relatam ab infrascripto Cardinali Praefecto, S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae SSmus D. N. Pius Pp. X approbavit et confirmavit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

D. PANICI, Archiep, Laod., *Secr.*

### III. — Dubia circa indulgentias Tertiariis concessas.

Per Decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 Augusti 1903, concessum est, ut Tertiariorum in Communitate viventium et vota simplicia emittentium Ecclesiae aut Oratoria publica iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus perfruuntur Ecclesiae aut Oratoria publica respectivi primi et secundi Ordinis (1). Altero dein Decreto, sub die 22 Martii 1905, hoc indultum in favorem horum Tertiariorum et personarum cum ipsis in Communitate degentium extensum fuit etiam ad eorum Oratoria semipublica (2).

Nunc vero Procurator Generalis Ordinis FF. Capuccinorum, inspecto Decreto huius S. Congregationis, sub die 18 Augusti 1868, dubitavit, an huiusmodi indulta possint etiam extendi ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (scilicet Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum), quae etsi non sint in vera proprietate ipsorum Tertiariorum, ab ipsis tamen custodiuntur, qui eorum curam habent temporalem, et in iis sacras functiones sive publice sive privatim exercent.

Quare sequentia dubia proposuit dirimenda:

I. An Indultum, per Decretum sub die 22 Martii 1905, concessum, extendatur ad Ecclesias et Oratoria publica vel semipublica eorum Institutorum (Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Collegiorum, etc.), quae non pertinent ad Tertiarios praedictos, quorum tamen cura vel spiritualis vel temporalis (uti relate ad Congregationes Sororum verificatur) hisce Tertiariis concredita est?

Et quatenus negative:

II. An non expediat concedere, ut dictae Ecclesiae vel Oratoria, sive publica sive etiam semipublica, eodem Indulto gaudeant, saltem in favorem dictorum Tertiariorum et personarum eorum curae concreditarum, aut cum ipsis sub eodem tecto habitantium, ne Tertiariorum longe maior pars plurimis privetur Indulgentiis respectivi primi aut secundi Ordinis?

III. An non expediat indulgere, ut membra Congregationum Tertii Ordinis in Institutis (ex. gr. Xenodochiis, Orphanotrophiis, Scholis, etc.) degentia, in quibus non existunt Ecclesiae aut Oratoria nec publica nec semipublica, lucrari valeant Indulgentias Ecclesiis sui primi et secundi Ordinis concessas, ea conditione, ut loco Ecclesiae aut Oratorii primi et secundi Ordinis parochialem Ecclesiam visitent, quum Tertiarii saeculares Sancti Francisci, simile privilegium obtinuerint. (Decret. 31 Ian. 1903)?

IV. Iuxta Summarium Indulgentiarium Ordini FF. Min. Capuccinorum concessarum, ab hac Sacra Congregatione approbatum, « Altare maius omnium Ecclesiarum Ordinis gaudet Privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur, etc. ». Iam quaeritur, utrum hoc privilegium, vi Decreti huius S. Congregationis, die 22 Martii 1905, etiam extensum fuerit ad Altare maius Oratorii semipublici Congregationum Tertiariorum?

Et quatenus negative:

V. Utrum hoc privilegium Altaris saltem extendatur ad Altare maius Oratorii Xenodochii, in quo Tertiarii debite primo et secundo Ordini FF. Min. Capuccinorum aggregati ad infirmorum

(1) Cf. *Acta Pontificia* Vol. 1, pag. 270.
(2) Cf. *Acta Pontificia* Vol. 3, pag. 154, II.

assistentiam sive spiritualem sive temporalem degunt, et quidem vi indulti eidem Ordini concessi, quod ita sonat: « Religiosi, q... debitis cum licentiis ad infirmorum assistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis Conventibus moram haberent?

Et Emi Patres, in Generali Congregatione ad Vaticanum coadunati, responderunt, die 7 Augusti 1906:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad III. *Affirmative, et ad mentem; mens autem est, quod si in loco ubi degunt Tertiarii, adsit Ecclesia vel publicum Oratorium primi et secundi Ordinis, haec erunt omnino visitanda nisi distent nimis ab Institutis, quibus ipsi inserviunt, id est non ultra milliari spatium. His vero deficientibus, indultum concedi poterit, quo Ecclesia parochialis similiter non distans ultra milliarium visitari valeat, secus alia quaecumque Ecclesia, prout libuerit, adeunda, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad IV et V. Non-proposita.

De quibus omnibus facta relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. X in audientia habita a Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 8 Augusti 1906, idem SSmus Emorum PP. resolutiones approbavit et confirmavit, simulque petitam in II dubio extensionem, necnon indultum in III dubio propositum benigne concessit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 8 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laod., *Secr.*

---

## IV. — URBIS ET ORBIS — DECRETUM.

**Die festo SS. Cordis Jesu formula consecrationis, a Leone XIII s. m. statuta, erit recitanda: indulgentiis actus iste ditatur.**

Quo perennis extet memoria illius amplissimi Religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 Maii, augustissimo Cordi Jesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares, qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatae SSmo Dno Nro Pio Papae X, ut, apertis quoque Indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SS. Cordis, illum consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces Eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, et, summopere exoptans, ut in christifidelibus, erga sacratissimum Cor Jesu iam excitata pietas magis alatur, et cuncti per hunc consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis, necnon illis, in quibus idem festum agitur, coram SSmo Sacramento publicae adorationi exposito, formula consecrationis, ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniae in honorem SSmi Cordis erunt adiiciendae.

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piae caeremoniae, corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem suam orantibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali Confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam Indulgentiam clementer est elargitus; quas Indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 22 Augusti 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laod., *Secr.*

**V. — Indulgentia 300 dierum conceditur cuidam iaculatoriae preci ad SSmum Cor Iesu.**

Beatissimo Padre,

Il sacerdote Augusto Silj implora dalla Santità Vostra che voglia annettere l'indulgenza di trecento giorni alla seguente giaculatoria *toties quoties* sarà recitata.

« *Cuore divino di Gesù, convertite i peccatori, salvate i moribondi, liberate le anime sante del Purgatorio.* »

Che della grazia, ecc.

Iuxta preces in Domino.

Die 13 Iulii 1906.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 5 Nov. 1906.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# VICARIATUS URBIS

**Normae traduntur ad rectius Sororum Domus in Urbe regendas.**

*Alle RR. MM. Superiore*
*degli Istituti religiosi femminili di Roma.*

Il sottoscritto Cardinale Vicario di Sua Santità, allo scopo di prevenire inconvenienti che potrebbero facilmente verificarsi con grave pregiudizio degl'Istituti religiosi femminili di Roma, inculca l'esatta osservanza delle seguenti disposizioni:

1. Gl'Istituti religiosi femminili destinati all'insegnamento non apriranno in Roma nuove Scuole o nuovi Asili, senza averne ottenuto il permesso dalla Commissione Pontificia delle Scuole, per mezzo del Deputato Ecclesiastico del Monastero.

2. Le RR. MM. Superiore non si rivolgeranno a Maestre secolari per essere aiutate nell'insegnamento, senza il permesso del Deputato Ecclesiastico, al quale spetta assumere precedentemente le necessarie informazioni.

3. Non dovranno le Suore, siano esse professe o novizie o probande, frequentare le pubbliche scuole. Nei casi speciali ritenuti di assoluta necessità, il sottoscritto Cardinale Vicario si riserva di esaminarli accuratamente, e decidere se si debba dare o negare il permesso richiesto. Tale proibizione si estende anche alle Educande che dipendono dalle Religiose. Si eccettuano i Pensionati istituiti esclusivamente per signorine che frequentano le scuole anzidette, per i quali verranno date norme speciali.

4. Non si riceveranno donne che bramino di vivere ritirate in una Casa religiosa, senza il permesso in iscritto del Deputato Ecclesiastico, il quale esaminerà le singole domande, per giudicare se siano degne di essere prese in considerazione, e non concederà la licenza, senza prima avere assunte da fonti sicure le necessarie informazioni. Trattandosi di Monasteri di stretta clausura, si dovrà chiedere la licenza alla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari.

5. Le RR. MM. Superiore non manderanno le Suore alle pubbliche botteghe a fare le spese giornaliere per la cucina, ma dovranno servirsi per questo ufficio di probe persone secolari.

6. Si ammoniscono severamente le Superiore di non permettere che le Suore vadano abusivamente per le vie di Roma, specialmente nelle ore di notte.

7. Non è permessa la questua in Roma, senza averne ottenuta la licenza in iscritto per mezzo del Deputato Ecclesiastico. Le singole domande saranno diligentemente esaminate, e quando sarà il caso di concedere la chiesta licenza, si daranno insieme norme opportune per rimuovere il pericolo di deplorevoli inconvenienti.

Per l'esatta osservanza di queste disposizioni confida il sottoscritto nello zelo delle RR. MM. Superiore, sopra le quali e sulle Comunità da loro dirette invoca di tutto cuore le più elette benedizioni del Signore.

Dal Vicariato, 17 agosto 1906.

PIETRO *Card. Vicario.*

FRANCESCO Can. FABERI, *Secr.*

# APPENDIX

**Schema di Regolamento per la custodia e l'uso degli Archivi e delle Biblioteche ecclesiastiche.**

(Cfr. *Acta Pontificia*, Ann. IV, pag. 391-395).

*Prosegue:* PARTE I. — **Ordinamento, inventarî e cataloghi.**

11. Quindi per i *manoscritti* si dovrà indicare:
*a*) la segnatura o numerazione,
*b*) la materia (se membrana o carta),
*c*) il numero complessivo dei fogli (ff. 359) e la loro misura in millimetri (per es., mm. 235×109),
*d*) l'autore ed il titolo dell'opera o delle varie opere contenute, ed in qual pagina queste comincino; e - quando nè autore nè titolo si conoscono - l'argomento (per es. « Libro di teologia » o « Libro di medicina »), la lingua e le parole iniziali (pigliandole più tosto dal primo capitolo che dalla prefazione, la quale non di rado manca) e le finali caratteristiche (1) e - se lo scritto è mutilo - le prime parole del foglio a principio e le ultime dell'ultimo.

(1) Se il principio è molto comune, come è ad es. de' libri e sermoni esordienti con una citazione biblica o delle vite dei santi, allora deve aggiungersi anche il principio delle parole proprie dell'autore o della narrazione. Così per la finale, si indichino le parole precedenti alle solite dossologie.

---

## VERSIO LATINA.

**Statuti forma ad custodiam atque usum Archiviorum Bibliothecarumque ecclesiasticarum.**

PARS I. — **Ordinatio, Inventaria, Catalogi.**

11. *Manuscripta* dein hisce recensenda sunt:
*a*) signatura aut numeratione;
*b*) materia (an membrana aut papyro);
*c*) numero foliorum omnium (ff. 359) eorumque mensura millimetris comparata (ex. c., mm. 235 × 109);
*d*) auctore ac operis titulo vel variorum operum quae in manuscripto continentur, atque quanam in pagina haec initium habeant; et, cum neque auctor neve titulus cognoscantur, argumento (ex. c., « Liber Theologiae » vel « Liber medicae artis) », idiomate verbisque initialibus (eadem sumendo potius ex priori capite quam ex praefatione, quae haud raro deest) atque verbis finalibus peculiaribus (1) et cum scriptum mutilum inveniatur, priora verba prioris folii et postrema postremi.

(1) Cum initium valde est commune, sicut ex. gr. in libris sermonibusque biblica citatione exordientibus aut ex sanctorum vitis desumpta, tunc et initium adiungendum verborum quae ipse auctor adhibet aut narrationis. Eodem ferme modo in fine verba referantur quae consuetas doxologias praecedere solent.

*e*) il secolo (sec. XIII) possibilmente,
*f*) lo stato di conservazione (buono, mediocre, cattivo, pessimo),
*g*) la legatura, se antica o con stemmi o altri segni di possessori.

Il seguente modello potrà adottarsi con vantaggio.

| | |
|---|---|
| 76. sec. XV, membran., 261 x 179, ff. 53.<br>*S. Gregorio M.*, Liber regulae pastoralis.<br>*Inc. c. 1* Nulla res doceri presumitur; *expl.* operibus clament.<br>F. 1 una grande miniatura: S. Gregorio scrive il suo libro. I ff. 13, 14 sono mutilati. F. 35 è tagliata una iniziale.<br>Ms. e legatura in ottimo stato.<br>Al margine inferiore del f. 1 lo stemma del card. Giordano Orsini. | 97. sec. XIV, cart., 405 x 296, ff. 230.<br>Alcune opere di *S. Anselmo* di Cantorbery, di *Riccardo* e *Ugone da S. Vittore*<br>1. *S. Anselmo*, (f. 1) *Proslogion; inc. c. 1* Eia nunc homuncio; *expl.* donec intrem in gaudium. (f. 37) *Monologium* de divinitatis essentia; *inc. c. 1.* Si quis unam naturam; *expl.* ineffabiliter trinus et unus.<br>2. *Riccardo da S. Vittore*, (f. 83) *de trinitate; inc. c. 1* Si ad sublimium; *expl.* cum personarum pluralitate. (f. 190) de gratia contemplationis sive *Beniamin maior; inc. c. 1* Mysticam Moysi arcam; *expl.* otiosis locuti sumus.<br>3. *Ugone da S. Vittore*, de laude caritatis; *inc. praef.* Cogitanti mihi frater; *expl.* mansionem in nobis facere.<br>Stato del ms. e della legatura mediocre.<br>Nei ff. 30-35 sono tagliati i margini bianchi. I ff. 223-230 hanno sofferto dall'umidità. |

---

*e*) saeulo (saec. XIII) quoad fieri potest;
*f*) conservationis statu (bona, mediocri, mala, pessima);
*g*) religatura, an antiqua aut stemmis aliisve signis possessoris ornata.

Modulus heic relatus utiliter adhiberi potest. (*Cf. modulum textu italico allatum hac in ipsa pagina*).

12. Per le *pergamene* degli Archivî s'indicherà:
*a*) in prima linea a principio, la segnatura,
*b*) nella stessa linea alla fine, il luogo e il tempo, e - negli atti notarili - il notaio,
*c*) In nuova linea, la natura d'essa: lettera, diploma, bolla, atto di vendita, permuta, conferma,
*d*) lo scrivente o l'attore principale,
*e*) la persona o corporazione a cui fu scritto, donato, ecc.;
*f*) In nuova linea, le prime e le ultime parole caratteristiche;
*g*) In fine, la materia, dimensioni e condizioni presenti della membrana o carta,
*h*) e se ci sia il sigillo, piombo o almeno se ne rimangano i segni, come avanzi e fori della corda.
Così ad esempio:

| | |
|---|---|
| *A. 71. Todi. 2 Genn. 1371.*<br>Ordine del vescovo di Todi al priore dei Domenicani di Firenze di consegnare al portatore alcuni danari depositati nel suo convento.<br>*Inc.* Iam dudum; *Expl.* gratum et ratum habebimus.<br>Membran., alt. 350, larg. 285.<br>Originale. Nel margine inferiore i fori per la corda del sigillo. | *C. 17. Tusculum, 24 Decembre 1171.*<br>Alessandro III prende sotto la protezione apostolica il monastero di San Salvatore a Isola e conferma i beni e privilegi.<br>*Inc.* Quoties illud a nobis petitur; *expl.* premia eterne pacis inveniat.<br>Membran., alt. 380, larg. 225.<br>Copia del sec. XIV. |

---

12. Quoad vero Archiviorum pergamenas haec recensenda sunt:
*a*) in priori schematis linea, ab initio, signatura;
*b*) in eadem linea, in fine, locus et tempus, acsi de notariorum actis agitur, notarius;
*c*) in nova schematis linea, natura pergamena: Epistola, diploma, bulla, actus venditionis, permutationis, confirmationis;
*d*) scriptor aut praecipuus actor;
*e*) persona aut ens morale, cui datum est, donatum, etc.;
*f*) in nova schematis linea, priora atque postrema peculiaria verba;
*g*) in fine schematis, materia, dimensiones atque actuales conditiones membranae vel chartae;
*h*) ac an adsit sygillum, plumbum aut saltem an eiusdem conspiciantur signa, prout reliquiae ac *cordulae* fori.
Exemplum pergamenae recensendae: (*Cf. schema textu italico relatum hac in ipsa pagina*).

13. Per gli *stampati* s'indicherà:
*a*) la segnatura,
*b*) l'autore o, se il libro è anonimo, il primo sostantivo del titolo come parola d'ordine, per es. « Compendio (breve) della Storia ecclesiastica »,
*c*) il titolo, che può, se troppo lungo, essere abbreviato, ritenendo però, quanto è possibile, le parole stesse del frontespizio,
*d*) il luogo e l'anno di stampa (sempre in cifre arabiche).
*e*) lo stampatore o editore,
*f*) il numero dei volumi,
*g*) il sesto: fol. 4°, 8°, 12°.

Così ad esempio:

| | |
|---|---|
| Liturg. III. 3. 4.<br>*Mabillon*, Ioan. et *Germain*, Mich.<br>Museum Italicum.<br>Lutetiae Par., 1687-89, 2 voll., 4°. | Stor. II. 7.<br>*Compendio* (breve) della storia ecclesiastica.<br>Firenze, 1870, 4°. |

14. Per i libri anonimi e pseudonimi, nelle schede di rimando si seguano le norme spiegate ed osservate nella nuova edizione dell'*index librorum prohibitorum*, ovvero quelle simili consigliate dalla Società Bibliografica Italiana.

15. La minuta dell'inventario venga, per maggiore comodità, scritta in apposite schede di carta consistente, da conservarsi po-

---

13. Cum de documentis typis impressis agatur haec recensenda:
*a*) signatura;
*b*) auctor aut, cum liber sit anonymus, prius tituli substantivum quasi ordinis verbum, ex. gr. « Compendium (breve) Historiae ecclesiasticae »;
*c*) titulus, qui, si longior, breviari potest, sed verba ipsius frontis, quoad fieri potest, referantur;
*d*) locus ac impressionis annus (semper numeris arabicis relatus);
*e*) impressor aut editor;
*f*) voluminum numerus;
*g*) sextus: fol. 4°, 8°, 12°.
(*Ex. gr. cf. schema textu italico relatum in hac ipsa pagina*).

14. Si de anonymis vel pseudonymis libris agatur, in schedulis normae adhibeantur quae statuuntur ac servantur in nova editione *Indicis librorum prohibitorum* aut quae a societate bibliographica Italica suggeruntur.

15. Prima inventarii exemplaria, commodius, scribantur peculiaribus in schedulis ex papyro consistenti, ut dein serventur in

scia in iscatole di cartone o di legno, secondo che sarà detto al n. 18. L'inventario stesso poi si ricopii al netto in fascicoli di carta a mano, e si rileghi solidamente. Se però il fondo va ampliandosi, allora i gruppi in aumento abbiano ciascuno un volume apposito, affinchè possa facilmente essere accresciuto a seconda del bisogno.

16. L'inventario, come base tanto della regolare consegna da farsi al Bibliotecario o Archivista quanto delle necessarie periodiche revisioni (v. Parte II, n. 6-8), e come prova di proprietà e valido mezzo di riconoscimento degli oggetti smarriti o sottratti, *deve tenersi in modo che non possa essere menomamente alterato*. Quindi, se ne esiste una sola copia, siccome questa deve servire anche agli studiosi, non si registrino in essa le mancanze osservate nelle revisioni o altrimenti; ma bensì in due volumi a parte, da tenersi sotto chiave l'uno dal Bibliotecario od Archivista, e l'altro dal delegato capitolare incaricato delle consegne, revisioni, ecc.

17. Riordinando le schede dell'inventario già copiato, si ricava con facilità il catalogo alfabetico degli autori, ecc.; catalogo per la sua comodità ricercato ed usato più comunemente, e quindi da copiare e rilegare solidamente, come s'è detto dell'inventario al n. 15.

18. Nè dopo ciò si gettino le schede come inutili, ma si conservino in ordine e possibilmente si fissino, trapassandole in un foro già preparato con un bastoncino o filo di metallo e assicurandole con un lucchetto. In tal maniera le schede si potranno facilmente accrescere dal bibliotecario, impunemente usare dagli studiosi, e risparmieranno una seconda copia del catalogo.

---

capsulis papyraceis vel ligneis, prout in n. 18 proponetur. Ipsius autem inventari duplex fiet copia in fasciculis papyraceis atque solide religabitur. Si vero documenta et libri augmentum habitura sunt, tunc sectiones excrescentes proprium quaeque habeat volumen, ut facile adiungantur schedulae iuxta opportunitatem.

16. Inventarium quippe quod basis est sive rectae traditionis faciendae Bibliothecario vel Archivistae sive revisionum, quae statis temporibus erunt omnino agendae, (cf. Part. II, n. 6-8), sive ad comprobandam proprietatem et valide identificandas res deperditas aut ablatas, *ita erit custodiendum ut minime alterari possit*. Proinde, si unum tantum extet ipsius exemplar, quia hoc et studiosis inservire debet, ne in ipso referantur omissiones post revisiones vel aliter habitae, sed in binis voluminibus clave custodiendis altero a Bibliothecario vel Archivista, altero a viro capituli delegato ad traditiones, revisiones etc., faciendas.

17. In inventarii schedulis iterum ordine disponendis, facile catalogus alphabeticus auctorum etc. redigitur, qui communius commodiusque requiritur et adhibetur, quique proinde in duplici exemplari redigendus solideque religandus erit, prout de inventario (n 15) edictum est.

18. Neque, post haec, schedulae quasi inutiles deiiciantur, sed ordinate serventur atque, si fieri potest, caute perforatae cuidam baculo aut filo metallico confidantur et sub clave custodiantur. Quo sane modo schedulae facile a bibliothecario augeri possunt atque a studiosis impune adhiberi, et altera catalogi copia minime opus erit.

19. Gl'inventarî sommarî dei manoscritti e delle pergamene una volta compilati con esattezza e competenza, potranno, secondo le norme adottate nei migliori Istituti, essere perfezionati in guisa da riuscire veramente scientifici e quindi pubblicarsi col dovuto permesso dell'Istituto; cosa questa che tornerà molto onorifica per i possessori e per l'autore, ed assai vantaggiosa e comoda per gli studiosi.

La direzione della Biblioteca Vaticana è pronta a dare gli schiarimenti e l'aiuto che può al compilatore, e ad interessarsi perchè il lavoro possa essere stampato senza spesa degli Istituti non provvisti. *(Continua).*

---

19. Manuscriptorum ac pergamenarum inventaria summaria semel exacte recteque redacta poterunt, iuxta normas optimis in institutis adhibitas, adeo perfectius redigi, ut vere scientifica evadant, ac, cum Instituti licentia, edi; quod magno erit honori sive possessoribus sive auctori, ac studiosis multum afferet utilitatis et commodi.

Bibliothecae Vaticanae Directio libentissime huiusmodi inventariorum redactoribus dilucidationes auxiliumque praebebit, curamque habebit ut opus typis imprimatur absque Institutorum pauperum expensis. *(Prosequetur).*

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

**De Sacramentalibus.**

(Cf. *Acta Pontificia*, vol. IV, pag. 394).

*Continuatio:* § 3° - *De Benedictionibus.*

Alia est « *absolutio generalis pro regularibus cujuscumque ordinis hoc privilegio fruentibus* » (Brev. Leonis XIII 7 julii 1882 *Quo universi*) ab ecclesiae censuris, votorum violatione et sacramentali omissa satisfactione Christi fideles tertii ordinis seraphici membra absolvuntur novies in anno (festis Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, SS. Jesu nominis, Immaculatae Mariae Concept. S. Joseph B. Mariae Sponsi, S. Francisci stigmatum, S. Ludovici regis, S. Elisabethae) tum privatim post sacramentalem absolutionem a quolibet sacerdote tum solemniter extra confessionem a sacerdote qui III S. Francisci ordini nomen dederit et hanc a Superiore I ordinis facultatem obtinuerit recipere valet, omnino tamen servata a Leone XIII in supra notato brevi *Quo universi* formula.

Puerperae legitimo tantum nuptae conjugio post partum, honoris gratia, benedicuntur. Hujusmodi benedictio his negatur:

*a*) quae tum ex noto et pervulgato adulterio tum extra matrimonium pepererint; *b*) mixto quae copulantur matrimonio quarum nati in acatholica religione educari velint; *c*) quae civili tantum matrimonio junguntur aut quae catholicae non sunt etsi filii catholico ritu sint educandi. Ex certa Ecclesiae lege nequaquam hujusmodi benedictio praecipitur sed pie commendatur ut, B. Virginem Matrem imitata christiana mater Deo, qui e partus periculis eam liberaverit, Ecclesiae membrum Sanctique Spiritus sedem et coelo destinatum civem ei dederit, gratias actura et christianae natorum institutionis gratiam petitura templum adeat.

*a*) Quum igitur valuerit mulier benedicenda genu ante Ecclesiae fores, non quasi indigna, sed ut Dei matrem imitetur, ardentem cereum - fidei suae et christianae filii institutionis sponsionem - manu tenens a Sacerdote superpelliceo et stola albi coloris induto « ter in modum crucis » lustrali aqua aspergitur. *b*) Post Vers: « Adiutorium » recitato psalmo XXIII cum sua antiphona, sinistram stolae partem ad mulieris manum porrigens puerperam in ecclesiam introducit « Ingredere », inquiens etc,; *c*) Mulierem inde genu coram altari flexo, quum versiculos et orationem sacerdos stando legerit, denuo acqua benedicta aspergit « Pax », inquiens, « et benedictio etc. ».

Haec benedictio, quae puerperae non negatur etsi proles mortua fuerit sine baptismo, « fieri debet a parocho, si expetitus ipse fuerit, potest autem fieri a quocumque sacerdote si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico certiore facto superiore ecclesiae » (S. R. C. 13 Jun. 1893). Alicubi pia et laudabilis prolis ad ecclesiam deferendae viget consuetudo ut una cum matre benedicatur Deoque offeratur.

Praeter personas ab Ecclesia etiam res, quas homo possidet vel adhibet, ut adversa sustineat, pericula removeantur, bona adducantur, propria benedictione donantur. Eas continet rituale romanum.

### § 4° - *De ecclesiastica sepultura.*

Ecclesia hominem ad sepulchrum, imo ad divinum usque tribunal prosequitur. Mortuorum cadavera excipit, ad sepulchrum ducit, sepulturae locum benedictione ditat, sacrificia et preces pro defunctis offert, expiationis post obitum doctrina, resurrectionis mortuorum fide nedum humani corporis - Spiritus Sancti templi - dignitate nititur. Hanc fidem apte caeremoniis quibus christianam comitatur sepulturam Ecclesia profitetur.

Crux enim, a qua omnis salus pendet, per quam vita functum tentatorem subegisse et cum Christo triumphaturum Ecclesia

sperat, mortui capiti apponitur ejusdemque feretro praefertur. A sinistris « castri doloris » vexillum adeptae victoriae et gloriosae resurrectionis symbolum comitatur. Lumina portantur ut ejus qui filius lucis vixisse creditur corpus, Spiritus S. templum honoretur precesque exprimantur ut ejus anima in perpetua fulgeat luce et corpus in eadem resurgat. Lustralis denique aquae aspersio tum Ecclesiae omina significat ut mortui anima magna judicii die purificata et sancta inveniatur, tum a levioribus expedit peccatis, tum denique « omnem immundorum spirituum praesentiam arcet ».

Christianae sepulturae non idem adhibetur ritus pro adultis qui pro parvulis adhibetur. Adulti mors et exequiae christianae menti rigidi in primis Dei judicii memoriam afferunt, luctum quidem metumque ex divina sanctitate et justitia provocant, at eaedem debitae ex peccatis poenae veniam a divina pietate christianam consecuturam intercessionem spem ingerunt. Orationes igitur quae, dum adultus terra contegitur, funduntur humanae fragilitatis lamentationes videntur et assidua et ardens obsecratio ut misericordia et gratia mortuo concilietur.

Totus vero contra est « ordo sepeliendi parvulos qui ante rationis usum vita post baptismum decesserint ».

Nec luctus, nec fletus his debentur; divina enim gratia qua in baptismate infans indutus fuerat ipsi permanet et peccandi facultate non praeditus puritatem integritatemque servavit. In nullam exinde poenam incidit nec ulla indiget intercessione. Potius conicere licet parvuli animam ex Jesu Christi meritis Paradisi civem divina gaudere voluptate. Non moeroris igitur, sed laetitiae sunt parvulis sepeliendi ritus et Deum laudibus celebrant qui animam ab omnibus terrenae peregrinationis aerumnis eripuerit a periculo baptismi gratiam amittendi liberaverit, citius, quam ipse meruerit, aeterni regni corona ditaverit. Laetus inde vestium color et psalmorum delectus qui Dei laudes praedicant et orationem quae eandem quam puer sortem superstitibus implorant. Ceterum innocentis etiam infantis cadaver aqua lustrali aspergitur ut pura et innocens anima ad Auctorem suum quum redierit cum suo corpore, a corruptione aliquando reverso, Deum videat. Laeto huiusmodi ordine sepeliuntur ii tantum pueri qui ante usum rationis vita functi sint nec culpam, etsi levissimam, admiserint ut continuo post mortem beato Dei aspectu gaudeant et nullo intercessionis suffragio indigeant. At in puero qui ad rationis usum pervenerit, qui culpae etsi « modo tantum imperfecto » capax fuerit et poenitentiae et Extremae Unctionis Sacramenta receperit aut recipere valuerit et debuerit, huiusmodi pro parvulis sepulturae ritum adhibere non licet. Huic ordo sepeliendi adultos est adhibendus. Lex igitur esto: puer qui nondum

septimum aetatis annum egressus, vita functus fuerit ut « parvulus », qui expleverit ut « adultus » sepeliendus est. Tum tantum casus excipiendus quum malitia aetatem praevenerit certissimeque puer peccaverit. Quum e contra saeplus visus fallitur nec quae satis esse videatur de mentis statu certitudo haberi liceat, puero qui, etsi rationis aetate superata, omnino innocens videretur quum obierit, ordo sepeliendi adultos adhibendus est. Pueros qui iam ad discrimiminis et consilii annum pervenerint et peccandi facultatem fuerint assecuti parvulorum ritu sepeliendi consuetudo aperte nedum Ecclesiae legibus animarum saluti repugnat. Quum enim ritus parvulos sepeliendi defunctorum animabus nihil prosint, huiusmodi pueri intercessione, qua forte valde indigent gravi iniuria privantur.

« Funus deferendum est uti ritualia praescribunt vel manibus vel super humeros » at « toleratur usus currus super quo imponatur feretrum equis vehendum ad ecclesiam et coemeterium » atque « parochus et clerus funus ducere possunt sacris vestibus induti erectaque cruce » (S. R. C. 5 Mart. 1870).

Exceptis Ecclesiae et rei publicae principibus, ex hodiernis legibus in ecclesiis sepulturae vetantur. Sacerdotes et clerici « cuiuscunque ordinis » quantum liceat a laicorum fossis separantur et in decentiori loco Ecclesiam vel maiorem crucem propiore locantur.

Quum ex hodiernis legibus Ecclesiae in sepulchra iura valde limitentur ne Christi fideles ex leviori sacrorum aestimatione offendantur, ne autem fides ex rigidiore legum observantia odium pariat prudentissimae in ecclesiastica sepultura cautiones adhibendae sunt. Ecclesiastica sepultura, ex caritatis vinculo quo Ecclesiae membra inter se iunguntur derivatur ut honoris ius iis concedatur qui Ecclesiae filii obierint, iis negetur qui nunquam eius fuerint aut in morte Ecclesiae communionem respuerint. Neganda igitur. I. Omnibus qui extra ecclesiasticam communionem mortui sunt: *a*) non baptizati etiam si cristianorum filii certo sine baptismo vita functi (in dubio conceditur); *b*) publice excommunicati et nominatim interdicti qui nulla ante mortem poenitentiae indicia dederint aut aliquod serium reconciliationis cum Ecclesia desiderium non expresserint; *c*) haeretici, schismatici, apostatae qui certissime sectae nomen dederint et in ea obierint (haereticorum filii dummodo proprie sectae non adhaeserint ab Ecclesia sepeliuntur). II. Ecclesiae membra qui in publico peccati statu mortui fuerint: *a*) qui in singulari certamine ceciderint etiamsi ante obitum « non incerta » dederint poenitentiae signa; *b*) voluntaria morte decessi qui omnino sui compotes, scientes et volentes manus sibi intulerint et ante mortem poenitentiae signa non dederint. In dubio sepultura conceditur absque ulla solemni-

tate; *c*) qui in praesenti mortis periculo, affirmata voluntate et coram testibus oblata moriturorum sacramenta respuerint; *d*) qui denique Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta non receperint et, ex pervulgata fama, impoenitentes decesserint.

Coeterum parochus nunquam, inscio superiore, aut quum eum adire tempus desit, saltem prudentis collegae non requisito consilio, Ecclesiae sepulturam neget.

§ 5° - *De rerum dedicatione.*

Ex Ecclesiae lege unaquaque die dominica « et quandocumque opus fuerit » aqua consecratur ut pura et sancta contra Satanae incursus nos servet et benedictionem impertiatur. Huiusmodi vis exorcismis et precibus ab Ecclesia praescriptis et symbolica salis et aquae mixtione illustrantur. Commixtio fit pugillo salem in crucis formam ter aquae superfundendo dum tres divinae Trinitatis personae invocantur ut mundantem et consecrantem aquae virtutem ex Deo tantum per Iesu Christi merita derivari significetur. Aquae vero benedictione praecipue exposcitur: *a*) mali inimici propulsatio et eiectio; *b*) pius doloris et caritatis motus quo leviores remittuntur culpae; *c*) liberatio imbecillae et infirmae valetudinis, *d*) procellarum, grandinum, sterilitatis etc. depulsio; *e*) animi et corporis salus, Sancti Spiritus tutela etc. Magnas has virtutes experiri et benedicta aqua etiam privatim uti Christi fideles Ecclesia desiderat, eamque publice uti praecipuam dedicationum partem adhibet et ad templi fores ut ingressi et egredientes ea utantur fideles propria vasa collocat, illa infirmos, mortuos, sepultos aspergit et praesertim omnibus diebus dominicis solemnius aqua huiusmodi populus aspergi iubet ut proxime salutis hostem et cuncta quae devotionem turbant cohibeat populum a levioribus purificet culpis ut divina uberius mysteria celebret et praesertim resurrectionis fides augeatur. Dies enim dominicus praeter alios dies festos Christi Iesu et idem mysticae nostri cum Christo resurrectionis, quae in baptismata peragitur, memoriam renovat. Solemnis igitur mundantis et consecrantis aquae benedictae aspersio unaquaque die dominica baptismatis mysteria quae plane nos abluerunt et sanctos reddiderunt nostramque cum Christo resurrectionem perfecerunt ad mentem reducit ut gratias Deo agentes baptismatis vota renovemus. At quum vera Christi et mystica nostri cum illo resurrectio, quae unaquaque totius anni die dominica commemoratur, Paschae in primis tempore celebratur. Ea igitur dominicis Paschae diebus aqua aspergimur quae solemniori sabati sancti ritu consecratur per quam in baptismo a peccati morte resurreximus ut Redemptori nostro a quo mystica derivatur redemptionis aqua debitas gratias

ipue agamus. Versiculus inde « Vidi aquam... » etc. ps. » pro versiculo « Asperges » et ps. « Miserere » sub-

ae purificationis festo, cerei benedicuntur ut dies s qui in templo a pio sene Simeon in ulnas ac- . revelationem gentium et gloriam plebis suae, ..tiatus, commemoretur. « Candelae enim, quae ..nbus accensae dum legitur Evangelium et iterum ..em Sacramenti usque ad communionem » symbolice ..n adumbrant qui, mundi lux et vita, vitam et gratiam ..s communicat et, Ecclesia sua intercedente, quod per cereos mystice significatur re in nos adducit.

Cinerum consecratione et impositione, feria IV post Dom. quinquag. maioris poenitentiae tempus - quadragesima - dedicatur. Cuducarum et fluentium rerum cinis memoriam reducit; salutares inde poenitentiae sensus ne dum significat efficaciter conciliat.

Primis Ecclesiae temporibus qui publice poenitentiam agebant translaticio more, miserabilibus caeremoniis et precibus quadragesimae initio cinere conspergebantur. At quum omnes peccaverint omnesque inde poenitentiam agere necesse sit, antiquioribus etiam Ecclesiae temporibus etiam alii - sacerdotes et laici, viri et mulieres - sacra ineunte quadregesima, cinere capita conspergendo solemnioris dabant poenitentiae initia.

Palmarum benedictionis triplex est significatio: *a*) historica: Jesu enim Christi nostram per passionem et mortem suam redemptionem consummaturi solemnem in Jerusalem ingressum eiusdemque resurrectionis victoriam ad mentem revocat; *b*) prophetica: Eius in coelestem Jerusalem gloriae triumphum inculcat; *c*) mystica denique ut per res adversas Redemptoris vestigia premere admoneamur nosque per eum et in eo de morte victores eiusdemque gloriosae resurrectionis potienda eiusdemque in coelum triumphi consequendi spe per preces foveamur.

*Candelae, cineres, palmae* in quacumque cathedrali, collegiata parochiali (etiam filiali) benedicuntur. In ecclesiis minoribus in quibus sacri fere semper ministri desiderantur, ritus adhibentur qui a Benedicto XIII in proprio memoriali praescribuntur. Si cantores desint, partes quae canendae forent, clara voce recitantur. Praecipue benedictio semper principalem praecedat oportet missam quae ab ipso sacerdote qui benedicit ceneris (palmes, candelas) recitatur necesse est. Si SS. Sacramentum pro oratione XL horarum expositum maneat, benedictio in minori altari perficitur at intermittitur processio.

Ab *ignis* benedictione liturgia sabbati sancti initium sumit. Ignis qui ex silice est excutiendus et extra Ecclesiae fores conse-

cratur prae omnibus nedum est resurgentis Redemptoris imago, sed etiam quia ardet divinae caritatis in hominum animis accensum ignem adumbrat; quia vero lucet, mentes divinae veritatis luce illustratas significat. Quod autem natura sua ignis symbolice docet, post consecrationem « coelestibus desideriis inflammat », « lumine accendit et illuminat igne caritatis », « contra ignita tela inimici adiuvat ».

# BIBLIOGRAPHIA

## I.

Deharbe (P. Giuseppe). **Spiegazione del Catechismo grande** illustrata con esempi, ossia manuale per la istruzione catechistica e libro di lettura per le famiglie cristiane. - Nuova edizione riveduta e disposta dal sac. Giuseppe Perardi secondo l'ordine del Catechismo prescritto dal S. Padre Pio X. - Volume primo: *Del Credo* - Primo articolo del Credo. — Roma, F. Pustet, 1907.

Ob plurimos qui hodie diffunduntur errores contra Catholicam Religionem, nostris temporibus omnino requiritur ut apprime apprehendamus nostrum Catechismum eumque omni studio et cura sciamus, ut efficaciter muniamur adversus errores ipsos, qui scientiam vitamque nostram minantur.

Huic fini optime facit satis *Catechismus* a cl. Deharbe expositus, opus in suo genere revera classicum omnibusque notum sub appellatione *Magni Catechismi*.

Nova eiusdem operis editio nuper incipitur a Domo Libraria Friderici Pustet, de religione optime merita, curante cl. sacerdote Iosepho Perardi qui omnia revisit, non pauca correxit viterque disposuit, ut opus ipsum melius responderet modernis exigentiis nec non voluntati Summi Pontificis Pii X.

Hinc ordo, a Deharbe positus in priori editione, nunc fere ex integro a Perardi mutatur, quo aptius explicatio respondeat novo Catechismi textui edito iussu ipsius Pontificis.

Opus proinde est omnibus numeris absolutum et plurimos in populo christiano bonos fructus, iuvante Deo, pariturum est, auspice Apostolica Benedictione quam auctori et editori impertivit SSmus Dominus, qui ipsius operis dedicationem benigne excipere dignatus est, hanc epistolam cl. Perardi remittens.

N. 1069. Vaticano, 3 ottobre 1906.

« Molto Reverendo Signore,

« Godo parteciparle che il Santo Padre accetta ben volentieri la dedica della ristampa del Catechismo Grande del P. Giuseppe Deharbe, riveduto e disposto conforme all'esigenze odierne e secondo l'ordine del Catechismo prescritto da Sua Santità.

« Ben degna al certo di encomio è la ristampa di un'opera da tutti altamente commendata, sia per profondità di dottrina e ricchezza e erudizione sacra e profana, sia per copia di fatti e di esempi opportunissimi.

« Nella fiducia che adeguato al pregio di siffatta opera sia per riuscire il lavoro con lieti auspicî intrapreso da Lei e dalla Libreria Pontificia del signor Federico Pustet, Sua Santità imparte con effusione di cuore a Lei ed agli egregi Editori, qual pegno dei più eletti favori celesti, una speciale Benedizione.

« Con sensi di distinto ossequio ho il piacere di segnarmi

di Lei, molto Reverendo Signore,

« Devotissimo Servo
« GIOVANNI BRESSAN
« *Capp. Segr. di S. S.* »

« *Molto Reverendo Signore*
« *D. Giuseppe Perardi* ».

Sex voluminibus in 8° magno haec nova editio constabit nec non duobus voluminibus de Religionis historia agentibus, quibus titulus « *Storia della Religione* ».

Pretium integri Catechismi erit Lib. 18; pretium Historiae Religionis Lib. 6.

Subnotatio tamen totius Catechismi fiet Lib. 15, itemque Historiae Lib. 5; pretium tamen subnotationis iam a priori volumine erit mittendum. Post editum quartum volumen non amplius excipientur subnotationes.

Hisce admodum favorabilibus conditionibus non dubitamus quin omnes nostri subnotatores et lectores opus tam pretiosum sibi comparent. D. Q.

II.

**Theologia Moralis** (3. partes). — auctore JOSEPHO ALBERTI *s. Theol. et utr. iuris doctore, canonico theologo, professore s. Theol. dogmat et moralis in ven. Seminario Aquipendiensi, etc.* — Roma, 1906.

Cl. auctor, postquam ediderit THEOLOGIAM PASTORALEM in 5 partes distrtibutam, cuius praecipua laus est maxima practicitas, adeo ut intra breve temporis spatium plura millia exemplarium evulgata fuerint, et Breve Pontificium valde laudativum meruerit, nuper edidit opus THEOLOGIAE MORALIS quod ratione tum ordinis, tum perspiquitatis, tum practicitatis non minus commendatur. In 3ª parte, quae nunc in lucem prodit, multa admodum utilia et scitu necessaria continentur, praesertim in tractatu *de Missae Sacrificio,* qui sub respectu sive dogmatico, sive canonico, sive morali, sive liturgico exponitur. In hoc praeterea multae pertractantur quaestiones circa decretum UT DEBITA *relate ad Missas manuales,* atque sub appendice referuntur omnes declarationes, quae a s. Cong. Concilii circa idem decretum hucusque emanatae sunt. Quare non ambigimus hoc novum opus cl. Alberti maximae utilitati iis, qui Theologiae Morali operam navant, atque confessariis futurum esse.

Omnes huius operis partes veneunt cumulative Lib. 12,00, et separatim Pars I. Lib. 3.50; Pars. II. Lib. 5.00; Pars. III. Lib. 3.50

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS. PUBLICATIONES.

**Alberti J.** — ***Compendium Theologiae Moralis.*** **Pars tertia. De Sacramentis in genere. Baptismo - Confirmatione - Eucharistia - Sacrificio Missae. Vol. in-8, 284 pag. L. 3.50**

**Beissel S.**, S. J. — *Geschichte der Evangelienbücher*, in der ersten Hälfte des Mittelalters. Mit 91 Bildern. In-8, 370 pag. L. 8.1
**Bessmer J.**, S. J. — *Die Grundlagen der Seelenstörungen* In-8, 190 pagine. L. 3.75
**Bolo E.** — *Il frutto proibito*. Versione italiana del P. G. Costanzo. Vol. in-8, 208 pag. L. 1.50
**Brever H.**, S. J. — *Kommodian von Gaza*. Ein Arelatensischer Laiendichter aus der Mitte des fünften Jahrhunderts. 370 pag. in-8. L. 11.50
**De Régnon Th.**, S. J. — *Etudes de Théologie positive sur la Sainte Trinité*.
I^re^ Série: Exposé du Dogme, in-8, XII-516 pag.
II^e^ Série: Théories scolastiques, in-8, XII-584 pag.
III^e^ Série: Théories grecques des processions divines, in-8, VI-584 pag.
III^e^ Série, II^e^ partie: Théories grecques des processions divines. Vol. in-8, 592 pag. L. 30
**De Régnon Th.**, S. J. — *La Métaphysique des causes* d'après St. Thomas et Albert Le Grand. Deuxième édition avec une préface de M. Gaston Sortais. Vol. in-8, XX-660 pag. L. 7.50
*Fede e Scienza*. Ultimi volumi usciti:
N. 45 - **Boni** Mons **Carlo**. *Gli argomenti teologici e biblici di B. Labanca sull'opera « Il Papato »*. L. 0.80
N. 46 - **Grabinski**. Conte G. — *Il B. Tommaso More e lo scisma d'Inghilterra*. L. 0.80
**Forschner C.** — *Soziale Briefe* I. Fürsorge für die schulentlassene Jugend. Vol. in-8, 118 pag. L. 2 —
**Granderath Th.**, S. J. — *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, von seiner ersten Ankündigung bis zu seiner Vertagung. Nach den authentischen Dokumenten. Herausgegeben von Konrad Kirch, S. J. - Dritter (Schluss-) Band: Vom Schlusse der dritten öffentlichen Sitzung bis zur Vertagung des Konzils. Die Aufnahme der Konzilsentscheidungen. (Die Päpstliche Unfehlbarkeit). Vol. in-8, 750 pag. L. 15 —
**Gregoire de St. Joseph P.** — *Lettres de Sainte Térèse* de Jésus réformatrice du Carmel. Seconde édition corrigeé et augmentée. Trois tomes. Vol. in-8, XXII-554, 592, 606 pag. L. 20 —
**Hössle J.** — *Abendunterhaltungen* zwischen Bauersmann, Fabrikarbeiter und Pfarrer. Religiöse Zeitfragen in volkstümlicher Darstellung. Dritte, verbesserte Auflage, herausgegeben von Dr. E. Käser. Vol. in-12, 284 pag. L. 2 —
**Kneib** Dr. **Ph.** — *Die « Jenseitsmoral » im Kampfe* um ihre grundlagen. Vol. in-8, 278 pag. L. 5 —
**Micheletti A. M.** — *Elementi di Pedagogia ecclesiastica* generale e speciale. Note ed appunti delle lezioni fatte agli alunni del Pontificio Collegio Apostolico Leoniano in Roma. Volume II: Il Rettore ecclesiastico. In-8, 710 pag. L. 10 —
**Pasteris** Dr. **E.** — *Il Messianismo secondo la Bibbia*. Discorsi d'Avvento e Studi critici, con una tavola ed una carta. Vol. in-8, XII-248 pag. L. 3.50
**Peters** Dr. **N.** Prof. der Theol. — *Papst Pius X und das Bibelstudium*. Vol. in-8, 83 pag. L. 1.50
**Schubert J. V.** — Zur Reform des Katechismus und der Katechese. Vol. in-8, 127 pag. L. 1.95
**Vio C. S.** — *Post mortem* ossia l'immortalità dell'anima e *l'al di là*. Vol. in-8 422 pag. L. 5 -
**Wagenmann L.** — *Hilfsbuch zum Katechismusunterricht*, zum Gebrauch an Lehrer und Lehrerinnenseminarien sowie an höheren Töchterschulen. Vol. in-8, 424 pag. L. 5.75

# ACTA SUMMI PONTIFICIS

## I. — ALLOCUTIO

**habita a Pio Pp. X in Consistorio secreto die 6 Decembris 1906.**

Venerabiles Fratres,

Nobis cum animo reputantibus quid hodie potius cum amplissimo coetu vestro communicaremus, nihil occurrit, quod sollicitos magis habeat, nisi ea acerbior in dies rerum atque hominum calamitosa procella, qua catholicum nomen miserrime affligitur. Equidem hoc maxime tempore Ecclesia sancta naviculae illi est verissime comparanda, quae, in medio mari operiebatur fluctibus. Attamen minime nutat fides Nostra; quin imo firmissime persuasum est, nunc quoque nobis adesse Christum, qui maturo opitulandi momento, surgens imperet ventis et mari, atque optata fiat tranquillitas magna. Interea, Venerabiles Fratres, tametsi magnis premimur aerumnis, solatium non deest Nobis, grande illud quidem planeque mirandum, quodque vel ipsi stupent catholicarum partium osores. Concordiam inquimus singularem, qua universus coalescit Episcoporum ordo, atque Nobiscum est conjunctissimus. Una enim omnium est conspiratio, unus consensus cum Pastore summo, Christi in terris Vicario; ut nemo sit illorum, qui insigne illud Augustini verbum iterare non gaudeat: Roma loquuta est, caussa finita est. Sicubi vero turbulentis inimicorum ausibus sacrorum Antistites acrius vexantur; eo ceterorum Episcoporum videmus oculos animosque converti addereque fratres fratribus solatia afflictis, ut scilicet malis ne cedant, sed stent fortiores tortoribus. — Pater sancte, qui illos posuisti regere Ecclesiam tuam, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis eorum!

Utinam porro ad praeclarissimum hoc Episcoporum suorum exemplum catholicus etiam populus componatur ubique! Id utique toto Nos pectore exoptamus, id toto nisu hortamur, ut fideles suis omnino consentiant pastoribus, nihilque antiquius habeant, quam illorum nutu duci suasuque moveri. Postulat hoc quidem christiani nominis officium; sed postulat modo impensius religionis bonum; ut videlicet, ubi christianae rei oppugnatio iam premit, constanti fortitudine superetur; ubi vero parantur religioni infesta, catholici, partium studiis animorumque dissensionibus generose depositis, quidquid leges sinunt nec christiana conscientia prohibet, id totum audeant ut ea feliciter avertantur.

Haec ad commune solatium atque ad animos excitandos visum est significare: nunc vero officium exigit, Venerabiles Fratres,

ut nonnullarum viduitati ecclesiarum, imprimisque inclitae Sedi Patriarchali Hierosolymitanae latinae, quae per obitum Ven. Fratris Ludovici Piavi vacat, provideamus. Ad quam, re mature perpensa, Ven. Fratrem Philippum Camassei Archiepiscopum Naxiensem destinare placuit. Quae huius Antistitis in Apostolicam Sedem sit voluntas, quae sint multarum ornamenta virtutum fusius prosequi non opus est. Curiae Vicarii Pontificis Maximi in Urbe primum navavit operam, matrimoniis fidelium rite ordinandis praefectus. Tum vero, per annos quindecim, Collegio Urbaniano Rector cum laude praefuit, inter Pontificiae Domus Antistites merito cooptatus. Illum demum, ante annos duos, Archiepiscopatu Naxiensi Nos ipsi auximus. In quo administrando quoniam egregie se probavit; de eo ad latinum Hierosolymitanum Patriarchatum evehendo cogitavimus. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, electionem facimus de persona praedicti Philippi Camassei, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur Ecclesiae, Naxiensis, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam latinam Hierosolymitanam, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae latinorum, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur: contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

---

## II. — RELATIO

### Actorum in Consistorio secreto die 6 Decembris 1906.

SANCTITAS DOMINI NOSTRI PII PP. X de mane, in Palatio Apostolico Vaticano, imposito prius privatim in Aula Consistoriali galero cardinalitio Emo ac Rmo Iosepho Samassa, consistorium habuit secretum in quo praemissa Allocutione, quam pagg. 433 retulimus, sequentes assignavit Ecclesias:

*Ecclesiam Patriarchalem Hierosolymitan.* (GERUSALEMME) ritus latini favore Illmi ac Revmi D. Philippi Camassei, promoti a sede metropolitana Naxien. (*Naxos*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Ptolomaiden.* (TOLOMAIDE) favore Illmi ac Revmi D. Josephi Marcondes Homen de Mello, Archiepiscopi dimissionarii Belemen. de Para.

*Ecclesiam Metropolitanam Hispalen.* (SIVIGLIA) favore Illmi ac Revmi D. Salvatoris Castellote y Pinazo, promoti a Sede Cathedrali Giennen. (*Iaen*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Thessalonicen.* (TESSALONICA) favore Illmi ac Revmi D. Achillis Locatelli, archidiocesani mediolanensis, Antistitis Urbani, in s. theologia ac in utroque

ure doctoris, Internuntii Apostolici apud Rempubblicam Argentinam.

*Ecclesiam Metropolitanam Belemen. de Para* (BELEM DE PARÀ) favore Illmi ac Revmi D. Sanctini Coutinho, Decani Capituli Cathedralis Parhiben. (*Parahyba*).

*Ecclesias Cathedrales unitas Gravinen.* (GRAVINA) *et Irsinen.* IRSINA) favore Illmi ac Revmi D. Nicolai Zimarino, translati a sede cathedrali Laquedonien (*Lacedonia*).

*Ecclesiam cathedralem Giennen.* (JAEN) favore Illmi ac Reverendissimi D. Joannis Josephi Laguarda y Fenollera, translati a sede cathedrali Urgellen. (*Urgel*).

*Ecclesiam titularem Episcopalem Flaviopolitan.* (FLAVIOPOLI) favore Illmi ac Revmi D. Aloisii Finoia, Episcopi jam Catacen. (*Catanzaro*).

*Ecclesiam cathedralem Ratisbonen.* (RATISBONA) favore Illmi ac Reverendissimi D. Francisci Antonii de Henle, translati a sede cathedrali Passavien. (*Passavia*).

*Ecclesiam cathedralem Urgellen.* (URGEL) favore Illmi ac Reverendissimi D. Joannis Benlloch y Vivò, translati ab ecclesia titulari episcopali Hermopolitan. (*Ermopoli maggiore*).

*Ecclesiam cathedralem Passavien.* (PASSAVIA) favore Illmi ac Revmi D. Sigismundi de Ow-Felldorf, translati ab ecclesia titulari episcopali Arethusia. (*Aretusa*).

*Ecclesiam cathedralem Drepanen.* (TRAPANI) favore Illmi ac Revmi D. Francisci Mariae Raiti, ex ordine Carmelitarum antiquae observantiae, traslati a sede cathedrali Liparen. (*Lipari*).

*Ecclesias cathedrales unitas Valven. et Sulmonen.* (VALVA e SULMONA) favore Illmi ac Revmi D. Nicolai Iezzoni, atriensis, Protonotarii Apostolici ad instar participantium, in s. theologia doctoris, examinatoris prosynodalis, canonici archidiaconi pennensis, administratoris apostolici atrien. et pennen. (*Atri e Penne*).

*Ecclesiam cathedralem Catacen.* (CATANZARO) favore Illmi ac Rmi D. Petri Di Maria, dioecesani marsicensis et potentin., cubicularii intimi Sanctitatis Suae, doctoris in philosophia, s. theologia et iure canonico, Collegii Boemi rectoris, theologiae fundamentalis magistri in Pontificio Collegio Urbano.

*Ecclesias cathedrales unitas Pennen. et Atrien.* (PENNE ed ATRI) favore R. D. Raphaelis Piras, calaritani, in s. theologia ac iure canonico doctoris, vicarii generalis et canonici theologi in Calaritana Metropolitana. (*Cagliari*).

*Ecclesiam cathedralem Cassanen.* (CASSANO ALL'JONIO) favore R. D. Petri La Fontaine, viterbiensis, missionarii apostolici, in spiritualibus magistri Seminariorum et canonici cathedralis viterbiensis.

*Ecclesiam cathedralem Hieracen.* (GERACE) favore R. D. Geor-

gii Delrio, dioecesani algherini, in s. theologia doctoris, canonici poenitentiarii cathedralis ac provicarii generalis Algherin. (*Alghero*).

*Ecclesiam cathedralem Balneoregien.* (BAGNOREA) favore R. P. Rinaldi a S. Iusto, q. Camilli Rousset, praepositi generalis Carmelitarum excalceatorum, consultoris S. Congregationis Episcoporum et Regularium.

*Ecclesiam cathedralem Rupellen.* (LA ROCHELLE) favore R. D. Augusti Beniamini Eyssantier, dioecesani diniensis, canonici honor. cathedralis rupellen.

*Ecclesiam cathedralem Gerunden.* (GERONA) favore R. D. Francisci Pol y Baralt, eiusdem dioecesis, in utroque iure doctoris, canonici magistralis cathedralis Barcinonen. (*Barcellona*).

*Ecclesiam cathedralem Placentin.* (PLASENCIA) favore R. D. Francisco Garrin, Salamantini, in s. theologia doctoris ac in philosophia humanioribusque litteris prolytae, canonici cantoris cathedralis Salamantin. (*Salamanca*).

*Ecclesiam titularem episcopalem Hephaestien.* (EFESTO) favore R. D. Iuliani Tommasuolo, neapolitani, magistri spiritus in Maiori Seminario, deputati Auxiliaris Emi ac Rmi D. Cardinalis Josephi Prisco, Archiepiscopi neapolitani (*Napoli*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Modrorum.* (MODRA) favore Illmi ac Rmi D. Guilelmi Blazeh, olomucensis, antistitis urbani, praepositi Metropolitanae Olomucen. deputati Auxiliaris Illmi ac Rmi D. Francisci Salesii Bauer, archiepiscopi Olomucen. (*Olmütz*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Ceramen.* (KERAMUS) favore R. D. Georgii Carié, dioecesani pharensis, in s. theologia doctoris, praepositi cathedralis Spalaten., deputati Auxiliaris Macarscen. Illmi ac Rmi D. Philippi Francisci Nakic, episcopi Spalaten. (*Spalato*).

---

Dein Sanctitas Sua sequentes ecclesias, variis temporibus per Breve Apostolicum assignatas, pubblicare dignata est:

*Ecclesias metropolitanas unitas Tranen. et Barolen.* (TRANI e BARLETTA) favore Illmi ac Rmi D. Francisci Pauli Carrano, translati a Sede Archiepiscopali Aquilana (*Aquila*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Apamen.* (APAMEA) favore Illmi ac Rmi D. Josephi Ridolfi, Delegati Apostolici in Mexico, translati a sede cathedrali Tudertin. (*Todi*).

*Coadiutoriam cum successione Ecclesiae Archiepiscopalis Amalphitan.* (AMALFI) favore Illmi ac Rmi D. Antonii M. Bonito, archiepiscopi titul. Scytopolitani. (*Scitopoli*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Gortinien.* (GORTINA) favore Illmi ac Revmi D. Rinaldi MacDonald, promoti a sede cathedrali Portus Gratiae. (*Harbour Grace*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Cian.* (CIO) favore Illmi ac Revmi D. Caietani D'Alessandro, e sede cathedrali Cephaluden. (*Cefalù*).

*Ecclesiam metropolitanam Rhedonen.* (RENNES) favore Illmi ac Kevmi D. Augusti Renati Dubourg, e sede cathedrali Mulinen. (*Moulins*).

*Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Nicopolitan.* (NICOPOLI) favore Illmi ac Revmi D. Francisci Do Rego Maia, promoti e sede cathedrali Belemen. de Para. (*Belem de Parà*).

*Ecclesiam Archiepiscopalem Anconitan. et Human.* (ANCONA ed UMANA) favore Illmi ac Revmi D. Joannis Baptistae Ricci, promoti e sede cathedrali Aesin. (*Jesi*).

*Ecclesiam metropolitanam Novae Aureliae.* (NUOVA ORLEANS) favore Illmi ac Revmi D. Huberti Blenk, e societate Mariae, promoti a sede cathedrali Portoricen. (*Portorico*).

*Ecclesiam titul. Archiepiscopalem Metymnaeam.* (METYMNA) favore Illmi ac Rmi D. Francisci M. Josephi Delamaire, promoti a sede cathedrali Petrocoricen. (*Périguex*) et deputati Coadiutoris cum successione Illmi ac Rmi D. Stephani M. Alphonsi Sonnois, Archiepiscopi Cameracen. (*Cambrai*).

*Ecclesiam Metropolitanam Firmanam* (FERMO) favore Illmi ac Rmi D. Caroli Castelli, promoti a sede cathedrali Bobien. (*Bobbio*).

*Ecclesiam Metropolitanam de Plata* (LA PLATA), in Bolivia, favore Illmi ac Rmi D. Sebastiani Pifferi, promoti ab Ecclesia titulari episcopali Hiericuntin. (*Gerico*).

*Ecclesiam Metropolitanam Halifaxien.* (HALIFAX) favore R. D. Eduardi Mac-Carthy, eiusdem archidioeceseos, missionarii apostolici.

*Ecclesiam Metropolitanam Bombayen.* (BOMBAY) favore R. P. Severini Noti e Societate Jesu, missionarii apostolici.

*Ecclesiam titul. archiepiscopalem Sardian.* (SARDI) favore Illmi ac Revmi D. Josephi Aversa, neapolitani, in utroque iure doctoris, protonotarii apostolici ad instar participantium, Delegati Apostolici in Insula Cubana et Portoricen.

*Ecclesiam titul. episc. Dionysiaden.* (DIONYSIAS) favore Illmi ac Rmi D. Josephi M. Aldanesi, translati a sedibus cathedralibus unitis Callien. et Pergulan. (*Cagli* e *Pergola*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Archelaiden.* (ARCHELAIS) favore Illmi ac Rmi D. Ignatii Zuccaro, translati a sede cathedrali Calatanisiaden. (*Caltanisetta*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Samiam.* (SAMO) favore Illmi ac Rmi D. Petri Josephi Geay, ex-Episcopi Vallis Vidonis (*Laval*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Memphiten.* (MENFI) favore Illmi ac Rmi Dmi D. Antonii Valbonesi, translati a sedibus cathedra-

libus unitis Urbanien. et S. Angeli in Vado (*Urbania e S. Angelo in Vado*).

*Ecclesiam cathedralem Aesinam* (JESI) favore Illmi ac Rmi D. Josephi Gandolfi, translati a sede cathedrali Mandelen. (*Poggio Mirteto*).

*Ecclesiam cathedralem Novarien.* (NOVARA) favore Illmi ac Rmi D. Josephi Gamba, translati a sede cathedrali Bugellen. (*Biella*).

*Ecclesiam cathedralem de Arequipa* (AREQUIPA) favore Illmi ac Rmi D. Mariani Holguin, ex O. Minorum, translati a sede cathedrali De Huaraz (*Huaras*).

*Ecclesiam cathedralem Tudertin.* (TODI) favore Illmi ac Rmi D. Joannis Graziani, translati ab Ecclesia titulari episcopali Charystien. (*Caristo*).

*Ecclesiam cathedralem Patavin.* (PADOVA) favore Illmi ac Rmi D. Aloisii Pellizzo, utinensis, in iure canonico doctoris, protonotarii apostolici ad instar participantium, examinatoris Synodalis, rectoris Archiepiscopalis Seminarii.

*Ecclesiam cathedralem Comaclen.* (COMACCHIO) favore R. D. Annibalis Lupi, ferrariensis, parochi S. Franciscae Romanae in urbe Ferraria (*Ferrara*).

*Ecclesiam cathedralem Dianen.* (DIANO O TEGGIANO) favore R. D. Camilli Tiberio, vastensis, praepositi parochi Atessae.

*Ecclesiam cathedralem Bugellen.* (BIELLA) favore R. D. Joannis Andreae Masera, taurinensis, in s. theologia et iure canonico doctoris, provicarii generalis et canonici cathedralis Fossanen. (*Fossano*).

*Ecclesias cathedrales unitas Basileen. et Luganen.* (BASILEA e LUGANO) favore Illmi ac Rmi D. Iacobi Stammler, basileensis, in philosophia doctoris, protonotarii apostolici ad instar participantium, parochi et decani Capituli foranei Bernensis (*Berna*).

*Ecclesiam cathedralem Szathuarien.* (SZATHUAR) favore Illmi ac Rmi D. Tiburtii Boromitza, colocensis, antistitis urbani, canonici Metropolitanae Colocen. (*Colocsa*).

*Ecclesiam cathedralem Adiacen.* (AIACCIO) favore R. D. Joannis Baptistae de Santi, eiusdem dioeceseos, canonici cathedralis.

*Ecclesiam cathedralem Augustodunen.* (AUTUN) favore R. D. Raimundi Villard, lingonensis, in s. theologia ac iure canonico doctoris, parochi de Chaumont in eadem dioecesi.

*Ecclesiam cathedralem Baiocen.* (BAYEUX) favore R. D. Thomae Pauli Lemonnier, rothomagensis, vicarii generalis rothomagen. (*Rouen*).

*Ecclesiam cathedralem Bellicen.* (BELLEY) favore R. D. Francisci Augusti Labeuche, Vicarii generalis bisuntini (*Besançon*).

*Ecclesiam cathedralem Cadurcen.* (CAHORS) favore R. D. Qui-

rini Laurans, in s. Scriptura magistri in maiori Seminario minatensi (*Mende*) et parochi sancti *Chely d'Apcher*.

*Ecclesiam cathedralem Dinien.* (DIGNE) favore R. D. Dominici Castellan, e Massilia (*Marsiglia*), ibidem Vicarii generalis.

*Ecclesiam cathedralem Briocen.* (ST-BRIEUC) favore R. D. Iulii Laurentii Morelle, ambianensis, vicarii capitularis dioeceseos eiusdem.

*Ecclesiam cathedralem S. Flori* (ST-FLOUR) favore R. D. Pauli Augusti Lecoeur, rothomagensis, canonici honor. Metropolitanae Superioris Collegii *Join-Lambert-et-Rouen*.

*Ecclesiam cathedralem Moulinen.* (MOULINS) favore R. D. Aemilii Cornelii Lobbedey, cameracensis, in s. theologia doctoris ac in iure canonico prolytae, Vicarii generalis Cameracen. (*Cambrai*).

*Ecclesiam cathedralem Petrocoricen.* (PÉRIGEUX) favore R. D. Henrici Ludovici Prosperi Bougonin, in s. theologia ac iure canonico doctoris, canonici theologi cathedralis Pictaviensis (*Poitiers*).

*Ecclesiam cathedralem S. Galli* (S. GALLO) favore R. D. Ferdinandi Rüegg, ex eadem dioecesi, in s. theologia doctoris, decani Capituli cathedr. et vicarii capitularis.

*Ecclesiam cathedralem Hildesien.* (HILDESHEIM) favore R D. Adulfi Bertram, ex eadem dioecesi, in s. theologia et iure canonico doctoris, Vicarii capitularis eiusdem dioeceseos.

*Ecclesiam cathedralem Miden.* (MEATH) favore R. D. Laurentii Ganghran, ex eadem dioecesi, parochi et vicarii generalis.

*Ecclesiam cathedralem Angolen. et Congen.* (ANGOLA e CONGO) favore R. D. Antonii Barbosa Leao, dioecesani portugallensis (*Oporto*).

*Ecclesiam cathedralem de Tepic* (TEPIC) favore R. D. Andreae Segura, archidiaconi cathedralis Leonensis (*Leon in Messico*).

*Ecclesiam cathedralem Alexandrin. in America* (ALESSANDRIA) favore R. D. Guilelmi MacDonell, parochi et missionarii apostolici.

*Ecclesiam cathedralem Portaugustan.* (PORT-AUGUSTA) favore R. D. Joannis Norton, victoriensis, vicarii generalis.

*Ecclesiam cathedralem Portlanden.* (PORTLAND) favore R. D. Aloisii Sebastiani Walsh, bostonensis, in iure canonico prolytae, superioris scholarum catholicarum ipsius archidioeceos.

*Ecclesiam cathedralem Krishnaguren.* (KRISHNAGUR) favore R. D. Santini Taveggia, mediolanensis, missionarii in *Bengal* centrali.

*Ecclesiam cathedralem Portus Gratiae* (HARBOUR GRACE) favore R. D. Joannis March, rectoris Ecclesiae cathedralis.

*Ecclesiam titul. episcopalem Acmonien.* (ACMONIA) favore R. D. Joannis Baptistae Morris, rectoris cathedralis et vicarii generalis de *Nashville,* deputati coadiutoris cum successione Illmi ac Rmi D. Eduardi Fitz Gerard, Episcopi Petriculan. (*Little-Rock*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Abilen.* (ABILA) favore Illmi ac Rmi D. Aloisii Philippi Schaefer, paderbornensis, in S. theologia doctoris, antistitis urbani, ac in s. theologia magistri in Universitate Argentinensi, deputati vicarii apostolici Saxoniae (*Sassonia*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Corydallen.* (CORIDALLO) favore R. D. Eugenii Caroli Foulquier, deputati vicarii apostolici Birmaniae Septentrionalis.

*Ecclesiam titul. episcopalem Trapezopolitan.* (TRAPEZOPOLI favore R. D. Ignatii Hummel, deputati vicarii apostolici a Litore Aureo (*Costa d'Oro*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Thaenitan.* (TENE) favore R. P. Thomae Spreiter, e Congregatione benedictina S. Optiliae in Bavaria, deputati vicarii apostolici *Der es Salam.*

*Ecclesiam titul. episcopalem Cocussen.* (Cocusso) favore R. P. Nicasii Avellano, ex Ord. Predicator, deputati vicarii ap. Ton-Kin Orientalis.

*Ecclesiam titularem episcopalem Adrian.* (ADRIANI) favore R. D. Francisci Steinmetz, deputati vicarii apostolici *Dahomey.*

*Ecclesiam titul. episcopalem Celenderitan* (CELENDERI) favore R. P. Francisci Xaverii Vogt, e Congr. Spiritus Sancti et S. Cordis Mariae, deputati vicarii apost. Zanguebaren. (*Zanzibar Centrale*.

*Ecclesiam titul. episcopalem Hiericuntin.* (GERICO) favore R. P. Graziani Gennaro, ex Ord. Minorum, deputati coadiutoris cum successione Illmi ac Rmi D. Epiphanii Carlassare, vicarii apost. Hupè Orientalis (*Hupè Orientale*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Dorylen.* (DORILEO) favore R. D. Antonii Karas, e Samogitien. dioecesi, ibidem rectoris in Seminario et canonici praelati cathedralis, deputati suffraganei dioecesium unitarum Luceorien. et Zytomirien. (*Luceoria* e *Zytomierz*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Myndiam* (MINDO) favore R. D. Vincentii Bacchi, bononiensis, in s. theologia doctoris, archidiaconi Metropolitanae Bononiensis, provicarii generalis, deputati auxiliaris Emi ac Rmi D. Cardinalis Dominici Svampa, Archiepiscopi Bononien. (*Bologna*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Cidyessen.* (CIDIESSIO) favore Illmi ac Rmi D. Ludovici Rajner, strigoniensis, antistitis urbani, in s. theologia doctoris, Strigoniae vicarii generalis et canonici Metropolitanae, deputati auxiliaris Emi ac Rmi D. Card. Claudii Vaszary, Archiepiscopi Strigonien. (*Strigonia*).

*Ecclesiam titul. episcopalem Temniten* (Temno) favore Illmi ac Rmi D. Severi Aranjo y Silva in s. theologia doctoris, canonici theologi metropolitanae, deputati auxiliaris Emi ac Revmi D. Card. Josephi M. Martini de Herrera, archiepiscopi compostellani (*Compostella*).

*Ecclesiam titularem episcopalem Cydoniaten.* (Cidonia) favore Illmi ac Rmi D. Ladislai Bandurski, Praelati domestici doctoris in philosophia, canonici cathedralis Cracovien. (*Cracovia*), deputati auxiliaris Illmi ac Rmi D. Josephi Bilczewski, Archiepiscopi Leopolien. (*Leopoli*) ritus latini.

*Ecclesiam titularem episcopalem Arindelen.* (Arindela) favore Illmi ac Rmi D. Guilelmi Antonii Johnson, praelati domestici vicarii generalis archidioeceseos Westmonasterien. (*Westminster*), deputati alterius Auxiliaris Illmi ac Rmi D. Francisci Bourne, archiepiscopi Westmonasterien.

*Ecclesiam titularem episcopalem Claudiopolitan.* (Claudiopoli) favore Illmi ac Rmi D. Felicis Del Sordo Nuscan. Protonotarii apostolici ad instar participantium, in S. theologia doctoris, Archipresbyteri parochi cathedralis, deputati auxiliaris Illmi ac Rmi D. Michaelis Archangeli Pirone, episcopi Nuscan. (*Nusco*).

*Ecclesiam titularem episcopalem Paleopolitan.* (Paleopoli) favore Illmi ac Rmi D. Antonii Fetser, dioecesani Magno Varadinen. Cubicularii intimi honorarii, Magno-Varadin canonici cathedralis et provicarii generalis, deputati auxiliaris Illmi ac Rmi D. Pauli Symecsamsi episcopi Magno-Varadinen. Latinorum. (*Gran Varadino*).

*Ecclesiam titularem episcopalem Phocacen.* (Focea) favore Rmi P. Gerardi Josephi de Caloen, Ordinis S. Benedicti, abatis S. Mariae de Monserrato, prope Flumen Januarium, vicari generalis Congr. Benedic. in Brasilia et administratoris apostolici abatiarum S. Pauii et Olindae.

---

Dein SSmus Dnus Pius PP. X postulatum pallium concessit Ecclesiae Patriarchali Hierosolymitanae ritus latini, Ecclesiis metropolitanis Firmanae, Anconitanae, Tranensi, Hispalensi, Rhedonensi, De Plata, Aurelianensi, Halifaxiensi, Belemensi de Para, Bombayensi, S. Dominici, Tokiensi, Mariannensi; necnon ecclesiis cathedralibus Augustodunensi et Vaciensi, quae eiusmodi privilegio gaudent.

---

Tandem Sanctitas Sua Emo Cardinali Samassa titulum presbyteralem S. Marci assignavit et Allocutionem pag. 433 relatam pronunciavit.

# SECRETARIA BREVIUM

## BREVE

**quo Associatio « Sacerdotalis Eucharistici foederis » in Primariam Archiassociationem erigitur et privilegiis cohonestatur.**

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes pias societates ad pietatis et charitatis opera exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus, ut iis auctae uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet iure ac merito esse accensendam piam sacerdotum associationem, quae sub titulo *Sacerdotalis Eucharistici Foederis* in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii canonice instituta existat (1), ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon procuratoris generalis Instituti Sacerdotum SSmi Sacramenti votis ultro libenterque annuentes associationem ipsam tam frugiferam, quae hisce potissimum tam gravibus temporibus, iuxta tenorem Decreti a Congr. Sacrae Tridentinae Synodi interpretationi praeposita, die xx Decembris mensis anno superiori editi exauspicato intendit ad Communionis frequentis et quotidianae usum inter fideles provehendum (2) singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Foedus adlectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegii personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus; nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora Sacris operari, et similiter a prima ante auroram

(1) *En decretum quo praefata sodalitas erecta fuit in Urbe:*

« Piam sacerdotum sodalitatem quae inscribitur *Lega Sacerdotale Eucaristica,* cuius finis est fideles ad quotidianum vel frequentem usum SSmae Eucharistiae inducere, iuxta mentem Decreti S. C. Conc. die 20 Decembris 1905, quod incipit *Sacra Tridentina Synodus*, Nos auctoritate Nostra ordinaria rite et legitime in venerabili ecclesia S. Claudii de Urbe penes Congr. Presbyterorum SSmi Sacramenti erigimus et canonice erectam esse edicimus. Leges vero seu Constitutione eiusdem sodalitatis, quinque articulis conscriptas, triennali experimento probandas esse declaramus.

« Datum Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 27 Iulii 1906 ».

L. ✠ S. PETRUS RESPIGHI, *Card. Vicarius.*

FRANCISCUS Can. FABERI, *Secretarius.*

(2) Confr. *Acta Pontificia,* Vol. IV, pag. 57-61.

hora ad occasum solis, Sacram Synaxim diribere, atque, iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virginis et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari; et intra celebrationem triduanae supplicationis, iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem generalem, christiano adstanti populo, plenaria adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque praescriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quoties iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive charitatis opus adimpleant, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita iisdem adlectis in ipsum Foedus, nunc et in posterum sacerdotibus trecentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in Sacerdotali Eucharistico Foedere nunc et in posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam poenitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Praeterea Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum, associationem memoratam suo titulo *Sacerdotalis Eucharistici Foederis* in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in archiassociationem, sive primariam cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalitii autem eiusdem moderatori et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe, canonice erectas sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri r. m. aliisque Apostolicis ordinationibus desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi archisodalitio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant Apostolica item Nostra auctoritate praesentium vi facultatem perpetuo concedimus et largimur, Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die x Augusti MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

L. ✠ S. Pro Dno Card. MACCHI.

NICOLAUS MARINI, *Substitutus*.

# DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM

## S. CONGREGATIO CONCISTORIALIS

### MEDIOLANEN.

### CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICARUM.

**Duobus Parochis Mediolanensibus indulgetur usus cappae magnae.**

Cum RR. Praepositi parochi omnium fere Basilicarum, quae in Metropolitana civitate Mediolanensi stationales vulgo appellari solent, privilegio fruantur utendi in sacris peragendis cappa magna mustelina vel serica rubri coloris pro temporum diversitate, ceterarum Basilicarum Sancti nempe Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani in eadem civitate, quae pariter stationales nuncupantur, Praepositi parochi RR. DD. Hermenegildus Pogliani et Clemens Alfieri, qui hactenus eo privilegio insigniti non sunt, die v Decembris hoc anno supplices ad Apostolicam Sedem dederunt litteras, quibus SSmum Dnum Nostrum Pium PP. X obsequiose exorarunt, ut sibi etiam in sacris obeundis ministeriis cappam magnam, qua Praepositi parochi omnium fere Basilicarum stationalium iam cohonestantur, Apostolica auctoritate benigne tribuere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attenta Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani vetustate ac dignitate, attenta etiam Viri Emi Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari Mediolanensis Archiepiscopi commendatione, ad splendorem divini cultus augendum, atque ad stimulos adiiciendos Praepositis parochis Basilicarum Sancti Victoris ad corpus et Sancti Simpliciani, quo ipsi in spirituali animarum salute procuranda alacriores in dies fiant, eorum vota benigne excipere dignata est. De Apostolicae itaque potestatis plenitudine Beatitudo Sua Praepositos parochos oratores a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis a iure vel ab homine, quovis modo vel quavis de causa, latis, si quibus innodati existant, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem, eorumque in perpetuum legitimis successoribus, benigne indulsit, ut intra limites Mediolanensis Archidioecesis, ad instar aliorum parochorum qui in Metropolitana Mediolanensi civitate Basilicis stationalibus, uti aiunt, praesunt, cappa magna mustelina vel serica rubri coloris in sacris peragendis uti licite ac valide possint et valeant, salvis ritualibus dispositionibus aliisque de

iure servandis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exequenda eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Virum Emum Andream S. R. E. Praesbyterum Cardinalem Ferrari Mediolanensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iussitque praesens hisce super rebus edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Apostolicae Litterae sub annulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter Acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XXVIII Decembris anno Dni MCMV.

Pro R. P. D. Secretario
JULIUS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii, *Substitutus*.

## S. CONGREGATIO CONCILII

**Dubia proposita atque iuxta morem eiusdem S. C. de iure resoluta in generalibus comitiis diei 24 Novembris 1906.**

*Per summaria precum:*

4559
4

I. — BISINIANEN. — DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Clericus Marianus Rose iam subdiaconus expostulat ut promoveatur ad superiores ordines, sed obstat, post acceptum subdiaconatum compertum esse ipsum aliquando comitiali morbo obnoxium fuisse.

Quare Episcopus initio elapsi anni 1905 in vota clerici Rose concedens, supplicem obtulit libellum pro sanatione quoad iam collatos ordines et pro dispensatione ad huiusmodi defectu in futurum.

Rogatus Episcopus ut clarius edoceret de natura et gravitate dicti morbi, insimul transmissa peritia medica, ipse litteris Martii successivi exhibuit tum iuratam depositionem parentum eiusdem clerici, tum testimonium Rectoris Seminarii Bisinianensis. Medicus testimonium non reliquit, cum nunquam adfuerit accessibus.

Hisce habitis, sub die 16 Martii dicti anni eidem Episcopo rescripsit H. S. C., ut clericus Rose per aliquot tempus poneretur sub

directione et vigilantia docti et prudentis medici, cuius votum et relationem deinde remitteret. Haec iussa Episcopus adimplens sub die 16 elapsi Maii retulit, praefatum clericum a mense Ianuario an. 1905 usque ad hunc diem nunquam morbo fuisse correptum iuxta votum et relationem duorum medicorum; quare enixe rogabat pro obtinendo favorabili indulto.

Morbo caduco laborantes a ministerio altaris arcendos esse tradunt doctores, praesertim vero, utpote in casu non resultat iuxta medicam relationem, in futurum remotum et vitatum esse periculum relapsus in morbum.

Et res magis ingravescit si advertatur, eiusmodi esse naturam morbi ut convulsiones et accessus epileptici non determinatis temporibus, sed etiam post non indifferens temporis spatium iterari possint; qui accessus ex Rectoris testimoniis cum sint gravissimi, maximum inducunt periculum irreverentiae in sacrorum administratione.

Nec demum in casu suffragantur specialia adiuncta, quales profecto essent magna utilitas vel necessitas pro dioecesi ob cleri defectum, vel extraordinariae dotes oratoris, utpote ingenii, vitae spectatae, etc., cum clerus in meridionali Italiae regionibus potius abundat, et dictae extraordinariae qualitates ex Episcopi litteris non resultent.

Aliae tamen ex adverso adsunt rationes quae invocari possunt favore oratoris. Iam vero oratorem convaluisse testes sunt nedum ipsius parentes, sed etiam duo periti physici ab Episcopo deputati, qui referunt eumdem nunc versari in florenti sanitatis statu et liberum esse a morbis infectivis.

Quae declarationes profecto videntur per se esse sufficientes ad moralem certitudinem gignendam dictum morbum in posterum non renovari.

Insuper agitur in casu de clerico qui iam ad subdiaconatus ordinem promotus est, et hisce in casibus Ecclesiae indulgentia benignior esse solet, nec magni facienda est difficultas de carentia qualitatum specialium in oratore; cum enim ipse non semel fuerit ab Episcopo pro gratia commendatus, rationabiliter asseri potest eius ordinationem iudicio sui Episcopi in dioecesis bonum vertere.

Quare hisce omnibus mature perpensis, Emi Patres porrectis precibus respondere censuerunt:

« *Arbitrio et prudentiae Episcopi ad Diaconatum tantum facto verbo cum SSmo* ».

4660
5

## II. — SANTANDERIEN. — DE PROMOTORE FISCALI IN IUDICIIS SUMMARIIS.

Quaestio inter parochum eiusque coadiutorem in dioecesi Santanderiensi enata est anno 1903 circa quaedam emolumenta, et summarie agitata fuit in ipsa Curia absque citatione et interventu promotoris fiscalis; quae Curia sententiam tulit favorabilem coadiutori. Eiusmodi sententia confirmata fuit, iudicio appellationis instaurato, a Curia Metropolitana Burgensi et a Supremo Tribunali Rotae Matritensi primum. Sed hic supremus consessus, iterum recepta appellatione die 30 Martii 1905 declaravit omnia acta iudicialia peracta in Curia Santanderiensi nullius esse valoris, quia promota absque citatione et interventu procuratoris fiscalis.

Re ad H. S. C. delata, haec sub die 22 Iulii eiusdem anni rescripsit: « Non esse casum appellationis ad S. Sedem a sententia « secundi gradus Rotae Matritensis pro tam parvi momenti ne« gotio ».

Verum Episcopus Santanderiensis ad praecavendas in futurum quaestiones huiusmodi et ad habendam certam normam circa necessitatem vel non interventus procuratoris fiscalis in iudiciis summariis, quando lis agitari contingat inter parochum eiusque coadiutorem relate ad huiusmodi iura stolae levioris momenti, prouti in casu, sequens H. S. C. dubium pro opportuna solutione proposuit, nempe:

« An sit necessaria praesentia promotoris fiscalis in iudicio « summario, quando parochus per seipsum defendat vel vindicet « proventus ex iuribus stolae, quos, dum essent controversi, idem « parochus applicuerit fabricae ecclesiae parochialis ».

Praeclarus advocatus qui partes agit Curiae Santanderiensis ex triplice capite excludendam esse contendit necessitatem interventus promotoris fiscalis in dicto iudicio summario, nempe: 1° ex natura ipsius iudicii summaria; 2° ex natura officii ipsius procuratoris seu promotoris fiscalis; 3° ex natura ipsa officii parochialis, cum parochus sit administrator et defensor natus fabricae suae ecclesiae.

Ad primum itaque caput accedens expendit ipsius iudicii naturam, quod duplicis speciei communiter recensetur iuxta ritum et formam in eo servatam; aliud nempe est ordinarium et plenum, in quo servantur omnes solemnitates sive a iure positivo inductae sive a naturali; et aliud extraordinarium seu summarium vel oeconomicum, in quo tantum ea locum habent quae a iure naturali exiguntur, ceteris omissis iuris positivi solemnitatibus.

Hisce praemissis circa iudicii summarii conceptum iuridicum advocatus deducit in eodem iudicio requiri: 1° ut adsint actor reus et iudex; 2° aliquam petitionem, loco libelli, partium citationem, probationem et defensionem ac definitivam sententiam, quibus profecto opus est ut verum habeatur iudicium.

In proposita quaestione vero, ait advocatus, nulla se prodit necessitas citationis et interventus procuratoris fiscalis, cum Ecclesiae fabrica a parocho sit legitime repraesentata, et proinde ab ipso convenienter defendi possit. Ergo concludit, ipsa natura iudicii summarii considerata, interventus in eo promotoris fiscalis non est necessaria.

Ad secundam orationis partem accedens, probat patronus institutum promotoris fiscalis a iure positivo derivatum esse primo ex eius origine, cum plures doctores retineant hoc officium, iure romano incognitum praesertim in causis criminalibus, primum exortum fuisse a prócuratoribus regiis in Gallia. Deducit hoc insuper ex praxi in multis curiis ecclesiasticis vigenti, in quibus tantum habetur promotor fiscalis criminalis, quod respondet instructioni S. C. Episc. et Regul. diei 11 Iunii 1880.

Quin imo quamvis procuratoris fiscalis interventus in omnibus iudiciis criminalibus sub nullitatis poena requiratur, tamen abstrahendo ab hac iuris positivi dispositione, uti tradit Bouix *de Iudiciis Ecclesiasticis*, vol. 1, pag. 475 absolute aliquod criminale iudicium expediri potest sine eiusdem interventu.

Ex elucubratis circa indolem officii promotoris fiscalis, cum ea ex iure humano sit repetenda, infert interventum procuratoris fiscalis in iudiciis computari non posse inter solemnitates a iure naturali praescriptas, et proinde eius citatio et auditio in iudiciis summariis, in quibus proceditur de plano tantum facti veritate inspecta, non est necessaria. Dato etiam autem et non concesso quod eius praesentia requiratur, procuratoris designatio et deputatio fieri deberet vel a Vicario Generali vel ab Episcopo sub poena nullitatis, cum fiscalis promotor sit species procuratoris, seu ut quilibet alius mandatarius. Sed cum in iure admittatur etiam tacita procuratoris deputatio, huiusmodi deputatio in casu dici posset ab Episcopo collata in parochum, qui est naturalis fabricae ecclesiae paroecialis administrator.

Demum necessitatem interventus fiscalis in summario iudicio, de quo agitur, sub poena nullitatis, excludendam putat advocatus, tum quia ea neque in omnibus criminalibus causis admittitur, tum quia ea ad summum est coartata tantum ad iudicia poenalia ecclesiastica; neque haec praescriptio extendi potest ad ecclesiastica iudicia civilia, quia dispositiones in materia poenali stricte interpretandae sunt.

In tertio tandem capite necessitatem interventus promotoris

iscalis impugnat advocatus ex ipsa natura officii paroecialis, :uius est tueri et administrare bona temporalia ipsius fabricae :cclesiae, et ex historica origine fabriceriae paroecialis colligit >roprium et verum eiusdem fabricae defensorem ipsum esse pa:ochum, cui proinde auctores recognoscunt personam iuridicam standi in iudicio, quod in casu roboratur ex ipsa lege dioecesana Santanderiensi.

Cum itaque, concludit, parochus sit legitimus administrator et defensor suae Ecclesiae seu fabricae paroecialis, et laici in consilio fabricae adsint uti puri adiutores, proindeque parocho competat iura fabricae in iudicio ordinario experiri, tum ex communi, tum ex speciali lege, sponte sua fluit, ut id ei multo magis liceat in iudicio summario, et hinc necessitas interventus procuratoris fiscalis in eodem iudicio omnino reiicienda est.

Altera vero ex parte advertitur in omnibus iudiciis ecclesiasticis civilibus negari non posse necessitatem interventus procuratoris fiscalis, in quibus agatur de interesse temporali ecclesiae seu de administratione bonorum ipsius, cum ipse sit natus defensor bonorum ecclesiae et a lege sit constitutus ipsorum vigil in tota dioecesi. Quare, cum ipse speciale habeat interesse in huiusmodi causis, semper citandus et audiendus est sub poena nullitatis, sive iudicium evolvatur ritu solemni, sive ritu summario, cum de naturali solemnitate sit, ut semper audientur interesse habentes.

In casu antem videtur concurrere specialis ratio pro interventu procuratoris fiscalis in huiusmodi iudiciis quantumvis summariis, Scitum enim est iuxta dispositionem Conc. Trid. *sess. 22 de ref.* fabricae ecclesiae administratores singulis annis teneri rationem reddere suae administrationis Episcopo vel loci ordinario. Unde bona ab ipsis administrata sunt sub speciali Episcopi vigilantia, cuius partes repraesentat fiscus seu promotor fiscalis. Hinc si parochus utpote unus ex praecipuis fabricae administratoribus iura eiusdem fabricae de licentia Ordinarii vindicare valet in iudicio, ex hoc non sequitur in eo esse excludendum praecipuum tutorem et custodem, nempe promotorem fiscalem. Neque ultimo loco omittendum procuratoris fiscalis concursu in iudiciis omnem praecludi viam parochorum negligentiae in iuribus fabricae defendendis; ad hanc enim impediendam Conc. Trid. l. c. praescripsit administratoribus fabricarum annualem redditionem rationum. Quare his aliisque rationibus interventus promotoris fiscalis in causa et consequenter eius citatio et auditio, videntur esse maxime necessaria.

Tamen Emi Patres responderunt:

« *Ad dubium propositum ab Episcopo, Negative* ».

---

III. — MAZARIEN. — ADIUDICATIONIS REDDITUUM (*reservata*).

R. « *Rescripta in casu esse nullius valoris, et ad mentem, facto verbo cum SSmo* ».

---

*In folio:*

2411
6

I. — PARISIEN. — NULLITATIS MATRIMONII.

R. « *Non proposita* ».

---

1253
5

II. — VENTIMILIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

HAEC causa matrimonii inter Dominicum Panizzi et Catharinam Tamagno die 10 Decembris 1903 in paroeciali S. Ioseph Ecclesia loci Sanremo initi, proposita iam fuit in generalibus comitiis H. S. C. diei 29 Iulii 1905 (1).

Ferunt uxorem, vix celebrato coniugio, eodem die aufugisse quin amplius maritus eam reperire potuerit, unde matrimonium inconsummatum mansisse videtur. Ipsa mulier declaravit se virum reliquisse, tum quia nullo erga eum affectu ferebatur, tum etiam quia ipse atque eius pater post celebratum matrimonium ab ea petierunt ut pecuniam, qua eadem potiebatur, iis traderetur, adeo ut sibi persuasum fuerit huiusmodi matrimonium dictae pecuniae aviditate tantum initum fuisse. Uterque vero coniux asserit nunquam cum altero matrimonium consummasse, neque ullo modo coniugalem instaurandi vitam se paratum esse.

Quare vir, tali modo deceptus, ab Ordinario Ventimiliensi petiit ut suum matrimonium cum Catharina contractum, utpote tantum ratum, apostolica dispensatione solveretur. Ordinarius vero, nulla habita apostolica delegatione, processum instruere iussit, quare hac aliisque de causis in citatis comitiis preces dimissae fuerunt responso: « fiat novus processus iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio ».

Tamen, novo peracto in Curia processu, iterum quaestio diiudicanda proposita fuit in comitiis plenariis diei 24 Novembris mox elapsi, et Emi Patres ad dubium:

« *An sit consilium praestandum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* »,

respondere censuerunt:

« *Affirmative* ».

---

(1) Cf. *Acta Pontificia*, vol. III, pag. 148.

III. — PARISIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII (*sub secreto*).

R. « *Affirmative ad cautelam* ».

2809/6

IV. — PISCIEN. — DISPENSATIONIS MATRIMONII.

In Ecclesia Pontis Bovianensis dioeceseos Piscien. die 26 Novembris 1904 Orestes Cortesi ac Maria Perondi matrimonium inierunt.

Maria vero, quae iam antea cum quodam Augustino Scardigli illicitum foverat amorem, ab eoque prolem susceperat, cum frustra pertentasset ut iste se ipsam in uxorem duceret suo quodammodo honori consulendi causa, nonnisi aegre ad matrimonium contrahendum cum eodem Oreste inducta fuisse videtur.

Hoc tamen coniugio inito, coniuges, comitantibus parentibus, sponsae domum petierunt, ibique coena, aliis adstantibus convivio, peracta est. Nunquam autem simul in eodem loco convenisse, nec sub eodem tecto cohabitasse videntur; imo sequentis diei mane, ut testes referunt, sponsa, quin matrimonium, uti narrant, cum legitimo sponso consummaverit, fugam arripuit, atque apud Augustinum Scardigli sese contulit, cum quo in posterum civili, uti vocant, matrimonio inito, communem instituit vitam.

Exinde Maria, ut suae conscientiae consuleret, Ordinarium adiit, petiitque ut suum matrimonium cum Oreste contractum, utpote non consummatum, apostolica dispensatione solveretur.

Idem Episcopus, nulla habita apostolica delegatione processum instituit, actaque, eodem expleto, ad H. S. C. transmisit, sedulo oratricis petitionem pro dispensationis gratia obtinenda commendans.

Re in elapsis comitiis H. S. C. agitata sub rogandi formula: « *An sit praestandum SSmo consilium pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* »,

Emi Patres responderunt:

« *Affirmative, praevia sanatione super defectu delegationis et monitis Curiae ministris, ne huiusmodi processus instruant absque S. Sedis delegatione et non servatis canonicis normis* ».

V. — ARETINA. — IURISPATRONATUS (*reservata*).

R. « *Affirmative favore Castigli, et ad mentem* ».

VI. — ROMANA. — DEVOLUTIONIS LEGATI (*reservata*).

R. « *Ad primum negative; ad secundum affirmative iuxta votum Emi Titularis, facto verbo cum SSmo* ».

VII. — NOLANA. — CONCURSUS (*reservata*).

R. « *Sententiam Curiae Neapolitanae esse infirmandam* ».

# SACRA INDICIS CONGREGATIO

## DECRETUM.

Feria III. die 11 Decembris 1906.

SACRA Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecelesiae Cardinalium a Sactissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolieo Vaticano die 11 Decembris 1906, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque. atque, in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

**L'Abbé E. Lefranc,** Les Conflits de la Science et. de la Bible. Paris, 1906.

**Segismundo Pey-Ordeix,** El Jesuitismo y sus Abusos. Colección de articulos. Barcelona, s. a.

**Idem,** Crisis de la Compañia de Jesús, hecha por personas eminentes en santidad y letras. Ibid.

**Albert Houtin,** La Question Biblique au xx$^{e}$ siècle. Paris, 1906.

**L. Laberthonnière**, Decreto S. Congregationis, edito die 5 Aprilis 1906, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 12 Decembris 1906.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefetcus.*

Loco ✠ Sigilli.

FR. THOMAS ESSER, Ord. Praed.
a Secretis.

Die 14 Decembris 1906 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

# S. RITUUM CONGREGATIO

## I. — SECOVIEN.

**Dubia circa nova Oratoria in domibus extraneis a monasteriis vel in ipsis Monasteriis.**

RMUS Dnus Leopoldus Schuster, Episcopus Secoviensis, Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit et enixe petiit, ut sequentia dubia solvantur; nimirum.

In dioecesi Secoviensi, vasta sunt quinque monasteria, nimirum tria Ordinis S. Benedicti, unum Ordinis Cisterciensis et unum Canonicorum Regularium Lateranensium; insuper permulta coenobia aliorum Ordinum Mendicantium S. Francisci et S. Domici, S. Ioannis de Deo, etc. Interdum in illis monasteriis casus accidit, ut novum oratorium e. g. pro recitando Officio tempore hiemali in aedibus monasterii erigatur simul cum altari sive fixo, sive portatili, ut ibi etiam Missa celebrari possit ab infirmis et senibus debilibus. Praeterea talia oratoria cum altari interdum etiam in domibus extraneis, quae a monasterio sive longe, sive parum distant et peculium monasterii sunt, eriguntur, in quibus domibus unus vel plures Patres per aliquod tempus sive oeconomiae sive sanitatis colendae causa versantur. Hinc quaeritur:

I. Estne licentia, Missam ibi celebrandi, ab Episcopo Ordinario petenda, an sufficit necessitas vel utilitas communitatis religiosae? Et si affirmative ad secundam.

II. Valet hoc etiam de oratoriis, quae extra monasterium ipsum sita sunt, sed ad eius peculium pertinent?

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine perpensa, ita respondere rata est:

Ad I. « *Si agatur de Regularibus proprie dictis, negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, de licentia superioris generalis aut provincialis iuxta decretum n. 4007* **Super oratoriis semipublicis** *23 Ianuari 1899* (1); *si vero sermo sit da aliis*

(1) 4007. — *Decretum super oratoriis semipublicis.* A Sacra Rituum Congregatione saepe postulatum est quaenam oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quae auctoritate ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto

*communitatibus, servetur decretum n. 3484* **Nivernen.** *8 Martii 1879 ad II* » (1).

Ad II. « *Negative, nisi adsit indultum* ».

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

---

Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur.

Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Cappellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat.

Voluit autem Sanctitas Sua sarcta et tecta iura ac privilegia Oratorium, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac praeterea confirmare dignata est Decretum in una *Nivernen,* diei 8 Martii 1879. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 ianuarii 1899.

L. ✠ S. C. Ep. Praenest. Card. MAZZELLA, *S. R. C. Praef.*
D. PANICI, *SS. R. C. Secret.*

(1) 3484. — *Nivernen.* 8 martii 1879: - II. Potestne Episcopus alia Oratoria praeter Cappellam seu principale Oratorium erigere in piis communitatibus, sive ob numerum sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit; sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Cappellam seu Oratorium principale? R. Ad II. « Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda ».

## II. – RATISBONEN.

### Seu Congregationis SS. Redemptoris prov. Bavaricae.

**Dubia circa consecrationem et titulum altarium.**

R. P. Mathias Prechtl, Rector Provinciae Bavaricae Congregationis SSmi Redemptoris, de consensu sui Rmi Procuratoris generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

I. In ecclesia S. Sepulchri, Congregationis SSmi Redemptoris in civitate Deggendorf, intra fines Ratisbonensis dioecesis, extant tria altaria scil. S. Ioannis Nepomuceni M., Septem Dolorum B. M. V., et Quindecim Ss. Auxiliatorum, quorum mensa non constat ex uno et integro lapide, sed ex duobus lapidibus inaequalibus, qui tamen coemento in unum coniuncti sunt. Quaeritur: Utrum haec tria altaria sint valide consecrata, an potius consideranda sint tanquam exsecrata?

II. In ecclesia parochiali eiusdem civitatis mensa altaris maioris fixi constat ex tribus lapidibus, et quidem media maior pars ex marmore, duae aliae laterales partes ex petra arenaria; sed hi tres lapides coemento in unum sunt coniuncti. Itaque quaeritur: Estne hoc altare fixum valide consecratum; et si *negative,* media maior pars ex marmore poteritne adhiberi tanquam altare portatile?

III. Num absque indulto Apostolico et auctoritate tantum ordinaria, titulus altaris fixi commutari possit cum altero titulo, v. gr. titulus S. Sebastiani M. cum titulo B. M. V. de Perpetuo Succursu, et si *negative,* num saltem super altare collocari possit imago B. M. V. de Perpetuo Succursu loco imaginis S. Sebastiani tituli altaris?

IV. Sufficitne ut imago tituli altaris fixi in tabula vitrea picta retro post altare, in fenestra, applicetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum, censuit:

Ad I. « *Iuxta Pontificale Romanum et decreta S. R. C. n. 2862* **Fanen.** *17 Iunii 1843 ad 1, n. 3725* **Meliten.** *26 Aprilis 1890, et n. 3750* **Salamantina** *14 Novembris 1891, mensa altaris fixi ex unico et integro lapide constare debet. Hinc ad primam partem negative, ad secundam affirmative; et si commode altarium consecratio cum mensa ex unico et integro lapide fieri nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis* ».

Ad II. « *Negative ad utrunque* ».

Ad III. « *Negative ad utrumque iuxta decretum n. 2752* **Congregationis Missionis** *27 Augusti 1836 ad 5 et 7* ».

Ad IV. « *Negative* ».

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## III. — ORDINIS MINORUM.

### PROVINCIAE GERMANIAE INFERIORIS.

**Dubia circa Missas de Requie, de Immaculata Conceptione, et recitationem Symboli ac orationum in Missa.**

R. P. Vitalis Keenen, Minister Provincialis Provinciae Germaniae Inferioris, Ordinis Fratrum Minorum, sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponit: nimirum:

I. Ad controversias tollendas circa interpretationem decretorum n. 3903 *Aucto* 8 Iunii 1896, n. 3944 *Romana* 12 Ianuarii 1897, *Vicen.* 3 Aprilis 1900, et *Labacen.* 23 Aprilis 1902, quaeritur:

1°. An in oratoriis privatis et semipublicis dici possint Missae de Requie omnibus et singulis diebus, exceptis festis de praecepto et duplicibus primae classis et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, ab obitu usque ad sepulturam, quamdiu nempe corpus praesens est in domo?

2°. Et quatenus *affirmative:* An idem privilegium valeat etiam pro oratoriis publicis et ecclesiis Seminariorum, collegiorum et religiosarum communitatum, ita ut liceat omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, exceptis diebus ut supra indicatis, inibi Missas de Requie celebrare, quamdiu corpus praesens est in domo, ecclesiis vel oratoriis publicis praedictis adnexa?

II. Quum Missa votiva de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, singulis diebus infra Octavam eiusdem Mysterii atque singulis sabbatis per annum concessa, iuxta Sacrae Rituum Congregationis decreta dici nequeat, si eodem die agatur commemoratio Officii trium vel novem Lectionum ad ritum simplicem redacti; sed celebrari debeat, pro votiva, Missa Officii de Beata Maria Virgine ad instar simplicis redacti, iisdem iuribus ac privilegiis iam pro votiva concessis, quaeritur:

1°. An in Missa votiva respondente Officiis ad instar simplicis redactis, quae ritum duplicem alias obtinerent, excludantur secunda et tertia oratio de Tempore, et solum admittantur com-

memorationes occurrentes et collectae, si iuxta Rubricas et decreta admittendae sint?

2°. An diebus infra Octavas Beatae Mariae Virginis Officio duplici vel semiduplici impeditis Missa Octavae pro votiva Immaculatae Conceptionis solemniter vel in cantu vel conventualis instar celebretur, ad Missam duplicis vel semiduplicis Sanctorum conventualem, quum omnis commemoratio Octavae per se excludatur ne bis solemniter fiat de eodem Officio occurrente, extra Dominicam debeat omitti Symbolum, quod solum ratione Octavae ad conventualem Officii iuxta Rubricas et decreta suspensae alioquin requiritur?

III. An omnia eiusdem religiosae Familiae oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta enumerata in decreto n. 4007 diei 23 Ianuarii 1899. ius habeant, ut illorum Titularis festum celebretur sub ritu duplici primae classis cum Octava, ita ut de eo agatur inter Suffragia Sanctorum, et ut nominetur in oratione *A cunctis*?

IV. Quum non una sit sententia circa Symbolum addendum in festis secundariis Sanctorum vel infra eorumdem Octavas, quae *Credo* in festo principali vel ipsa solemnitatis die exigunt, quaeritur:

1°. An in festis Patronorum dioecesis et Fundatorum Ordinis seu Congregationis regularis, si ritu saltem duplici gaudeant, dicendum sit ad Missam Symbolum, prouti dicitur in eodem festo principali: ita ut apud Fratres Minores trium Ordinum dici debeat *Credo* in festis secundariis Sancti Patris Nostri Francisci et apud Moniales II Ordinis in festis Sanctae Clarae Assisiensis earumdem Fundatricis?

2°. An in festis secundariis Patroni principalis vel Titularis ecclesiae dici debeat in Missa Symbolum, si sub ritu saltem duplici celebrentur, sicuti dicitur in eodem festo principali; ac dici consequenter debeat in festo Decollationis Sancti Joannis Baptistae, si idem Praecursor Domini sub quavis Mysterii nuncupatione sit Patronus praecipuus vel Titularis principalis ecclesiae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis respondendum censuit:

Ad I. « *Quoad 1um Affirmative in oratoriis privatis, dummodo cadaver sit adhuc physice praesens in domo; negative in oratoriis semipublicis quae locum tenent ecclesiae.*

*Quoad 2um Negative, sed semel tantum in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus* ».

Ad II. « *Quoad 1um Affirmative, quia est Missa festivi Officii duplicis, licet per accidens, simplicis.*

*Quoad 2um Affirmative iuxta decretum* **Ordinis Fratrum Mis-**

**norum** *19 Iunii 1903 ad 2* (1), *quia de octava in caso nulla ratio habenda est iuxta decretum n. 2319* **Einsielden. – Reliqua dubia** *5 Maii 1736 ad 26* ».

Ad III. « *Negative, sed tantum in oratorio principali, deficiente ecclesia* ».

Ad IV. « *Quoad 1um Affirmative iuxta decretum n. 2484* **Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum** *27 Augusti 1768, et n. 3249* **Ratisbonen.** *22 Aprilis 1871 ad I.*

*Quoad 2um Affirmative* ».

Atque ita rescripsit. Die 10 Novembris 1906.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## IV. — EREMITARIUM CAMALDULENSIUM CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE

**Declarationes circa dubia liturgica.**

EXPETENTI Kalendaristae Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, de consensu sui Rmi Superioris generalis, authenticas declarationes super nonnullis dubiis liturgicis, Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ita respondere rata est:

I. Minister inserviens Missae in altari, ubi SSmum Eucharistiae sacramentum non asservatur, unico genu flectere debet accedens ad altare, et quoties ante medium altaris transibit aut ab eo recedet.

II. Minister tam in porrigendo quam in recipiendo osculetur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculetur manum celebrantis.

III. Oscula in Missa pro defunctis et Feriae VI in Parasceve omittenda sunt; similiter Diaconus in dictis casibus non osculetur calicem et patenam, iuxta Rubricam Missalis *part. II, tit. 13, n. 2,* et Caeremoniale Episcoporum *lib. I, cap. 18, § 16, et lib. II, cap. II, § 5.*

IV. 1° Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui,* etc., sive infirmus accipiat Viaticum sive communicet ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale.

2° Infra Missam vero, si sacerdos in altari proximo penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri,* etc.

(1) Cf. *Acta Pontificia,* vol. I, pag. 93.

3° Minister infra Missam in casu *Confiteor* et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

## V. — DUBIA VARIA.

INSEQUENTIUM dubiorum declarationes a Sacra Rituum Congregatione expostulatae sunt, nimirum:

I. An clerici prima tantum tonsura initiati, ad mentem decreti 14 Martii 1906, tangere possint vasa sacra et lintea sacra ac calicem praeparare in sacristia absque speciali indulto?

II. An omnes qui vestem talarem induunt, sint vel non tonsurati, debeant iuxta Rubricas Missalis (*Ritus servandus in celebratione Missae, tit. II, 1*) superpelliceum induere dum Missae inserviunt?

III. An Diaconus ratione ministerii sui possit, etiam praesentibus sacerdotibus et extra casum necessitatis, Sanctissimum Sacramentum de uno altari ad alterum deferre?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. 3, n. 5*). Celebrans Vesperarum, in initio huius Officii, quando ad suum locum pervenit, sedet paululum, exceptis pluvialistis; an omnes de choro sedere debeant in eodem momento, et in sensu affirmativo consuetudo contraria pro clero de choro potestne servari?

V. Utrum in Missa solemni coram SSmo Sacramento exposito, Celebrans, postquam dixit in initio *Oramus te* et ad Offertorium *Veni Sanctificator*, debeat cum ministris rursus genuflectere antequam aliquantulum se retrahat versus cornu Evangelii in thuris impositione?

VI. In eadem Missa, Subdiaconus, accepta patena post oblationem calicis genuflectit in suppedaneo ad dexteram diaconi, debetne iterum genuflectere, cum venerit ante infimum gradum?

VII. Sacra Rituum Congregatio decrevit quod Missa Ordinationis in Sabbatis Quatuor Temporum sit de Feria; quaeritur utrum in hac Missa facienda sit commemoratio simplicis aut simplificati occurrentis?

VIII. In quodam Seminario studiorum causa sunt duae categoriae sacerdotum sub aliquo respectu distinctae sive quoad exercitia spiritualia, sive quoad alia exercitia. Alii eorum certae vivendi disciplinae minus strictae subiecti sunt et extra Seminarium in ecclesiis diversis Missam celebrant, alii vero in Semi-

nario Missam celebrant. Iuxta indultum alumni omnes huius Seminarii se conformare tenentur Kalendario Congregationis religiosae ad quam pertinent Moderatores et Directores praedicti Seminarii. Quaeritur an utraque categoria sacerdotum huius Seminarii se conformare teneantur Kalendario eiusdem Familiae religiosae?

IX. Utrum a sacerdote Missam celebrante in ecclesia dedicata alicui mysterio Divinarum Personarum vel in oratorio quod Titulare non habet, in oratione *A cunctis* nominari debeat Patronus loci, si in loco ubi celebrat consuetudo adsit faciendi in Suffragiis commemorationem de loci Patrono?

X. Quando transfertur festum v. g. Annuntiatio B. M. V. in quo exequiae cum Missa exequiali prohibentur, haec prohibitio subsistitne die impedita vel die in qua Officium transfertur?

XI. An in functione Benedictionis SSmi Sacramenti, praeter orationem de eodem, alia cantari possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « *Affirmative* ».

Ad II. « *Affirmative, nisi pro laicis alicuius Familiae religiosae obstent specialia statuta approbata* ».

Ad III. « *Affirmative* ».

Ad IV. « *Consuetudinem servari posse* ».

Ad V. « *Negative* ».

Ad VI. « *Negative, iuxta Rubricas Missalis* (Ritus servandus in celebratione Missae, tit. X, n. 8), *et iuxta decretum n. 4027* **Plurium dioecesium** *9 Iunii 1899 ad II* ».

Ad VII. « *Affirmative in Sabbato Pentecostes; Negative in aliis, nisi Officium fuerit de Feria, quo in casu commemoratio non est omittenda* ».

Ad VIII. « *Affirmative, nisi agatur de presbyteris beneficiatis qui, ut alias resolutum est, tenentur sequi Kalendarium ecclesiae sui beneficii* ».

Ad IX. « *Affirmative, si vigeat consuetudo faciendi de Patrono commemorationem* ».

Ad X. « *In die sola impedita, nisi Annuntiatio transferatur cum feriatione* ».

Ad XI. « *Affirmative, priusquam cantetur* Tantum ergo, *quando aliae dicendae sint preces. Negative in casu opposito, nec non in festo et infra Octavam SSmi Corporis Christi* ».

Atque ita rescripsit. Die 23 Novembris 1906.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

## SS. RITUUM CONGREGATIONIS DIARIUM

*(a die 10 Iunii 1906 ad diem 13 Dec. 1906).*

*Die 10 Iunii:* Apud E.mum ac R.mum D. Card. Dominicum Ferrata Ponentem in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Mariae Magdalenae, iam Iuliae Franciscae Catharinae Postel, institutricis ac primae Moderatricis Generalis Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, locum habuit Congregatio SS. Rituum Antepraeparatoria ad discutienda quatuor miracula, quae a Deo operata asseruntur, intercedente eadem Venerabile, quaeque proponuntur pro eiusdem beatificatione.

*Die 20 Iunii:* In Apostolico Palatio Vaticano, habita est Congregatio SS. Rituum Ordinaria Rotalis, et praesidibus E.mis ac R.mis DD. Card. Ponentibus Vincentio Vannutelli, Hieronymo Gotti, Dominico Ferrata et Andrea Steninhuber discussum est:

1° circa cultum in obsequium Decretis Urbani VIII nunquam praestitum Ven. Antonio Pennacchi, Sacerdoti saeculari dioeceseos Assisien.;

2° pariter circa cultum, uti supra, nunquam praestitum Ven. Magdalenae ab Austria, Archiducissae, Reginae vocatae, istitutricis Regii Partenonis loci Hall;

3° circa validitatem processuum Apostolicorum et Ordinariorum instructorum in causa beatificationis et canonizationis Ven. Elisabeth Sanna, viduae Tertiariae professae Ord. S. Francisci;

4° et demum circa validitatem processuum Apostolicorum Ordinariorum instructorum in causa beatificationis et canonizationis Ven. Mariae Pelletier a S. Eufrasia, institutricis sororum a bono Pastore.

*Die 10 Iulii an. curr.* In Apostolico Palatio Vaticano, adstantibus Emis ac Rmis DD. Cardinalibus et voto Rmorum Ofcialium et Consultorum Theologorum habita est Congregatio praeparatoria ad discutiendum dubium circa heroismum virtutum Ven. Joannis Nepomuceno De Tschiderer Principis ac Episcopi Trentini.

*Die vero 31 Iulii:* Apud Emum ac Rmum D. Card. Vincentium Vannutelli Episcopum Praenestinum Ponentem in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Sororis Floridae Cavoli, Monialis Professae Ord. Capuccinorum in Monasterio *Civitatis Castelli,* locum habuit Congregatio SS. Rituum Antepraeparatoria, in qua discussum est dubium de heroismo virtutum eiusdem Ven. Servae Dei.

*Die 21 Augusti:* In Palatio Apostolico Vaticano Emi DD. ac Rmi Cardinales SS. Rituum Congregationis, celebrarunt Congregationem ordinariam, in qua discutierunt:

1° De introductione causae Beatificationis et Canonizatior Servae Dei Catharinae de Francheville Institutricis Sororu filiarum Nostrae Dominae, Superiorissae Monasterii Venen

2° De introductione causae Beatificationis et Canonizatior Servae Dei Paulae Frassinetti Institutricis Instituti Sororum S. Dorotea.

3° Confirmationem electionis SSmae Virginis Perdolent et S. Francisci Borgia Conf. in Patronos praecipuos pagi Tur in Archidioecesi Valentin in Hispania.

4° Confirmationem electionis S. Antonii Patavini in Patronum pagi vulgo *Poggiomarino* in Diocesi Sarnen.

5° Concessionem et approbationem Officii ac Missae propriae in honorem B. M. V. Assumptae in coelo vulgo dictae de *Monte allegro* in dioecesi Clavarensi.

6° Concessionem et approbationem Offici et Missae propriae in honorem Sancti Fidei virg. et mart.

7° Concessionem et approbationem Offici et Missae ac Elogii in Martyrologio in festo BB. MM. Tunquinensium, Ord. Praed.. Francisci Gil de Federic, Matthaei Alonso Leziniana, Hyacinti Castaneda et Vincentii Liem Pace, sacerdotum missionariorium necnon Hieronymi Hermosilla, et Valentini Berri Ochoa, Episcoporum, Vicariorum Apost. et B. Josephi Hang. mart. indigeni.

8° Concessionem et approbationem Offici et Missae propriae in honorem B. Juliae Billiart, Institutricis Sororum a B. Maria Virgine;

9° Et tandem circa revisionem scriptorum Servi Dei D. Joannis Bosco, Institutoris Societatis Salesianae.

*Die 13 Novembris.* In eodem Palatio Vaticano coram SSmo locum habuit Congregatio Generalis SS. Rituum in qua Emi ac Rmi DD. Cardinales una cum Officialibus ac Consultoribus Theologis votum dederunt super dubio virtutum in gradu heroico in causa Beatificationis et Canonizationis V. Servi Dei Januarii Mariae Sarnelli Sac. Professi Congregationis SSmi Redemptoris.

*Die 20 Novembris:* In eodem Palatio Apostolico habita est Congregatio Rituum ordinaria Rotalis, quae, praesi dibus Emis ac Rmis DD. Card. Ponentibus Vincentio Vannutelli, Dominico Ferrata et Sebastiano Martinelli, iudicavit:

1° Circa validitatem processum apostolicorum et ordinariorum instructorum in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Fr. Laurentii a Zibello, sac. professi Ord. Minorum Capulatorum;

2° Circa validitatem ac relevantiam processuum apostolicorum et ordinariorumn instructorum in causa Beatificationis et

Canonizationis Ven. Theresiae a S. Augustino Monialis professae Ord. Carmelitarum excalceatarum;

3° Circa validitatem et relevantiam processuum apostolicorum et ordinariorum instructorum in causa Beatificationis et Canonizazionis Ven. Caesaris Franciotti, Sac. professi Congregationis CC. RR. a Matre Dei;

4° Et demum circa cultum, in obsequium Decretis Urbani VIII, nunquam praestitum Ven. Francisco Josepho Rudigier, Episcopo Lincien.

*Die 27 Novembris:* Apud Emum ac Rmum D. Card. Dominicum Ferrata, Ponentem in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Magdalenae Sophiae Barat, Institutricis Societatis Sororum a S. Corde. locum habuit Congregatio SS. Rituum antepraeparatoria, in qua Rmi Praesules et Consultores votum dederunt circa tria miracula, quae asseruntur a Deo operata intercedente eadem Ven. Serva Dei, quaeque proponuntur pro eiusdem Beatificatione.

*Die 4 Decembris:* In Palatio Apostolico Vaticano, locum habuit Congregatio Ordinaria SS. Rituum, in qua iudicio Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium sequentia subiecta fuerunt:

1° Introductio causae Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Solari, Sac. professi Soc. Jesu.

2° Introductio causae Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Vincentiae Gerosa, alterius Institutricis Instituti Sororum a caritate in *Luere.*

3° Concessio et approbatio Officii et Missae in honorem B. Bonaventurae a Barcinone, Laici professi Ord. Minorun, Institutoris Recessus S. Bonaventurae in Urbe.

4° Concessio et approbatio Officii et Missae in honorem B. Theresiae a S. Augustino et sociarum martyrum Carmelitarum Excalceatarum Monasterii Compendiensis in Gallia.

5° Tandem circa revisionem scriptorum Servi Dei Abatis Mechitar, Sacerdotis Armeni, Institutoris Congregationis Missionariorum Armenorum vulgo Mechitaristi.

*Die 13 Decembris:* Apud Emum ac Rmum D. Card. Dominicum Ferrata Ponentem in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Fr. Gabrielis a Virgine Perdolente, clerici professi ordinis Passionis, locum habuit Congregatio SS. Rituum antepraeparatoria, ad discutienda tria miracula quae asseruntur a Deo operata intercedente eodem Venerabile, quaeque proponuntur pro eiusdem beatificatione.

# S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## I. — TERTII ORDINIS SAECULARIS S. P. DOMINICI.

### SUMMARIUM

**Indulgentiarum, privilegiorum ac indultorum sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. P. Dominici concessorum.**

I. — INDULGENTIAE PLENARIAE.

*A*) — Tertiariis ex utroque sexu confessis et S. Communione refectis:

1. Die ingressus in Tertium Ordinem, quo eiusdem habitus recipitur.

2. Die professionis.

3. Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint.

4. Semel in mense die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per quartam horae partem, vel per mediam horam orationi mentali vacaverint.

5. Quo die, canonice ordinati et confessi celebraverint primam Missam vel primae Missae alicuius sodalis astiterint confessi ac S. Communione refecti.

*B*) — Iisdem Tertiariis si confessi et sacra Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint sequentibus diebus quibus absolutionem generalem seu benedictionem acceperint:

1. Nativitatis D. N. I. C. - 2. Paschatis Resurrectionis. - 3. Pentecostes. - 4. SSmi Corporis Christi. - 5. Immaculatae Conceptionis. - 6. Annuntiationis. - 7. Assumptionis. - 8. SSmi Rosarii. - 9. S. P. Dominici. - 10. S. Catharinae Senensis.

*C*) — Iisdem Tertiariis si confessi ac S. Communione refecti ecclesiam Ordinis aut Sodalitii devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint diebus festis sequentibus:

1. Nativitatis D. N. I. C. - 2. Circumcisionis. - 3. Epiphaniae. - 4. Paschatis. - 5. Adscensionis. - 6. Pentecostes. - 7. SSmi Corporis Christi. - 8. SSmi Cordis Iesu. - 9. Purificationis B. M. V. - 10. Annuntiationis. - 11. Visitationis. - 12. Assumptionis. - 13. Nativitatis. - 14. SSmi Rosarii. - 15. Patrocinii B. M. V. - 16. Praesentationis. - 17. Immaculatae Conceptionis. - 18. S. Raymundi de Pennafort C. - 19. Translationis S. Thomae Aquin. - 20. S. Catharinae de Ricciis V. - 21. Translationis S. Catharinae Senensis. - 22. S. Thomae Aquinatis Doct. C. - 23. S. Ioseph Sponsi B. M. V. - 24. S. Vincentii Ferreri C. - 25. S. Agnetis de Monte Politiano V. - 26. S. Petri Mart. O. P. - 27. S. Catharinae Senensis V. - 28. S. Pii V

Papae et C. - 29. S. Antonini C. - 30. Translationis S. P. Dominici - 31. S. Ioannis O. P. et Sociorum MM. Gorgom. - 32. S. Mariae Magd. Protect. O. P. - 33. S. P. Dominici. - 34. S. Hyacinthi C. - 35. S. Rosae Limanae V. - 36. Commem. S. P. Dominici in Suriano. - 37. S. P. Francisci Assis. - 38. S. Ludovici Bertrandi C. - 39. Omnium Sanctorum O. P. - 40. S. Catharinae Virg. Mart. Protect. O. P. - 41. Iis qui quatuor anniversariis vel officiis defunctorum in Ordine Praedicatorum praescriptis, uno scilicet pro animabus Fratrum, Sororum, ac Tertiariorum ipsius Ord. (die 10 Novembr.), altero pro animabus suorum consanguineorum et affinium (die 4 Febr.), tertio pro familiarum et benefactorum suorum animabus (die 5 Sept.), quarto pro sepultis in eorum ecclesiis et coemeteriis (die 12 Iul.), devote interfuerint ac confessi et SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint atque uti supra oraverint.

*D*) — Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi vel saltem contriti SS. Iesu nomen ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

II. — Indulgentiae Partiales.

*A*) — ***Septem annorum et totidem quadragenarum:***

1. Tertiariis qui saltem corde contrito diebus in praecedenti capite *I. C.* enumeratis ecclesiam Ordinis aut Sodalitii visitaverint ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

2. Qualibet vice per mediam horam orationis mentalis exercitio devote vacaverint.

*B*) — ***Trecentorum dierum:***

Quoties aliquod pium opus pietatis vel caritatis, corde saltem contrito, exercuerint.

III. — Indulgentiae Stationales.

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii si ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta vel, ea deficiente, propriam ecclesiam parochialem visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur quos lucrarentur si ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV. — Indulgentiae pro recitatione nonnullarum precum.

1. Pro Responsorio: *O spem miram:*

Tertiarii quoties Responsorium: *O spem miram* in honorem S. Dominici recitaverint, indulgentiam quingentorum dierum semel quolibet die lucrantur, et si per totum annum quotidie illud recitaverint, indulgentiam plenariam in festo: *a*) S. P. Domi-

nici (4 Aug.); *b*) Translationis eiusdem S. P. (25 Maii), et *c*) Commemorationis eiusdem in Suriano (15 Sept.).

2. Pro orationibus S. Catharinae Senensis vel ad ipsam:

Tertiariis indulgentiam centum dierum lucrantur semel in die pro recitatione singularum ex his orationibus:

*a*) Ad S. Catharinam Senensem *O virgo* cum versiculo et oratione.

*b*) Pro Summo Pontifice ab ipsa S. Catharina dictata: *O Dio supremo ed ineffabile.*

*c*) Pro Ecclesia pariter ab ipsa composita: *Ho ricorso a Voi.*

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in Purgatorio detentis.

V. — PRIVILEGIA.

1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare Missam celebraverint gaudent indulto personali altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2. Missae omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae.

VI. — INDULTA.

1. Tertiarii degentes in locis ubi nulla extat ecclesia Ordinis Praedicatorum vel Sodalitii lucrari valent eas omnes indulgentias quas dictam ecclesiam visitando lucrarentur, dummodo respectivam parochialem ecclesiam visitent, caeteris conditionibus adimpletis.

2. Tertiarii si sint infirmi vel convalescentes nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad mentem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitarent, caeteris tamen conditionibus adimpletis.

3. Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus sacellum visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

4. Tertiarii recitantes Officium parvum B. M. V. secundum ritum FF. Praedicatorum easdem indulgentias lucrantur, quas lucrarentur si illud uti extat in Breviario Romano recitarent.

DECRETUM.

Quum, per decretum huius S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902 undequaque

abrogatis omnibus indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo Ordine respectivo perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit ut novum indulgentiarum indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent, Magister Generalis Praedicatorum, tali mandato obtemperans, novum praedictum indicem elaboravit, illumque huic S. Congregationi humillime subiecit, quae, adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit.

SSmus vero Dominus N. Pius PP. X, in audientia diei 13 Iunii 1906, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex indulgentiis in supra proposito elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt benigne confirmavit, alias vero, loco earum quibus vi communicationis gaudebant clementer est elargitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant indulgentiarum eisque potiantur privilegiis et indultis quae in praedicto elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secret. eiusdem S. C., die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## II. — ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM.

**Conservantur in urbe Quebecensi Confraternitates iam erectas SSmi Rosarii, non obstante fundatione in eadem civitate domus Fr. Praedicatorum.**

Beatissime Pater,

VICARIUS Provincialis Fratrum Ordinis Praedicatorum in regione Canadensi degentium, ad pedes S. V. provolutus exponit quod sequitur:

Assentiente Rmo Archiepiscopo Quebecensi, Fratres Praedicatores in ipsa urbe Quebecensi recenter advenerunt, ecclesiam et conventum ibidem fundaturi. Variae ergo SS. Rosarii confraternitates, quae iam in tribus ecclesiis eiusdem urbis, nempe B. V. Mariae, SS. Salvatoris et S. Rochi, legitime erectae fuerant, ad ipsam Fr. Praedicatorum ecclesiam, ipso facto redire deberent, ut cautum fuit in earumdem confraternitatum erectione. Cum

tamen huiusmodi confraternitatum translatio absque notabili fidelium pietatis detrimento fieri non valeat, praedictus superior, ad ipsiusmet Rmi Ordinarii petitionem, humiliter a S. V. necessariam implorat dispensationem, vi cuius, non obstante erectione confraternitatis SSmi Rosarii in ecclesia Fratrum Praedicatorum, tres supradictae eiusdem nominis confraternitates in eadem civitate Quebecensi existentes, in suo robore legitime existere et conservari valeant.

Et Deus, etc.

SSmus D. N. Pius PP. X, in audientia habita die 13 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 13 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

## III. — CONGREGATIONIS S. SULPITII.

**Declaratio circa indulgentiam plenariam adnexam invocationi " Cœur de Jésus etc. ".**

Très Saint Père, (1)

XAVIER HERTZOG, procureur général de St-Sulpice, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner déclarer, que l'indulgence de 300 jours, *toties quoties,* accordée dans l'audience du 5 Juin courant à ceux qui réciteraient dévotement l'oraison jaculatoire: *Cœur de Jésus, j'ai confiance en Vous,* ne supprimait point l'indulgence plénière, accordée auparavant par Votre Sainteté, pour ceux qui réciteraient dévotement durant le mois, châque jour, cette même invocation. Que Dieu etc.

SSmus D. N. Pius PP. X in audientia habita die 27 Iunii 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne declarare dignatus est, per concessionem die 5 huius mensis factam, abrogatam non fuisse ple-

(1) Beatissime Pater. Xaverius Hertzog procurator generalis S. Sulpitii ad pedes S. V. humillime provolutus, S. V. rogat utde clarare dignetur indulgentiam trecentorum dierum *toties quoties* in audientia diei 5 Junii curr. concessam devote recitantibus precem iaculatoriam: *Cœur de Jésus, j'ai confiance en Vous,* non abrogare indulgentiam plenariam iam a V. S. benigne concessam iis qui devote singulis diebus per integrum mensem recitant eandem precem. Quod Deus etc.

nariam indulgentiam, quam idem SSmus elargitus fuerat die 27 Maii 1905 (2): ita ut in posterum christifideles, quoties supra propositam invocationem, intimo cordis affectu, recitaverint, indulgentiam trecentorum dierum lucrari valeant, plenariam vero semel in unoquoque mense, die eorum arbitrio eligenda, dummodo quotidianam eiusdem invocationis recitationem peregerint, simulque confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis oraverint. Quas indulgentias Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 27 Iunii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

---

## IV. — ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM.

**Renovatur indulgentia iam ab Innocentio VIII SS. Rosarium deferentibus concessa.**

Beatissime Pater,

FR. HYACINTHUS M. CORMIER, Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, exponit quod Innocentius VIII in Bulla *Splendor aeternae gloriae*, diei 26 Februarii 1491, ita edixerat:

« Nos cupientes ut ipsi confratres et consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant..., quo ex hoc dono caelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus, et auctoritate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus *centum annos et totidem quadragenas* indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Dno indulgemus... Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis ».

Cum autem huius Indulgentiae mentio non reperiatur in catalogo indulgentiarum, die 29 Augusti 1899 a fel. rec. Leone PP. XIII approbato, quo edicitur « quascumque alias indulgentias confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas, seu revocatas esse censendas », praedictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii confratrum et consororum nomine humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat, ut praedictam centum annorum et totidem quadragenarum indulgentiam, semel in die lu-

crandam, ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatae Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus...

*Iuxta preces in Domino.*

Die 31 Iulii an. 1906.

PIUS PP.X.

---

## V. — ORDINIS FRATRUM MINORUM.

**Indulgetur ut fideles ad lucrandas indulgentias non teneantur prae manibus habere Coronam Septem Gaudiorum.**

Beatissime Pater,

PROCURATOR GENERALIS Ordinis Fratrum Minorum se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, enixe implorans in favorem Coronae Septem Gaudiorum, ut fideles recitationi publicae eiusdem Coronae in ecclesiis Trium Ordinum Sancti Patris Francisci adsistentes, atque aliis in recitatione ipsa sociati, indulgentias lucrari valeant, quin Coronam materialem prae manibus teneant; itemque, ut quoties duo vel plures eamdem simul Coronam recitaverint, sufficiat recitationem moderanti Coronam materialem habere, ceteris vero, amotis occupationibus applicationem animi impedientibus, moderatori in recitatione sociari, prouti pro Rosario et Crucifixis Viae Crucis, et signanter pro Corona Septem Dolorum Virginis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 8 Iunii 1898 indultum est, ne secus fideles Coronam non habentes tot indulgentiarum thesauro saepius remaneant in recitatione expertes. Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 12 Septembris 1906 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, caeteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem C., die 12 Sept. 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

**VI. — Quaedam Oratio in honorem S. Joseph indulgentia centum dierum ditatur.**

Beatissimo Padre, (1)

NICOLA GIUSEPPE CAMILLI Arcivescovo, Vescovo di Iasso, prostrato al bacio del sacro piede, supplica la S. V. a degnarsi di accordare a tutti i fedeli, ogniqualvolta devotamente reciteranno la seguente orazione al Sommo Patriarca S. Giuseppe, l'indulgenza di trecento giorni applicabile anche alle anime sante del Purgatorio.

« *O Ioseph, virgo Pater Iesu, purissime Sponse Virginis Mariae, quotidie deprecare pro nobis ipsum Iesum Filium Dei, ut armis suae gratiae muniti, legitime certantes in vita, ab eodem coronemur in morte* ».

Che della grazia, ecc.

Recitantibus hanc orationem indulgentiam centum dierum bis in die lucrandam in Domino concedimus.

Die 11 Octobris an. 1906.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrique Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 26 Novembris 1906.

† D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

## VII. — URBIS ET ORBIS

**Quaedam indulgentiae concessae fidelibus Archidioeceseos Neapolitanae extenduntur ad fideles totius orbis.**

Beatissimo Padre, (2)

IL sac. Domenico Paoloni, direttore del *Zelatore del SSmo Nome di Gesù*, di Napoli, prostrato al bacio del sacro piede, umilmente supplica la S. V. a volersi degnare di estendere ai fedeli

(1) *Beatissime Pater, Nicolaus Joseph Camilli Archiepiscopus, Episcopus Jassensis ad pedes S. T. provolutus, supplicat ut S. T. dignetur concedere omnibus fidelibus, quotiescumque devote recitent sequentem precem in honorem Summi Patriarchae S. Joseph, indulgentiam trecentum dierum animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem.*

(2) *Beatissime Pater. Sac. Dominicus Paoloni, moderator ephemeridis vulgo* « Zelatore del SSmo Nome di Gesù » *dioeceseos Neapolitan. ad pedes S. T. provolutus humillime expostulat, ut infrascriptae indulgentiae*

di tutto l'Orbe le sottoscritte Indulgenze dalla s. m. di Pp. Pio IX elargite all'Archidiocesi di Napoli:

1° Chi recita cinque Gloria Patri e cinque volte ripete la giaculatoria: « Sia infinitamente benedetto il SSmo nome di Gesù » lucra 300 giorni di indulgenza. *Breve* del 17 marzo 1863.

2° Indulgenza Plenaria ai fedeli che confessati e comunicati, nella domenica 2ª dopo l'Epifania, visiteranno una chiesa ove si celebra la festa del SSmo Nome di Gesù, ed ivi pregheranno al solito. *Breve* del 13 gennaio 1871.

3° Indulgenza Plenaria ai fedeli che confessati e comunicati assisteranno e pregheranno per le solite intenzioni in quella chiesa ove si celebra l'annuo funerale di coloro che furono divoti del SSmo Nome di Gesù. *Breve* del 13 gennaio 1871.

*Ex audientia SSmi die XIX Novembris anni MCMVI.*

Sanctissimus, auditis expositis, praedictas Indulgentias ad omnes totius Orbis Christifideles extendere dignatus est, ac animabus in Purgatorio detentis eas proufuturus esse declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem.

L. ✠ S. CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis propositae.

In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 26 Novembris 1906.

† D. PANICI Archiep. Laodicen., *Secret.*

---

**VIII. — Indulgentiae concedutur recitantibus quemdam canticum in honorem B. M. V.**

IL P. FR. MARCO RIGHI, dell'Ordine dei Predicatori, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente implora l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi da tutti i

*iam a Pio P. IX f. r. concessae fidelibus Archidioeceseos Neapolitan. ad fideles totius orbis extendantur.*

*1° Recitantibus quinque* Gloria Patri *et quinquies* iaculatoriam: « *Sia infinitamente benedetto il SSmo Nome di Gesù* » *tercentorum dierum indulgentia;* (Breve, *17 marti 1863). 2° Indulgentia Plenaria fidelibus, qui confessi et S. Synaxi refecti, dominica 2ª post Epiphaniam. visitent ecclesiam in qua festum celebratur SS.mi Nominis Jesu, ibique orent iuxta mentem Summi Pontificis* (Breve *diei 13 ianuarii 1871*). *3° Indulgentia Plenaria fidelibus, qui confessi et S. Synaxi refecti adsint ac iuxta mentem S. Pontificis orent in Ecclesia in qua celebrantur anniversaria funera eorum, qui devoti fuerint SS.mi Nominis Jesu.* (Breve *diei 13 ianuarii 1871).*

fedeli ogni volta che con cuore contrito e devotamente reciteranno il seguente Cantico Popolare in onore della della B. V. del Rosario:

Tu sei del gaudio - Madre e Signora,
Tu fosti martire - in terra ognora;
Ma eterna gloria - il Ciel ti diè:
O Rosa mistica - prega per me.

L'Ave, la Visita - il Parto santo,
L'offerta allegrati - di un divo incanto;
Nel Figlio giubili - che riede a Te:
O Rosa mistica - prega per me.

L'intimo spasimo - lo scempio atroce;
Il serto spineo - l'orrenda Croce
Tu soffri, e immolati - Gesù con sè:
O Rosa mistica - prega per me.

Risorto all'etera - il Figlio ascende;
Manda il Paraclito - che il cor t'incende;
Regina degli angioli - Iddio ti fe':
O Rosa mistica - prega per me.

Cogliamo o popoli - dai rami santi
E a Lei sacriamole - rose fragranti.
Speranze e gemiti - pongo ai tuoi piè:
O Rosa mistica - prega per me.

Ex Audientia SSmi die 2 Novembris 1906.

SSmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis propositae die 14 Novembris 1906.

L. ✠ S. A. Card. Tripepi, *Praef.*

† Dr. Panici, Archiep. Laodicen, *Secret.*

---

**IX. — Indulgentiis ditatur quaedam oratio in honorem S. Joannis Baptistae de la Salle.**

Très Saint Père,

Le frère Gabriel-Marie, Supérieur Général de l'Institut des Frères des Ecoles Chrétiennes, prosterné à Vos pieds, expose humblement à Votre Sainteté que la dévotion envers saint Jean-Baptiste de la Salle a pris une grande extension parmi les

fidèles. En vue de promover encore davantage cette dévotion au Fondateur de l'Institut des Ecoles Chrétiennes Le suppliant ose prier Votre Sainteté de daigner accorder à tous les fidèles qui réciteront pieusement la prière ci-après:

« O glorieux Jean-Baptiste de la Salle, apôtre de l'enfance et de la jeunesse, soyez, du haut du ciel, notre guide et notre protecteur. Intercédez pour nous, assistez-nous, afin que, préservés de toute souillure d'erreur et de corruption, nous demeurions toujours fidèles à Jésus-Christ et au Chef infaillible de son Eglise. Faites que, pratiquant les vertus dont vous avez été un si admirable modèle, nous partagions un jour votre gloire dans la céleste patrie. Ainsi soit-il ».

les indulgences suivantes, applicables aux défunts:

1. Une indulgence de trois cents jours, une fois par jour.

2. Une indulgence plenière, une fois par mois, en un jour de leur choix, à ceux qui l'auront récitée chaque jour pendant l'espace d'un mois, pourou qu'en ce jour, confessés et communiés, ils visitent une église ou oratoire public, et y prient aux intentions du Souverain Pontife.

SSmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X in audientia die 28 Novembris 1906 benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C. die 28 Novembris 1906.

L ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen, *Secret.*

---

**X. — Indulgentia 300 dierum ditatur quaedam oratio B. M. V.**

PREGHIERA.

O MADRE di misericordia, aiuto dei Cristiani, ministra fedelissima della Divina Provvidenza, tesoriera di tutte le grazie, ricordatevi non essersi mai inteso nel mondo che abbiate lasciato senza consolazione coloro che a voi devotamente ricorsero. Onde io confidando nelle viscere della vostra pietà e nella liberalissima vostra provvidenza, mi prostro umilmente ai vostri piedi, affinchè vogliate ascoltare le mie orazioni.

Otteneteci voi la santa provvidenza, ossia le grazie in tutti i miei spirituali bisogni, e quella provvidenza inoltre temporale necessaria per tirare innanzi la vita in questa valle di pianto.

Raccomando fervorosamente al vostro cuore amoroso e materno la S. Chiesa, il Sommo Pontefice, la conversione delle

anime, la propagazione della fede cattolica, nonchè le spose elette del Signore, che soffrono le atroci fiamme del Purgatorio, affinchè vengano tosto consolate coll'eterno refrigerio. Così sia.

A quanti reciteranno questa preghiera è accordata per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 19 decembris 1906.

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

# THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA

**De Sacramentalibus.**

(Cf. *Acta Pontificia*, vol. IV, pag. 424).

*Continuatio:* § 5° - *De rerum dedicatione.*

*Campanae* consecratae in divinis tantum officiis et piis adiunctis adhibentur (ut Missae, chorales preces, viaticum, Angelus Domini, fidelium Christi morientium colluctatio, mors, sepultura. Civiles earum usus permittentur qui legibus non repugnant, ut incendii aut inundationis pericula, orientes tempestates, rei publicae summi principis adventus, parta victoria. Campanarum quae consecratae fuerint sonitus vetatur in profanis causis quae contra Ecclesiam eiusque sunt mentem; ut militum ad praelium convocatio, etc. Ecclesia enim sanguinis effusionem perhorrescit. In extremo tamen supplicio campanae sonitus ut fideles pro nocentis anima orent non prohibetur. Tribus etiam maioris hebdomadae diebus (a « Gloria » Missae in coena Domini ad « Gloria » Sabbati sancti) tum in moestitiae signum, tum ut apostolornm ex Jesu morte silentio, tum denique ut Dominus Jesus qui « quasi agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum » adumbretur, campanae non pulsantur. Interdicti etiam tempore, campanae silent. Sed huiusmodi silentium plus moeroris ex delicto habet quam ex nullo sacrificio ad quod populus non vocatur.

Igne consecrato, quinque turis grana dedicantur. Quo facto, ecclesiam, cum igne et ture benedictis, ingressa processio ad fores, in medio, ad presbyterium, tres trianguli, una pro unaquaque statione, candelae a diacono accenduntur, altius vocem unaquaque

vice attollente, responsorium « Lumen Christi » canendo. Haec processio est dominicae resurrectionis paullatim manifestatae adumbratio.

Processione peracta, cereus paschalis - alterum resurrectionis symbolum - dedicatur. Cera, quae quasi paschalis cerei corpus fingit, humanam Christi naturam prae se fert, candela autem, per quam cereus accenditur, divinam cum humana in una persona conjunctam naturam ostentant. In cereo, antequam consecretur, quinque in crucis figuram, cicatricum quas Redemptor etiam post Resurrectionem servavit memoriam revocantia, turis grana infiguntur.

Fons bis in anno (Paschae et Pentecostes pervigiliis) in ecclesiis, quae fontis jus possident, est consecrandus. In Paschate enim nobilis animae per baptismum consecratae et sanctae redditae figura esprimitur, in Pentecostes festo sanctitatis auctor gratiaeque divinae fons celebratur. Si autem nunc jamdiu universalis antiquus mos evanuit baptisma in Paschae et Pentecostes pervigiliis reservandi, utriusque tamen festi cum baptismate mysteriorum convenientia est omnino ex ecclesiae lege, in cunctis ecclesiis fontis iure utentibus eiusdem consecratione, celebranda « non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet ». (S. R. C. diei 13 apr. 1874).

Catecumenorum oleum et Chrisma, per quorum mixtionem cum aqua exorcismis et orationibus purificata, benedicta fontis dedicatio sinitur, recens (feria V in Coena Domini) a dioeceseos Episcopo consecrata esse oportet. At si forte serius portentur, eorum permixtio intermittitur usque dum, privatim, quum primum habeantur pro formulis in missali praescriptis perficiatur. At si (quum nimius cathedralis ecclesia distat) certo fere *numquam* ad tempus perveniunt, aut protinus baptismus sit ministrandus, aut aqua baptismalis ad suffraganeas est mittenda parochias, caeremoniae continuo ut in missali perficiuntur et aquae consecratae permiscentur olea vetera. Huiusmodi vero aqua, veteribus permixta oleis, nisi novam ocius consecrandi aquam necessitas (ut si deficiat) cogat, usque ad Pentecostes pervigiliam, quando aquae recens consecratae nova olea permiscentur, omnino immutata servantur. Vetera olea, si quae supersint, in lampade, coram SS. Eucharistia perpetuo collucente, comburentur.

Res quae praecipue religioni dedicantur sunt: primarius Ecclesiae lapis, templa, altaria, coemeteria, liturgica indumenta et vasa, campanae, candelae, imagines.

Antequam fundamentalis ecclesiae lapis-Christi Ecclesiae suae angularis lapidis figura-ponatur, solemniter benedicendus est ut extructio Deo gloriam, hominibus autem salutem conciliet.

Ecclesiae consecratio est prae cunctis solemnior cuius iam

in perantiquis temporibus etiam apud gentes solemnia habentur exempla. Hodierna Ecclesiae disciplina antequam divinum offeratur Missae sacrificium, templum est aut consecrandum aut saltem benedicendum.

Ecclesiae benedictio a sacerdote cui facultas ab Episcopo data est et praecipue exterioris et internae Ecclesiae partes aquae lustralis aspersione dum orationes et psalmi a rituali praescripti recitantur. Minoris delubri (aediculae, cellae, etc.) quod ex privato devotionis voto, ruri praesertim, extruiitur, ubi Missa numquam celebratur, nullus dedicationis ritus praescribitur, sed quae in rituali pro Ecclesiae benedictione ordinantur opportune aptantur.

Ecclesiae et coemeteria reconciliantur quum certissime et publice polluuntur. Ex Ecclesiae lege SS. Eucharistia a polluto templo est statim removenda et a divinis cessandum quousque reconciliatum fuerit. Terror igitur et aversissimus animus in turpe flagitium excitetur oportet, quod sanctum locum in indignam rem convertit, Christique fideles admoneantur templum ex lapidibus aspectabilemque locum, ex se peccare ineptum, ex aliorum delicto contaminari et reconciliatione egere eoque magis peccatis oblini viventem Dei templum christianum hominem. Itaque ut consecratio baptismi ita reconciliatio poenitentiae imago esse videtur; et ut peccato pollutus homo denuo baptizari vetatur sed per poenitentiam cum Deo reconciliatur, ita templum pollutum iterum non consecratur sed reconciliatur; ut denique gravi foedatus peccato quousque cum Deo per poenitentiam conciliatus fuerit a SS. Eucharistia recipienda prohibetur ita a violata ecclesia ad reconciliationem usque SS. Sacramentum removentur.

Coemeterii dedicatio catholicae Ecclesiae in exanimata christianorum corpora reverentia nititur. Christi enim fidelium corpora Spiritus Sancti templum sunt sancta et sacra per sacramenta praecipue effecta, altare in quo Deo sacrum offertur, imo et laborum tolerantia ipsa victima ex prompta mortis acceptatione holocausta, Dei seminis granum quod futura resurrectionis germen confinet. Locus inde, cui examinata christianorum corpora creduntur propriis Ecclesia ritibus benedicitur.

Coemeterium non modo communitatis saluti prospicit ut honestius novissima honoris ostensione humana removeantur cadavera sed est cultus Deo debiti locus ubi Dei filii de vita decessi corpus, per Iesu Christi sanguinem redemptum, ad resurrectionis diem uti Dei semen aeternam operitur vitam. Huc graves spectant Ecclesiae ritus qui in coemeterii dedicatione ordinantur.

Hic quae a S. Sede, contra massonicas praesertim sectas de cadaverum crematione sancita sunt, adicere praestat. « Non licet nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum

comburendi hominum cadavera» «et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus incurruntur poenae contra hanc latae»; neque licet «mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur». «Non licet sacramenta morientum ministrare fidelibus, qui massonica quidem sectae adhaerent nec eius ducti principiis, sed aliis rationibus moti qui corpora sua post mortem cremanda mandarunt si hoc mandatum retractare nolint». In monitione «servetur regulae a probatis auctoribus traditae habita praesertim ratione scandali vitandi» «Non licet pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium publice offerre» at «privatim licet applicare». «Numquam licet formaliter cadaverum cremationi cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando potest materialem cooperationem dummodo: 1) crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2) non aliquid in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; 3) neque constet officiales et operarios catholicos ad opus obstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Coeterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant». «Quoties agitur de iis quorum corpora non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subiiciuntur. Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possunt tum domi, tum in ecclesia non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit si notum fiat cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis qui propria voluntate cremationem elegerunt et in hac voluntate certo ac notorie usque ad mortem perseverarunt... agendum cum iis iuxta normas ritualis romani, tit.: «Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam.» In casibus autem particularibus in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit ordinarius qui accurate perpensis omnibus adiunctis, id decernet quod magis in Domino expedire iudicaverit.

# BIBLIOGRAPHIA

## I.

Dott. LEANDRO OZZOLA. **Manuale di Storia dell'Arte nell'Era Cristiana.** — Vol. in-16, pagg. 400, con 63 illustrazioni, appendice bibliografica e indice onomastico. — Libr. Editr. Fiorentina. Firenze 1906. — Lib. 5.

In omnibus fere nostri sSeminariis Collegiisque ecclesiasticis deest schola Artium christianarum Historiae. Quo fit ut clerici

ceterum apprime pollestes scientiis theologicis ac profanis, parum vel nihil calleant Artium humaniorum historiam et quanto cum ipsorum discrimine non est qui non videat. Tamen causa praecipua huiusmodi deficientiae erat difficultas iuvenes clericos providendi libro aliquo, qui salva moralitate artis historiam exacte doceret.

Cui tamen defectui optime supplet opus quod nunc edidit cl. Ozzola, a Christianismi initiis usque hodie artium principia et historiam lucidissime diligenterque exponens.

Inutile proinde censemus idem opus commendare rectoribus et collegiorum magistris; valde tamen hortamur iuvenes clericos ut cum amore et diligentia artis historiam, hodie tam necessariam etiam in sacerdotali ministerio peragendo, addiscere satagant.

Q. D.

II.

Prof. GIUSEPPE TONIOLO. — **Trattato di Economia politica.** — Introduzione. — Vol. in-8, pagg. XVI-376. — Librer. editr. Fiorentina, Firenze, 1906. — Lib. 3.50.

Non est qui ignoret acumen ingenii clarissimi prof. Toniolo in scientiis oeconomicis colendis et pervulgandis.

Tanti ducis merito omnes referendae procul dubio sunt progressiones sive theoricae sive practicae actionis christiano-socialis.

Synthesi quadam mirabili, ordine scientifico et peculiari forma Ipse in unum colligit plurimas suas philosophicas elucubrationes de re politico-sociali, quin multas ab aliis magni nominis doctis viris hinc inde enucleatas quaestiones negligat.

Opus istud, tribus voluminibus absolvendum, facile erit princeps, cui nomen et gloria professoris Toniolo apud posteros connectetur.

Nulla proinde commendatione hoc novum opus indiget ut ab omnibus studiosis viris scientiarum oeconomicarum maxima aestimatione habeatur, si in huius generis studiis auxilium cupiant efficacius quam dissertationum ephemeridum et suetorum tractatuum ethicae socialis christianae.

Q. D.

## RECENTIORES DE ECCLESIASTICIS DISCIPLINIS PUBLICATIONES

**Aicher Dr. G.** — *Das alte Testament in der Mischna.* Biblische Studien, XI Band, 4 Hheft., in-8, x-184 pag. . . . . . . L. 5.75

**Barbier P.** — *L'Eglise de France et les catholiques français.* In-24, 128 pag. L. 0.60

**Bianchi G.** — Corsi di prediche sulla *SS. Eucaristia.* In-8, 448 pag. » 2.50

**Bludau** Dr. **A.** — *Juden und Judenverfolgungen* im alten Alexandria. In-8, IV-128 pag. . . . . . . . . . . . . L. 3.50

**Breme Th.** — *Ezechias und Senacherib.* Exegetische Studie. Biblische Studien, XI Band, 5 Heft., in-8, XII-134 pag. . . . . . . L. 4 -

**Calderoni** Prof. **G.** — *L'Evoluzione e i suoi limiti.* In-8, VIII-370 pag. » 4.50

**Capecelatro** Card. **A.** — *La Madre Chiesa Cattolica.* In-12, 32 pag. » 0.25

**Catechismus Romanus** ex decreto Concilii Tridentini ad Parochos, Pii V P. M. jussu editus. Textus cum pluribus antiquissimis recensionibus e ipsa principe manutiana collati atque recogniti: Editio **quarta**, in-8 500 pag.. . . . . . . . . . . . L. 3.5
**Chollet J. A.** — *I nostri defunti*, nel Cielo, nel Purgatorio. In-12, 298 pag. L. 2.5
**De Montgesty G.** — *Il Beato Giovanni Gabriele Perboyre*. Testimonio di Gesù Cristo (1802-1840). Opera coronata dall'Accademia francese. Traduzione di F. Giorello, S. D. M. In-8, 284 pag.. . . . L. 2.5
**Freisen J.** — Der katholische und protestantische *Pfarrzwang* und seine Aufhebung in Oesterreich und den deutschen Bundesstaaten. - Ein Beitrag zur Rechtsgeschichte der Toleranz. - Mit Abdruck der staatskirchenrechtlichen Erlasse. In-8, XII-196 pag. . . . . . L. 6.25
**Granada L. v.** — *Die Lenkerin der Sünder*. Deutsch von Schauenberg. » 2.75
**Guignebert Ch.** — *Manuel d'Histoire Ancienne du Christianisme*. Les origines. In-12, XXIV-550 pag. . . . . . . . . L. 4 —
**Hergott M.** — *Une Femme de France* au XV$^{e}$ Siècle. Roman historique. In-8 gr., avec 96 gravures artistiques . . . . . . L. 7.50
**Hugo** Dr. **L.** — *Katholische Exegese* unter falscher Flagge. Mit oberhirtlicher Druckgenehmigung. In-8, 108 pag. . . . . . . L. 1.25
**Laghi P.** — *Giardino del Catechista* ossia prontuario di esempi per l'esposizione della Dottrina Cristiana. 3$^{a}$ edizione riveduta ed aumentata. In-8, 460 pag. . . . . . . . . . . L. 5 —
**Lehmen A.** — *Lehrbuch der Philosophie* auf aristotelisch-scholastischer Grundlage. Vierter (Schluss) Band: Moralphilosophie. In-8, XX-336 pag. L. 5 —
**Ludwig** Dr. **A. F.** — Neue Untersuchungen über den *Pöschlianismus*. In-8, 96 pag. . . . . . . . . . . . . . L. 1 —
**Marcial C.** — *Le « Credo » de l'Incroyant*. In-12, 128 pag. . » 1.50
**Martin.** — *De necessitate Credendi et Credendorum* seu de fide salutari. » 2.50
**Notton.** — *Harnack und Thomas von Aquin*. Eine dogmengeschichtliche Studie . . . . . . . . . . . . . L. 1.50
*Petite Histoire de la Religion* extraite du Catéchisme de Rome ou Abrégé de la Doctrine Chrétienne prescrit par S. S. le Pape Pie X aux diocèses de la province de Rome. Traduction française auctorisée et approuvée. In-24, 63 pag. . . . . . . . . L. 0.25
**Poey P.** — *Précis d'instruction religieuse* à l'usage des Catéchistes ecclésiastiques et laïques. - Précis d'Histoire Sainte. - Précis de la vie de Notre-Seigneur. - Précis de l'Histoire de l'Eglise. In-12, 176 pag. L. 1.50
— Explication littérale et pratique du *Catéchisme Catholique* à l'usage des catéchistes volontaires:
Première partie: *Les vérités du salut*. In-12, 188 pag. L. 1.50
Deuxième partie: *Les devoirs du salut*. In-12, 200 pag. » 1.50
Troisième partie: *Les moyens du salut*. In-12, 208 pag. » 1.50
**Schönfelder.** — *Liturgische Bibliothek*. II. Band. . . . . » 6.25
**Theiler H.** — *Das Licht* als Symbol und Sakramentale in der katholischen Kirche. In-8, 56 pag. . . . . . . . . . . L. 0.50
**Vallega E.** — *Jesus princeps pacis*. Canti dell'anima. In-12, 258 pag. » 3 —
**Vaughan** Kard. **Herb.** — *Der junge Priester*. Konferenzen über das apostolische Leben. Frei n. d. Englischen von Dr. M. Höhler. In-16, VIII-346 pag. L. 2.75
**Vigourel A.** — *Cours synthétique de Liturgie*. In-12, VI-268 pag. » 2.50
**Vives** Card. **J. C.** — *Summa Iosephina* ex Patribus Doctoribus Asceticis et Poetis, qui de eximia dignitate S. Ioseph scripserunt. In-8 gr., CXXXII-560 pag. . . . . . . . . . . L. 13 —
— *Summula Iosephina* ex praecipuis argumentis Patrum Doctorum et Asceticorum qui de eximia dignitate S. Ioseph scripserunt. In-18, XVI-392 pag. L. 2.50

# INDEX

## Actorum et Decretorum quae in hoc quarto volumine continentur

### ACTA SUMMI PONTIFICIS.

## SECRETARIA STATUS.

## SECRETARIA BREVIUM.

## DECRETA SS. RR. CONGREGATIONUM.

### S. CONGREGATIO S. OFFICII.



### S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS.



S. CONGREGATIO CONCILII.

## S. CONGREGATIO INDICIS.



## SS. RITUUM CONGREGATIO.

## S. CONGREGATIO INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM.

COMMISSIO PONTIFICIA

PRO STUDIIS DE RE BIBLICA PROVEHENDIS.



S. STUDIORUM CONGREGATIO.



S. C. A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS.



S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE.

## VICARIATUS URBIS.



## APPENDICES.



## THEOLOGIAE PASTORALIS EXCERPTA.

### PARS PRIMA *(Continuatio)*.



### PARS ALTERA.

## BIBLIOGRAPHIA.